

ACTA  
ERUDITORUM

ANNO  
M DCC IX

publicata,

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol.  
atque Elect. Sax. Privilegiis.*

---

---

LIPSIÆ,

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes,  
JOH. FRID. GLEDITSCH,

&

FRID. GROSCHUF.

---

TYPIS VIDUÆ CHRISTIANI GOEZI.  
A. M DCC IX,

A T O A  
ERUDITIONUM  
MUSEUM  
MUSEUM  
Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Januarii, Anno M DCC IX.*

*JUSTI FONTANINI, FORO JULIENSIS,  
de Antiquitatibus Hortæ, Colonia Etruscorum, Libri duo.  
Accedunt Acta vetera, inter quæ Decretum sincerum  
Gelasio I ex insigni Codice  
Vaticano.*

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1708, in 4.

Constat Alph. 2 plag. 21, & figg. æneis.

**H**ortæ urbis in Etruria vetustissimæ antiquitatis longa majorum negligentia laceras & disjectas, velut superstites e tristi naufragio tabulas in unum hic congeffit Vir diligentissimus multisque jam nominibus in Actis hisce nobis celebratus Justus Fontaninus. Primo situm ejus ad quadragesimum ab Urbe lapidem, prope Tiberis Narisque confluentes, in limite Umbriæ notat, originem vero ad remotissima secula refert, eandemque a Pelasgis Thessalia a Deucalione pulsas conditam, inque memoriam Orthæ oppidi Thessalici ita nominatam, conjicit. E Virgilio Æneid. VII v. 716 evincere porro studet, illam vel sub excidio Trojano opibus satis floruisse, quin & gentem Hortensiam, in Romana republica olim florentissimam, inde educatam cum populari suo, doctissimo Adriensium Episcopo, Philippo a Turre statuit. Nomen ipsi *Hortanum* a Plinio tribui, sed ab Anastasio & Paulo Diacono nec non Geographo Ravennate *Hortas* seu *Ortas*, a Boetio *Oribos*, ab aliis denique *Ortos* sive *Ortam* appellari eam docet. Nullatenus autem confundendam vult cum Ortona.



urbe Latina ultra Algidum montem sita, de qua Livius L. III c. 30, aut cum Ortona Aprutii citerioris oppido, quod Frentanorum navale erat juxta Strabonem. Hanc nostram enim Etruscam esse urbem & quidem in Etruria prima, atque inter duodecim illas, quibus Lucumones seu Reges sui olim præerant, non immerito locum sortiri adstruit. Neque antiquitati urbis quicquam præjudicii gigni existimat, quod præter unicum Plinium, vetustiorum scriptorum nemo, Strabo puta, Ptolemæus, Mela, aut Stephanus Byzantius, ejus meminerit. Quandoquidem autores isti urbes amplitudine & frequentia claras atque ad vias regias aut litorales sitas potissimum commendaverint, reliquas inde paululum remotas missas facientes. Cujusmodi cum Hortæ etiam fuerit, non mirum, si eam insalutatam præterierint. Veruntamen honori urbis abunde prospexisse Imp. Augustum, Colonia militari illuc deducta, uti e literato marmore patet, quod ibi superest, e quo Hortam etiam in tribu Quirina descriptam fuisse, Duumvirosque & Seviros Augustales suos habuisse discimus. Nihil hic eorum intactum finit Clar. Autor, quæcunque accurata indigent explanatione, remque antiquariam juvare possunt, eumque in finem destructi pontis vestigia, qui prisca illa ætate propter urbem fuit, in iconismo delineari fecit. Tum cetera monumenta Hortæ obvia persequitur, quæ inter eminent aliquod prioribus lineis quatuor oblitteratum, quod ad Domitianum Imp. docta conjectura refert, memor videlicet illorum quæ Suetonius annotavit, Senatus decreto titulos ejus ubique erasos fuisse memoriamque abolitam. Deflectit inde ad alia monumenta, deletas elogiorum literas præseferentia, & speciatim ad L. Septimii Severi arcum triumphalem, in cujus quarta linea L. Septimii Getæ nomen quæsierint Nardinus, Suaresius, Vaillantius & Morellus. Ipse vero L. Fulvii Plautiani Præf. Præt. Comitibus Augg. & Soceri Antonini Cæsaris nomina & titulos ibi desiderat, utpote cujus honori & dignitati perinde ac Septimii Severi Imp. & Antonini Cæs. ævo isto velificaverit orbis Romanus. Eadem porro ratione alios adhuc lapides, cum primis autem inscriptionem arcus Fori Boarii supplendam, Plautianique & Plautillæ filæ nomina in lacunis ibi sub-



substituenda judicat. Ceterum occasione prædicti marmoris mutili, quod foederatum Faliscorum populum Hortæ erigi curasse innuit, de quinque urbium foederatarum regione seu Tusciæ Pentapoli, cujus Martyrologium MS. sancti Petri Tuscanellæ ut & acta inedita sancti Ptolemæi Episcopi Nepesini mentionem faciunt, an unquam alicubi extiterit, sollicitus est. Largitur tandem, in Piceno Annonario Pentapolin apud sequioris ævi scriptores occurrere, eamque postea ad Decapolin quin & Decapentapolin auctam fuisse. Dehinc Goltzium non modo ac Harduinum, quod Faliscos, Argivorum in Etruria colonos, cum Falejis Magnæ Græciæ populo commiscuerunt, sed etiam Stephanum, Plinium & Solinum præcipitantiæ arguit, qui Falerios & Faliscum duo diversa sibi finxere oppida, cum tamen Livio teste exploratissimum fiat, Romanos oppidum ipsum Falerios, agrum vero & populum Faliscos nunquam non vocitasse. Hujus urbis situm juxta viam Flaminiam inter Oriculos & Romam cum Strabone locat, ubi nunc civitas Castellana conspicitur, contra quam senserat Antonius Massa, oppidum Faliscorum Galesium usque, quod inter Tiberim, Ortam & Faleriæ ruinas procul a via Flaminia & septem millia passuum a civitate Castellana remotum jacet, nullo argumento probabili translocans. Ulterius contra Salmasium urget, Æquos Faliscos ab Etruscorum Faliscis minime diversos statui oportere, nomenque Æquorum non ab æqua planitie, sed quia ab Haleso æqui servantissimo oriundi essent, derivari. Vadimonis lacum, cujus stupendam naturam Plinius L. VIII Ep. 20 celebrat, nequam cum Blondo in monte Rosulo, aut cum Volaterrano prope Viterbum, sed potius in territorio Hortano stagnare, eundemque *il lago di Bassano* accolis nuncupari perhibet. Memorabilem effecit lacum clades Gallis Senonibus a Dolabella Consule hic illata, tum aliæ ab hostibus populi Romani reportatæ victoriæ. Apud illum etiam S. Landum, quem fide schedarum MSS. Landi Leoncini Canonici Hortensis Lannum potius dicendum credit, Diocletiano imperante Christianam religionem sanguine suo obsignasse affirmat. Digressus jam ad reliquas inscriptiones e ruderibus Hortanis effossas, in illis potissi-



mum moratur, quæ Herculem ibi fuisse religiose cultum, Collegiumque Sacerdotum insuper habuisse evincunt, subjecta ideo tabula marmorea, Herculem cum clava & tribus foeminis, Hesperidibus fortasse, referente. In genere enim Herculi summum honorem detulisse Etruscos observat, idque ex parte indubitatum reddit in medium prolatis aliquot nummis seu asibus, qui Jani effigiem cum clava Herculea & literis Etruscis ostendunt. Atque hoc ipsum Autori nostro ansam porrigit, varias doctorum sententias de lingua veteri Etrusca & primæva gentis origine excutiendi. Tria nimirum Alphabeta Etrusca, eaque satis a se invicem abludentia, cognita sibi fatetur, unum quod Gabrielem Gabrielium autorem habeat, alterum quod Gruterus & Merula conservarint, tertium denique a Cosmo de Arena compaginatum, quæ singula hic in Tab. I Fig. 1, 2, 3 prostare volumus. Tametsi igitur in eo convenient eruditi, Etruscum idioma a dextera ad sinistram legi debere, in assignandis nihilominus genuinis ejus fontibus plurimum ipsos inter se differre, neque adeo vocabulorum sensum ac vim erui posse. Ebræarum vel Chaldaicarum, aut, si mavis, Assyriarum vocum nonnihil in lingua Etrusca offendere Bernardinum Baldum, Jacobum Mantinum, Theseum Ambrosium, Sancten item Marmocchinum in defensione linguæ Etruscæ & Sigismundum Titium in Historiis Etruriæ, qui posteriores duo inediti adhuc latent, ille apud Cl. Virum Antonium Magliabechium, hic in Bibliothecæ Chisianæ cimeliis. E contra vero cum Aramæa & Syriacæ mixturam deprehendere Giambullarium in suo Gello & Postellum in Etruriæ originibus, quibus paria sentiant Josephus Scaliger, Merula & Reinesius noster. Ab hisce iterum secessum facere Bochartum in Geographia Sacra, qui Etruscum sermonem ceteris omnibus dissimillimum Phœnicio saltem & Punico propius accedere pronunciet. Noster judicis partes hic sibi minime arrogat, fuisse tamen in lingua Etrusca vocabula quædam e Græcia propter vicinitatem mutuata, quin & characteres ipsos a Græcorum in Tuscia coloniis fluxisse, mutatis paululum & inversis figuris, ne ab avita scribendi norma plane desciscere viderentur, in transcurso quasi attingit. Duplicem inde opinionem

TAB. I.  
 Fig. 1, 2, 3.



TAB. I. ad A. 1709. M. Jan. pag. 4.

V J 2 1 9 0 0 I M M K I 8 Y 3 D 7 B A  
V f S r P P h O N M L K I g f E D C b A Fig. 1.

8 y 2 y 0 9 7 0 n m 1 k i 1 3 B A  
Ω φ Η Τ Σ Ρ Π Ο Ν Μ Λ Κ Ι Ζ Ε Δ Β Α Fig. 2.

..... V † 2 Δ ... ρ ο ι μ λ κ ι θ 8 7 3 Δ ... Α Fig. 3.  
Z Y X V T S R Q P O N M L K I H G F E D C B A





THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

1891

1891





de primis Etruscorum incunabulis, quarum altera eos facit e Lydia oriundos & a Tyrrheno Lydi Regis fratre jam ante bellum Trojanum in Italiam deductos, altera Dionysii autoritate subnixa indigenatus honore eos maectat, ita praeunte Agucchio in Epistola Italica de prisca origine & dominatu Bononiensis urbis conciliat, quod equidem Tyrrheni seu Lydi aliquam Etruriae partem occupaverint, sed cum reliqua regione indigenas antiquissimos Etruscos expellere non valerent, iisdem demum permixti vixerint. Cujus permixtionis haud obscura sibi offerri indicia persuasus est Clar. Fontaninus, tum in consuetudine annorum Epochas a conditis urbibus numerandi apud Etruscos diu retenta, tum in regiis insignibus, corona aurea, tunica purpurea, cultu Herculis &c. quae omnia Lydos eorum progenitores abunde proderent. Majorem autem ab antiquitatum studiosis initurus gratiam e typa assium aliquot Etruscis literis signatorum depromit, hic Fig. 4, 5, 6 & 7 repraesentata, ut subinde tamen doleat, universa nationis sapientissimae scripta & sermonem ita interiisse, ut nec quid nummi isti significant, neque alia ad historiam pertinentia jam queas divinare. Illud profecto e Livio hauseris, linguam hanc a Latina toto semper coelo diversissimam extitisse, Romanosque pueros perinde Etruscis olim literis erudiri solitos ac aetate ipsius Graecis. Ut salivam moveret Relando & Rhenferdo, abstrusiorum linguarum apud Batavos indagatoribus felicissimis, rimandi hujus quoque arcana, autores enumerat, qui Etrusca collegerint monumenta, praetereaque simulacrum puerile, in inscriptione quadam istius idiomatis in femore notatum, sinceriore multo habitu ac Ciattus olim praestitit, aere incidi curavit. E longiori tandem diverticulo, quo Etruscarum antiquitatum causa excurrebat, in viam se recipit Noster, quae supersunt, Coloniae Hortanae inscriptiones lustraturus, quarum ope etiam plurima rei Romanae memorabilia primum luci suae vindicat, plurima certiori talo firmat. Huc referas gentis Atusiae notitiam, Tiberini Dei cultum, formulas illas sepulcris additas: *Ut possit memoriae suae quam diutissime sacrificari; pro sua copia, id est, pro familia sua & comitatu; scriptiorem plane notabilem Materi pro Matri, Meserum pro Mensum, hujusque farinae sexcenta alia,*

TAB. I  
Fig. 4, 5, 6, 7.



quæ Clar. Autori nostro inexhaustas ingenii sui divitias effundendi patentissimum campum aperiunt. Inprimis copiosus est in asserenda scriptione vocis *Epistula*, contra Scaligerum & contribules ejus Lipsium, Dausquium, Vossium & Cellarium, qui modum istum scribendi per *u* valde improbant, atque receptum hactenus per *o* linguæ analogiæ consentaneum magis censent, cum tamen & constans antiquorum lapidum tenor, & Pandectarum Florentinorum juxta voluminumque complurium Manuscriptorum autoritas vel ad sextum seculum usque priorem lectionem tueatur. Neque etiam prætermittendum ducimus, quod in parenthesi velut indicat, alterius cujusdam lapidis in via Ostiensi nuper effossi beneficio Fastos Consulares ad A. U. 848 in melius corrigi, inque locum C. Fulvii Valentis nunc Manlium Valentem subintrare. Hæc quidem in primo Libro.

Secundus Liber, qui jam succedit, totus fere constat Dissertatione de Falconia Proba, cive Hortana, atque ob centonem Virgilianis versibus de Christo compositum inter Poetrias Latinas summopere commendanda. Enimvero cum Anicia Faltonia Proba, foemina quidem illustri, sed domo Romana atque nulla doctrinæ laude ornata illam confuderat præceps quorundam similitudine nominis deceptorum error. Quod ægre ferens Noster, legitimis hic eam natalibus veroque nomini restituere annititur atque ad oculum quasi demonstrat, autorem dicti Virgiliocentonis Isidoro aliisque probatis autoribus vel Probam tantum, vel Falconiam Probam & nunquam aliter audire, Adelphis Pro - Consulis insuper conjugem honorari, patriaque Hortinam censerit. Unde quoque sponte sua fluat, illam cum Faltonia Proba ex Aniciorum gente, Consulis filia, Consulis uxore, ac trium Consulium Probini, Olybrii & Probi matrem, quæque sanctorum Hieronymi & Augustini necessitudine atque elogiis inclaruit, nihil commune habere, operamque ideo luisse magnos Viros, Baronium, Aldum Manutium juniorem, Simeonium, Vossium, Barthium, Reinesium, Dupinium aliosque, quod lapides & Manuscripta suo emendare arbitrato iacate nimis festinarint, Faltoniamque  
cum



cum Falconia in unam personam arte plusquam Dædalea convertere præsumserint. At Centonem sæpe laudatum, quod attinet, eundem post A. C. 393, cum Honorius Augusti dignitate jam emereret, conscriptum videri, Sedulio vero a Trithemio & Bibliothecæ PP. Lugdunensis compilatore tribui, idque supina exscriptorum ignorantia accidisse, qui carmen Probæ dedicatorium Sedulii carmini Paschali quoque assuere, sicque hunc utriusque facere autorem non erubuerunt. Rem ipsam vero satis loqui, Probæ adjudicandum esse hunc foetum, atque isti etiam sententiæ Gelasii I Decretum, quod A. 494 in Concilio Romano emanasse ait, oppido favere. Utcunque autem in classem apocryphorum rejectus ibi appareat Virgilio-cento, inque eum jam ante vibraverit jacula sua Hieronymus, multa tamen multorum encomia meruisse, inter quos Henricum Stephanum & Casparum Barthium nostrum nominat, qui in illustrando atque emendando eo plurimum studii collocarint. Hinc diversas ejus editiones ac codices manu exaratos, quotquot supersunt, recenset, at Homerocentonem Probam constipasse diserte negat, quin potius partibus istis esse functam Eudociam Imperatricem, quam Patricii Senioris Homerocentones in ordinem redelegisse e Zonara monet. Alios igitur illos haberi debere ab iis, quibus Pelagius, vir patricius a Zenone interfectus, invigilasse dicatur, quique jam dudum interciderint, contra Clar. Fabricium nostrum defendit. Sub finem libri Urbis Hortensis Episcopos ordine persequitur, e quibus principem locum assignat S. Cassiano, qui ex Ægypto in Italiam profectus sub Joviano Imper. Ecclesiæ Hortanæ ad tempus præfuit, indeque in Gallias ad curam Æduensis suscipiendam migravit. Haud leves hic in Chronologia admissos a viris doctis errores detegit, præprimis autem vexatam illam quæstionem, num S. Simplicio aut S. Reticio in dicto præsulatu Augustodunensi successerit Cassianus, erudite ventilat, eoque intuitu Acta S. Cassiani inedita tam in soluta quam ligata oratione e Bibliotheca S. Germani a Pratis dicta, una cum historia translationis & miraculorum ejus, autore Anonymo Sanquentinensi conscripta, aliisque monumentis huc facientibus, adpersis subinde notu-



tulis suis, publico conspectui in Appendice sistit. Reliquam  
 deinde Episcoporum Hortensium seriem Ughelliana multis nu-  
 meris emaculatiorem atque auctiorem profert, cui varias obser-  
 vationes historicas, nec non in calce operis plurima diplomata  
 atque instrumenta scopo suo inservitura judiciose subnectit.  
 In quorum uno formula juramenti reperitur: *Per S. Sedis  
 Apostolicae & Domini nostri Alexandri Papae salutem*, vix alibi  
 obvia. Nec pretio suo fraudandae Angeli Pechinoli Episcopi  
 Hortani de Legatione sua Hungarica ad Innocentium VIII  
 Pontificem literae ibidem insertae, in quibus multa historiae istius  
 temporis lucem allatura stylo quidem barbaro, accurato tamen,  
 ut legatum decet, consignata occurrunt. Haud alia vero re  
 devincere sibi magis potuisset eruditos Celeberrimus Autor,  
 quam Gelasii I Decreto genuino, ex antiquissimo Codice Pala-  
 tino Bibliothecae Vaticanae depromto, cui vulgatum haecenus  
 Decretum, a Petro Francisco Chiffletio e Codice Jurense emen-  
 datius editum, sed Hormisdæ attributum, simul apposuit, sin-  
 gulis additionibus atque interpolationibus rubro colore notatis.  
 Victorinum autem Petabionensem Episcopum non Pictabien-  
 sem in suo praedicari observat, manifesto sane argumento,  
 ipsum Petabione, quae urbs Episcopalis Pannoniae primae, Prae-  
 fulis munia exercuisse, sicque Launoji opinionem, Victorinum  
 Pictaviensibus plane abjudicantis, peregregie firmari.

VINCENTII SCHMUCKII; DOCTORIS  
 quondam & Professoris Theologi Sacrorumque Antisti-  
 tis Lipsiensis, in Esaiam Praelectiones Academicæ, e Co-  
 dice Manuscripto prolatae ac editae a M. JO. ELIA  
 ULLICHIO, Haynensis Ecclesiae  
 Diacono.

Dresdae & Lipsiae, impensis Jo. Christoph. Zimmermanni, 1708, 4.

Constat Alph. 5 pl. 20.

Vincencius Schmuckius seculi superioris Theologus non in-  
 celebris, qui anno post Christum natum MDCXXVIII



mortalem hanc cum immortali vita commutavit, munera quibus in Ecclesia & Academia Lipsiensi eminuit, splendidissima, egregie ornavit, dignusque adeo censendus est, cujus memoriam posteritas conservet atque recolat. Præterquam enim quod & Geneseos historiam metro & versibus, quos concionibus, in Genesin olim habitis, subjunxit, complexus est, & complures sacros hymnos composuit, ex quibus hodiernum decantari solent: *Helfft mir Gottes Güte preisen* &c. *Gieb zum Früchten der Erden beständgen Sonnenschein* &c. *Das Land wollst du bedencfen* &c. *Her Christ der Engel Zier und Cron* &c. & scriptis variis, inter quæ illud eminet, quo examen Catechismi Hassiaci novi instituit, famam sibi acquisivit; diversos quoque Scripturæ sacrae libros in usum studiosæ juventutis publicis prælectionibus illustravit, id quod commentationes ejus in Psalmos graduum, Esaiam, Jeremiam, nec non in Evangelium Matthæi, Marci & Lucæ satis comprobant. Uti vero hunc, quem postremo loco nominavimus, commentarium in Lucæ Evangelium, una cum iis, quæ in tria priora Johannis Evangelistæ capita B. Schmuckius commentatus est, propediem ex manuscripto edi curabit Vir Rev. *M. Georgius Fredericus Köhlerus*, Pastor Dœbelensium ac Ephoriæ Ossitiensis Adjunctus primarius, ita nuper Prælectiones in Esaiam e latetris suis, in quibus per integrum fere seculum delituerunt, laudabili studio in lucem publicam protraxit Vir Reuerendus *M. Jo. Elias Ulichius*, Haynensis ecclesiae Diaconus, qui, quo fato ad ipsum fuerint delatæ, in Præfatione, quæ & vitam B. Schmuckii exponit, ipse luculenter edocet. Cum scilicet ante quatuor, & quod excurrit, annos *B. Samuelis Richteri*, Archidiaconi Haynensis, jam ultra triginta abhinc annis vivis erepti, residuos libros & MSCta perlustraret, inter hæc Schmuckii meditationes in Esaiam, quas ex ore Autoris diligenti calamo quondam *Richterius* exceperat, *Ulichius* invenit, nec tamen integras ac ultra caput XXXIX haut protensas. Hinc reliqua quoque, quæ deerant, obtinendi mira cupiditate accensus, Virum Clar. *Petrum Ambrosium Lebmannum*, desiderii sui certio- rem fecit, qui in Novis litterariis Hamburgensibus M DCC IV



menſe Novembri illud publice indicavit, eventu quidem adeo felici, ut non multo poſt *Georgius Fridericus Schultke*, Radenſis Saxo, univerſum Commentarium MSCTum ex B. Parentis bibliotheca ultro offerret, quem eo gratiorem ſibi fuiſſe *Ullrichius* memorat, quod ipſius B. Autoris *αὐτόγραφον* fuiſſe comperit. Conſilium ergo de edendo libro cepit, illudque cum Maxime Reverendo Praefule ſuo, *D. Joanne Clodio*, communicandum duxit, qui non modo maturandæ editionis ſuaſor & adjutor extitit, verum etiam, quicquid ad calcem ultimi capituli & in præfixa oratione inter ſchedas perierat, ad B. Autoris mentem reſtituit.

Hæc ex Præfatione Editoris repetere placuit, quam excipit oratio Autoris prælectionibus olim præmiſſa, in qua ea, quæ ad Eſaiæ laudes & commendationem pertinent, enarrantur. Ipſe vero commentarius, cui & Scripturæ ſacræ locorum, & vocabulorum rerumque indices ſubjunguntur, ita comparatus eſt, ut ſermonis perſpicuitate perinde ac rerum gravitate ſacrarum literarum ſtudioſis facile ſe commendare valeat; ſiquidem in illo poſt argumentum & distributionem partium, textum Propheticum luculenter exponi, loca parallela copioſe allegari, incongruas ſententias nerveſe rejici, notas Philologicas nonnunquam inſpergi, & denique doctrinas in uſum Oratorum eccleſiaſticorum ſingulis capitulum partibus dextre & adpoſite ſubjungi videas.

LA SOUVERAINE PERFECTION DE DIEU, &c.

i. e.

*SUMMA DEI PERFECTIO IN EJUS ATTRIBUTIS,  
& perfectæ Scripturæ integritas, ſenſu veterum Reſormatorum accepta, per rectam rationem deſenſa,  
contra objectiones Manichæiſmi in P.*

*BÆLII libris diſſeminatas.*

*Tomii II.*

Amſtelodami, apud Stephanum Roger, 1708, 12, ch. aug.

Alph. 1 plag. 17.



**L**ibri hujus, quo vetus Supralapsariorum sententia sine ulla dissimulatione defenditur, Auctor initialibus literis se nominat P. N. D. L. S. R. D. B. E. P. E. M. D. L. A. I. plerique Phil. Naudæum, Professore in equestri Academia Berolinensi Mathematicum, esse ajunt. Ille cum certatim ad P. Bælii libros responderi a Viris doctis videret, interque alios a Clar. Jaquelotio, sed ita, ut duriores hypotheses veterum Reformatorum plane deserantur, imo injustitiæ & tantum non blasphemiam accusarentur, existimavit, absolutum decretum, & quidem juxta hypotheses Supralapsariorum & Particularistarum, quos vocant, sibi defendendum esse, simulque respondendum ad Bælianas objectiones, & quidem ex sola ratione. Quod duobus principiis positus se præstiturum confidit, in quibus cardo totius scripti vertitur; nempe I Deum sensu independente perfectum esse, ut sibi soli debeat omnia, sui que solum amore & in gloriam sui omnia faciat; II ea, quæ gloriæ & summæ perfectioni divinæ convenient, ipsi solum Deo nota esse, nos vero de illis judicium ferre nequaquam posse. Sed præterea, ut una quasi fidelia duos dealbet parietes, ostendere conatur, solam Supralapsariorum & Particularistarum, quos dicunt, hypothesin cum verbo divino ejusque phrasi perpetua convenire, ceteras omnes sive Arminianorum, sive Lutheranorum, sive eorum, qui inter Reformatos Infralapsarii & Universalistæ, vel Hypothetici dicuntur, a verbo divino discedere, & tamen vel ipsa ratione sana istos omnes compelli, ut tandem ad absolutum decretum confugiant.

Itaque Tomo I P. Bælium aggreditur, ac ea cum primis, quæ ille de origine mali disputaverat, maxime vero dubia Tomo III Responsionis ad Quæst. Provinc. Cap. CXLIV ab eodem formata. Hæc ex sola ratione solvere conatur, & demonstrare, quod Bælius ratione sit abusus, & contra sana ejus principia egerit. Res autem eo redit, amorem, quem Deus sibi ipsi debeat, infinitum esse, neque ad aliud quid respiciendum Deo esse in suis actionibus quam ad eundem, ut adeo non aliam habeat justitiam ac sanctitatem, quam illam, quæ ex amore proprio fluat. Quibus ita traditis, ad Bælii Dialogos inter Maximum & Themistium se convertit, eosdemque examinat:



ubi quidem Auctor depugnat, peccatum necessario evenire debuisse, quia sine illo Deus gloriam suæ misericordiæ non potuisset declarare. Neque Kingio parsit, sed ejus librum de Origine mali passim refutavit. Hæc prima hujus Tomi Parte traduntur: Parte II de Clar. Jaquelotii Examine Theologiæ Bælianæ dispicit, atque in eodem multa sibi displicere non diffitetur, adeo ut fere Arminianismi & Pelagianismi illum insimulet, cum primis vero duplicem voluntatem Dei, nempe voluntatem œconomi sive gubernatoris omnium rerum, & voluntatem legislatoris, contra illum aliosque statuminat. Quo artificio per universum fere librum utitur, ita ut priorem voluntatem absolutam faciat & efficacem, posteriori vero Deum, saltem declarasse ajat, quid faciendum sit, si quis poenam evitare velit. Eodem consilio negat permissionem, vel etiam præscientiam peccatorum, accurate loquendo, Deo in Scriptura tribui, cum omnia decretis absolutis disposita sint. Vide *p. 312. 313.*

Tomo secundo cum Infralapsariis & Universalistis disceptat peculiariter, cum his quidem Parte I cum illis Parte II. Nam Cap. I prioris partis in eo est, ut ostendat, in ipsa re convenire Infralapsariis cum Supralapsariis, sed in modo tradendi & docendi illos vacillare, cum significationem terminorum, quibus utantur, non satis accuratam ac constantem constituerint. Hinc Cap. II hypothesin Supralapsariorum suis instructam fulcris proponit; ubi destinationem aliquam generalem comminiscitur, quæ cum justitia & misericordia nihil habeat commercii. Capite III respondet ad argumenta a P. Molinæo in Anatome Arminianismi cap. XIII proposita; sequenti capite Jo. Claudii objectiones contra Supralapsariorum hypothesin dissolvere studet, cui in formandis ex S. Scriptura regulis præcipitantiã adscribit; quinto autem capite Clar. Holzhusii Tractatui de Prædestinatione respondet, rem ab illo ne satis quidem perspectam judicans. Multum vero laboris impendit, nec frustra, in resellenda Jo. Claudii sententia, quod Christus media salutis, & gratiam vocationis sigillatim, nobis non sit promeritus. Parte secunda quinque capitibus argumenta ejusdem Claudii pro gratia universali expendit, & solvisse se credit, al.



allata distinctione inter hypotheticam & absolutam veritatem, quarum illa in nexu saltem propositionis consistat, & vocatio- nis verba universalia a mendacio & injustitia liberet, etsi reipsa non omnes vocentur. Deinceps Cap. VI, VII & VIII ad ra- tiones Jo. Dallæi, pro gratia & merito Christi universali in A- pologia Synodi Alenconiensis & Carentonensis propositas, re- spondet, contraque eundem loca a Particularistis citata vindica- re studet. Tandem Cap. IX, X, XI Holzfusii etiam de hac cau- sa sententiam sub censuram vocat, & argumentis ejusdem sa- tisfecisse credit. Cum primis vero infinitam perfectionem me- riti Christi urget, quam lædi putat, si non ipso effectu omnes serventur, pro quibus Christus mortuus sit.

*HENRICI ERNESTI KESTNERI, Jcti & P. P.  
De Defectibus Juris Communis in Republica Germanica  
Dissertationes, quibus Prodromus Conclusionum, ad re-  
formandam Jurisprudentiam spectantium,  
continetur.*

Rinthelii, sumptibus & typis Hermanni Augustini Enax,  
Acad. Typ. 1708, in 4.

Alph. I plag. 6.

**U**Ndecim diversi argumenti problematibus Tractatus hic constat. In primo de reformanda Jurisprudentia differitur. In secundo ostenditur, jus Romanum, deficiente jure sta- tutario aut provinciali, non esse attendendum in casibus, ubi aut rationi aut æquitati repugnat. Tertium autoritatem Speculi Saxonici & Suevici, occasione Statutorum Academicorum Rin- thelensium, expendit. Cui quartum adjicit, disquisitionem de autoritate & receptione juris Romani. Quinti argumentum sunt controversiæ summorum Imperii Principum, in eoque, has non ex jure Romano, sed ex legibus naturæ, divinis & ob- servantia Imperii esse decidendas, ostenditur. Sextum in re- futando brocardico illo: *bonus Institutista, bonus Jurista*, occupa- tur. In septimo docetur, omne jus esse jus reale. Octavum



mysteria quædam juris Romani tradit, quæ disquisitio ex materia testamentaria, pactorum, delictorum & processus in problemate nono, decimo & undecimo continuatur. Hisce adjectus est Philippi Burchardi, J.C. Discursus de hodiernæ Jurisprudentiæ nævis & remediis, primum Hanoviæ typis Aubrianis 1682 impressus. Ut pauca specialius delibemus, in problemate sexto, Institutiones Justinianeas mensuram nominis sui non implere, adeoque dicitur: bonum Institutam esse bonum Juristam, a veritate abluere, varie probat Consultissimus Autor, quia scilicet in iis deficit jus naturæ, doctrinæ inutiles occurrunt, non minus quoque defectus principiorum & juris publici deprehenditur; paucissima etiam in institutionibus tradita nostris conveniunt temporibus, & perinde est, ac si catechismum quendam aut ordinationem Schaumburgicam statui Turcico, aut vestimenta hominis gibbosi erecto applicare velis. Porro nævos Institutionum auget, quod in iis casus non dabiles aut per centum annos vix ac ne vix quidem occurrentes reperiantur, quod compilatores earum incapaces fuerint, ac iis concinnandis intempestive institutiones Gaji, a Justiniani temporibus nimis remoti, fuerint adhibitæ. His accedunt inepta methodus, rationum insufficientia ac mixtura male cohærens in titulo de Actionibus. Ex quibus adeo concludit Noster, longe consultius esse, si cum jure Naturæ, in quod plurima extent compendia elegantiora, prima juris positivi fundamenta ex Struviana Jurisprudencia, aut commodiore quodam autore haurirentur. In problemate octavo, relatis mysteriorum causis, illorum nomine illas leges casuumque decisiones, quarum nullam solidam, firmam & cohærentem aliquam rationem dare queamus, comprehendit ait Noster, eamque assertionem exemplis deinde illustrare sustinet. Ex genere ergo mysteriorum est, quod filius in captivitate natus, ac patre mortuo cum sola matre reversus, pro spurio habeatur *l. 25 de capt.* capti in bello servi fiant ac cum alia jura, tum etiam in specie matrimonii jus amittant *l. 1 de divort.* quod sponsalia unius etiam dissensu solvantur *l. 2 §. 2, 3 de divort. l. 1 C. de sponsal.* quod pactum, quo maritus impensis necessariis renunciat, invalidum pronuncietur



*l. 5 §. 2 de pact. dotal.* quod fidejussor dotis constitui nequeat *l. 2 C. ne fidej. dot. dent.* donationes conjugum prohibeantur *l. 1 seqq. de donat. int. V & U.* foeminae ex intercessionibus non obligentur *l. 1 §. 1 l. 2 §. 2 ad SCt. Vellej. l. 48 pr. de fidejuss.* In eundem censum referendum, quod tutorem habenti tutor dari nequeat *l. 10 §. pen. de excus. tutor.* minor viginti annis, ex venditione sui ipsius, libertatem amittat *§. 4 J. de Jur. pers.* nudis pactis dominia non transferantur *l. 20 C. de pact.* ex commixtione frumenti casuali communio oriri negetur *§. 28 J. de R. D.* servitutis causa perpetua esse debeat *l. 28 de S. P. U.* quod illa voluptatis gratia *l. 8 de servit.* aut a proprietario, consentiente licet usufructuario, constitui nequeat *l. 15 §. f. de usufruct.* quod usufructus filio concessus, hoc mortuo, apud Patrem remaneat *l. fin. C. de usufr.* usufructuarius aut socius servitutem acquirere non possit *l. 5 §. 1 l. 8 comm. præd. l. 34 de S. P. R.* Denique juris Romani mysteriis etiam accensendum, quod usufructus, domo collapsa, in area non remaneat, nec ædibus restitutis redintegretur *l. 5 §. p. l. 10 §. 1, 7 quib. mod. usufr. amitt. l. 36 de usufr.* quod conductores possidere negentur *§. 5 J. de interd. l. 21 §. f. de A. A. P. &*, circa damnum homini illatum, deformitatis nulla habeatur ratio *l. fin. de his qui effud.*

**DISSERTATIO JURIDICA DE JURE PATRIÆ,**  
*Auctore ABRAHAMO A KERCK-  
 RAAD, Jcto.*

Ultrajecti, apud Guil. Brœdelet, 1708, in 8.

Plag. 12.

**O** Riginem patriæ potestatis ex imperio mariti in uxorem fluere asserit Clar. Autor: liberos enim melioris conditionis esse non posse, quam ipsa est mater. Nec tamen opus, ut jus in prolem per uxorem cum Hobbesio transferatur in patrem. Et quanquam jure Naturæ communes sint liberi, adeo, ut tamen matri subsint quam patri, vel tacito tamen pacto, vel initis nuptiis, recessisse apud Romanos matres a suo jure, vel derogasse  
 jus

P. 7.

14. seq.

5.



- jus Civile naturali effectum civilem quoad matres, vel Reip. Romanæ indignum fuisse, ut patre mortuo, in filios, jam forte maritos, exercerent illæ imperium. Circa primum porro modum, quo patria potestas acquiritur jure Civili, nuptias, earumque definitionem observat ex Plutarcho, prohibitam inter conjuges legibus donationem, non ut alter ab altero nihil accipiat, sed ut omnia inter se communia ducant. Per communicationem tamen humani juris non introduci inter conjuges bonorum communionem, nisi aliter convenerit. Talem autem communionem sponte factam occurrere apud Martialem Lib. 4 Epigram. 74 (non 75) quod paulo aliter exhibent Editiones modernæ.
24. De individua vitæ consuetudine agens, notat, apud Romanos solitum, maritorum per divortia mutatorum nomina sepulchro inscribi, ex Juvenalis Lib. I Satyr. 6 v. 229: *sic fiunt octo mariti quinque per autumnos, titulo res digna sepulchri.* Verbum autem illud, *divini* & humani juris, respicere ad sacra privata Romanis usitata. Si quis ergo heres esset alicujus, una etiam habuisse hæc sacra, quæ magna diligentia & cura essent colenda. Et hinc Ergasilum apud Plautum lætari, *se hereditatem sine sacris aptum (adeptum) effertissimam.* Quum igitur multis aliquando hereditatibus, atque exinde sacrorum mole quasi aliquis obrueretur, tandem a Jctis Romanis modum esse excogitatum, ut exolescerent & ab usu plane recederent, quo tanto facilius adiri hereditas posset. Quod ex Ciceronis Oratione pro Muræna illustratur. Quumque ad Rævardum remittat Lectorem Noster p. 39 & 40, liceat etiam nobis eundem ad c. XXI LL. XII Tab. hic ablegare, ubi idem ille locus Ciceronis paulo aliter excutitur, tum vero ad Gronov. de Sestert. L. 4 c. 7.
- 32 seq. Plautum porro *uxorem usurariam* non de primo nuptiarum modo, qui *usu* fieri dicebatur, in Amphitr. accipere, sed de uxore aliena ad tempus sumpta, plenius exequitur Noster. Coemtioni autem locum apud Hebræos etiam quodammodo fuisse colligit ex septennali ministerio Jacobi Gen. XXIX & ex præputiis Philistæorum, quibus David filiam Sauli coemerit, 1. Sam. XII, 25. Atque ubi requisita nuptiarum justarum recenset, repetit, quod supra dixerat, patriam potestatem in pro-
- 38.
- 43.
- lem



lem jure Civili solis equidem patribus competere; sed quum etiam jure Naturali liberi ex communi femine suscepti, in ambo-  
rum ditione sint, quæ jura tollere jus Civile nequaquam pos-  
sit, indignum ait hic fuisse visum patribus Romanis, nisi & ma-  
tribus partes suæ hæctenus relinquerentur; quod verbis Teren-  
tii, Catulli, Livii eleganter comprobavit, quæ loca attulit etiam  
Paulus Cypreus de Jure Connub. p. 247. Ad ea igitur, quæ de  
reliquis modis acquirendi P. P. differit p. 63, 75, 90, deinde quæ  
de effectibus P. P. p. 99, atque de modis solvendi eandem p.  
133--172 commentatur, sponte sua festinatos nunc lectores  
plane confidimus. Passim enim prostant vestigia, sub literatis-  
simo Viro, Grævio, quem eo nomine laudat p. 41, crevisse  
Cl. hunc Jctum.

p. 56. seq.

*CAROLI NICOLAI LANGII, LUCERNENS.  
Helvet. Phil. & Medici, Acad. Cæs. Leopold. Nat. Cu-  
rios. German. & Physio-Crit. Senens. Historia La-  
pidum Figuratorum Helvetia, ejusque  
vicinia.*

Venetiis, & prostat Lucernæ apud hæredes Godofredi Hautt,  
& Jo. Jodocum Halter, 1708, 4.

Constat Alphab. 1 & Figur. ænearum Tabulis 54.

**S**istimus hic ipsam Lapidum Figuratorum Helvetiæ Historiam  
Clarissimi Langii, quam ante duos annos in Idea sua promi-  
serat, in duas Partes divisam, quarum prior in genere de La-  
pidibus, & iis quas figuratas vocamus, tractat, posterior singulas  
figuratorum species rimatur. Lapidis, quem Minerale durum, grave,  
nec ductile, nec in aqua solubile vocat Clarissimus Au-  
tor, causam potissimam constituit sal partim nitrosum, partim  
acidum, in aqua vel aere delitescens, quod mediante alterutro  
vel utroque vehiculo simul poros liquoris aut luti viscosi subit,  
in iis figitur, & accedente humiditatis evaporatione una cum lu-  
to in coagulum lapideum exsiccat; aer enim ambiens a va-  
pore aquæ magis distensus massam vicinam comprimit, sal in-

pag. 1.



p. 6.

9.

10.

intima spatia ab humore relicta vi quadam impellit, & cum contentis sulphuris ramusculis ita involvit, ut porro a reliqua massa non nisi potentissimo igne separari queat. Aptissimum vero sal petrificationis in subterraneis a natura elici, lactis Lunæ, cujus maximus in Helvetia proventus est, generatio persuadet. Aqua enim mediante calore subterraneo in vapores versa per internas Alpium summorum cavernas attollitur, ubi in summitate saxosis parietibus adhæret, & sensim in guttulas abit, quæ a de novo subsequens vaporibus ita augentur & conglobantur, ut facto aquarum quasi agmine in aliquo clivo devexo in scaturiginem erumpentes aut limpidum fontem aut susurrantem rivulum producant. Dicti vapores velut rorulentæ & subtilissimæ humidi particule constanter sursum avolantes meatus rupium pervadunt, contentumque sal alliciunt, & diluunt, quo saxa in superficie sua destituta, propriâ naturâ duritiei & gravitatis deperditâ, substantiam terrestrem albicantem, fungosam ac levissimam, lac Lunæ dictam, induunt. Hinc non audiendi, qui hoc ab exhalationibus metallicis ad superficiem lapidum concretis conflare existimant; nam recrementum potius aliquod metallicum, grave arsenico, sale, aut sulphure heterogeneo ornatum constitueret, quam terram albam, levem, ab omni acredine defæcatam & summe edulcoratam. Liquor vero ille terrestris viscidus & ramosus ad generationem lapidum requisitus est substantia pinguior terræ seu sulphurea fusa, quæ in visceribus terræ vi caloris subterranei succorumque fermentatione elaborata per ejus internas cavernas & meatus distribuitur, partimque aeri, partim etiam aquæ commiscetur, crudiore ejus portione luto terrestri inhærente, quæ deinceps facile sal subiens cum spiritu lapidifico suis ramusculis involvit & ad firmitatem duritiemque induendam disponit. A cujus liquoris tenuitate & depuratione varia, diversaque particularum eum constituentium miscela & dispositione lapidum perfectio & color rectius quam a subtilissimarum particularum metallicarum permixtione derivatur. Ut igitur particule hæc mutuum & immediatum contactum & nexum acquirant, requiritur non solum earum fluiditas, ut levis aliqua agitatio & digestio præcedat, sed &



fluidorum pondus, quin & aeris compressio. Lapidés figurati tantum in montibus, raro vel nunquam in vallibus reperiuntur, vel ob diversam aeris ambientis qualitatem, vel ob peculiarem terræ texturam, vel quia seminio testaceorum in mari delitescenti major patet aditus ad montes, quam ad planities & valles. In specie Lapidés figuratos ubi describit Clarissimus Autor, omnia non solum eorum genera, species & vires delineat, figurasque æneis tabulis repræsentat, sed insuper eorum loca nativa adducit, in quibus reperiri solent, ut cuilibet facile sit eos colligere, modo adducta loca adire libeat. Omnes autem Helvetiæ Lapidés figuratos octo complectitur Classibus, in quarum prima exhibet *Lapidés figuratos crystallinos*, quorum nomine intelligit pellucidos, vel vitri instar nitentes, & aliquali peculiari figura donatos, sive hæc sit multangula, sive rotunda, sive cylindrica, sive crustacea. Inter pellucidiores gemmas, crystallum montanum, & Selenites; inter obscure pellucidos Stalactitas; inter opacos & vitri instar leviter nitentes Stalagmitem, Talcum & Ceraunium refert. In Classe secunda *Lapidés figuratos pictos* describit, quos vocat, quorum figuræ planam tantum lapidum superficiem occupant, & tanquam coloribus pictæ repræsentantur, sine sensibili lapidis elevatione, atque in extima saxorum fissilium superficie, qua contigua sunt, plerumque exprimuntur, sive animalia, sive vegetabilia, eorumve partes repræsentent, sive aliis rebus sint similes. Causam imaginum in superficie apparentium & aliquod corpus naturale repræsentantium adscribit substantiæ sulphuræ post putrefacta corpora intra lutum lapidescens superstiti, quæ dispositione sua in lapide delineationem corporis exprimit & conservat; cum e contrario causam ramificationum, arbores, turres & domus repræsentantium, ipsamque substantiam lapidum penetrantium materiam esse existimet sulphuræam & subtiliorem ipsius luti lapidescentis, quæ tanquam materia ad petrificationem minus apta in principio condensationis luti e poris expressa hinc inde confluebat, & urgebatur, donec a sale lapidifico & forsitan ipsis vaporibus ambientibus quoque figeretur, & una cum luto in massam lapideam concrederet, atque ejusmodi ramifica-

p. 20.

21.

32.



P. 44.

74.

tiones efformaret. Animalia autem & vegetabilia a diluvio in terræ viscera neutiquam esse deposita, fusius disputat, sed cum *Luidio* credit, semina piscium, insectorum & vegetabilium mediante pluvia & vaporibus e mari, terra & fluminibus elevari & hinc inde diffundi, donec poros & fissuras terræ cum aqua & vaporibus penetrent, atque ad requisitam altitudinem pervadant, ubi a calore subterraneo foecundata pro matricis congruentia modo in integrum animal vel plantam, modo in partem solam propullulant. In Classe tertia *Lapides figuratos petrificatos* complectitur, qui sunt corpora ex natura sua alterius substantiæ in substantiam lapideam mediante petrificatione commutata vel crusta lapidea obducta, & modo animalia, modo vegetabilia eorumve partes, modo figuras vel regulares, vel irregulares repræsentantia. In his de Tesseris lusoriis lapideis Badensibus differens, utrum arte hæ sint factæ, & studio extra Badam per hunc terræ tractum disseminatæ, an vero a natura ludendi artemque imitandi nonnunquam avida productæ fuerint, certe asserere vix audet; priorem enim opinionem dissuadere videtur tam longa annorum series, per quam huc usque ad multa millia fuerant collectæ; impossibilitatem autem posterioris sententiæ tollit ipsa natura, quæ jam e materia lapidea plura corpora nobilitate structuræ & ipso artificio tesserarum figuram longe superantia produxit: obstare tamen videtur nulla imaginabilis causa numerorum in his lapillis cubicis debito ordine & situ distributorum; cui accedit, in pluribus adhuc observari fibras ossium, e quibus primo elaboratæ erant, quam tamen difficultatem ebur fossile in monte Legerio frequenter obvium & in suas quasi fibras osseas distinctum eluderet. In Classe quarta depingit *Lapides figuratos intortos*, quorum orbes serpentum in modum in se convolvuntur, & *Ammonis Cornua* vocantur, ad quam pariter referendi sunt *Nautilite*, ob eundem circumvolutionis modum. Illorum generationem rejicit in semina conchitularum Anomiorum, materiæ in figuram Cornu Ammonis jamjam formandæ commixta, & cum hujus semine simul foecundata, quorum vis plastica materiam dispositam sibi que necessariam in figuras a natura præfixas efformavit,

re-



reliqua femini Cornu Ammonis relicta, quæ nullis conchularum feminibus imbuta facile in figuram contento femini propriam expandi poterat. Armaturam vero horum, ut & aliorum lapidum, (quam materiam aliquam splendentem tenuissime hinc inde expansam, colore suo modo aurum, modo argentum, modo plumbum referentem vocant) in ipsa lapidis generatione produci putat, dum nimirum materia sulphurea subtilissima sale fuso & splendente, a quo nitorem suum acquirit, imprægnata & ad coagulationem lapideam subeundam minus apta in arctissima lapidescentis materiæ constrictione exprimitur quasi & ad superficiem lapidis efflorescit, in qua ab ambiente aere condensatur, & in tunicam hanc tenuem convertitur, quæ propter admixta transparentia & ad minima resoluta salia splendet, & pro diversitate dispositionis sulphuris nunc ad aureum, aliquando ad argenteum, vel etiam plumbeum colorem vergit. Refert itaque majora Cornua Ammonis e Spondylolithis conflata ad serpentum spinas, a femine in terra ex materia lapidescente productas, minora vero vel ad certos quosdam vermes, aut alia hujusmodi insecta marina, quorum sceleta aut ipsas exuvias sat pulchre repræsentare videntur. Concamerata vero e spondylolithis itidem construi asseverat, sed alterius speciei, cum a diverso femine producta sint, adeoque non minus ad spinas prædictorum animalium reducenda esse, ac ea, quæ e puro lapide & quacunque alia figura destituto conflantur, in quibus licet vestigia spondylolitharum non appareant, probabiliter tamen adsunt, sed ab abundantia materiæ lapidescentis obruta. In Classe quinta sistit *Lapides figuratos intortos turbinatos*, quorum orbis cochlearum in modum producuntur, & *Cochlitæ* vocantur. In quibus quoniam nulla vestigia concharum deprehenduntur, illos in terra a peculiari femine generari autumat. In Classe sexta *Lapides figuratos turbinatos, belicem non habentes*, & ad figuram globi vel pyramidis aut cylindri accedentes delineat. Ubi de ætite obiter, quanquam in Helvetia non reperiatur, quædam commemorat, eumque lapidem peculiaris speciei vocat, cujus materia ob diversam suam dispositionem non simul in substantiam lapideam concrevit, sed

p. 103.

117.



plerumque primo illa, quæ superficiæ proxima est, vel quod liquor lapidificus non ad centrum usque penetret, vel non sufficienti sale lapidifico imbutus sit ad indurandam simul omnem materiæ substantiam; hæc interim dum petrefit, constringitur, & constrictione sua cavitationem efformat, quæ in Geode deprehendi solet, non immutata marga seu argilla, in ea contenta. Si vero liquor lapidificus externa substantia jam petrefacta ad centrum usque se insinuet, vel urgeatur, lapidem Callimum efformabit, qui cum in petrefactione pariter contrahatur, interna cavitas amplior evadit, ita ut concussus sonum majorem edat. Nonnunquam ipsa materia contenta ita potest esse disposita, ut activitatem liquoris lapidifici prorsus eludat. In Classe septima

p. 135.

*Lapides figuratos bivalves*, qui *Conchite* vocantur, proponit.

159.

Classi ultimæ *Lapides figuratos tubulosos*, qui *Turbite* appellantur, cum quibusdam aliis variè compressis, inflexis & inter se complicatis destinat.

Appendicis loco duas Observationes adnectit Autor Clarissimus, memoratu dignissimas, quarum prior Virum quinquagenarium calculi doloribus cum sævis symptomatibus vexatum respicit, in cujus rene sinistro duo, in dextro tres, quorum maximus rarissimus fuit, calculi post mortem reperti fuerunt. Quatuor minores e meris minimis spiculis triangularibus vel etiam quadrangulis & acuminatis coagmentati videbantur; unde eorum extima superficies ex hujusmodi spiculis conflata inæqualis erat, & superficiæ fragorum maturantium simillima. Delitescerant in substantia renum glandulosa, in qua sibi cellulas efformaverant, favorum cellulis non absimiles; figura subrotundi erant, & paululum compressi, rufoque colore, vel flavescente tincti, magnitudine vero omnes ad nucem avellanam majorem accedebant. Maximus calculus parte sua subrotunda spiculis crystallinis obsita integram pelvis cavitationem occupabat, reliqua vero acuminata ad spicula crystallina usque substantiæ renis glandulosæ inhærebat. Magnitudine & figura similis erat iconi in Tab. II Fig. I exhibitæ, & pondere dimidium uncie cum scrupulis duobus æquabat. Spicula externa & superficiem partis subrotundæ exornantia quoad colorem,

TAB. II.

Fig. I.

splen-



Fig. 1.



Fig. 3.





Fig. 2.









splendorem, diaphaneitatem & figuram cum crystallo montana vel aliquo selenite crystallino conveniebant. Spatiola vero inter spicula crystallina relicta quoad substantiam & colorem minoribus lapillis similia erant. Color autem partis acuminatæ & spiculis destitutæ saturatior fuit & nonnihil ad ruborem vergebat. Posterior observatio Anatomica est, duarum costarum bifurcatarum, tertiæ scilicet dextri, & quintæ sinistri lateris; TAB. II. vacuum a cruribus costarum divaricatis relictum membrana crassa Fig. 1. & valida a pleura & ipso costarum periosteo ortum suum trahente, occlusum erat, per quam omnis generis vasa disseminata observantur. Crura interim costæ bifurcatæ parum minora tam quoad latitudinem, quam quoad crassitiem, erant ipsa costa, e qua emergebant.

*PISCIUM QUERELÆ ET VINDICIÆ EX-*  
*positæ a JOHANNE JACOBO SCHEUCHZERO, Med. D.*  
*Acad. Leopold. & Societatum Angliæ ac*  
*Prussicæ Membro.*

Tiguri, sumtibus Autoris, 1708, in 4.

Plag. 5 & Fig. ænear. Tab. 5.

**I**N scenam hic producuntur pisces, muta alias natantium turba, querelas deponentes coram throno veritatis, vindicaturi, quod ipsis competit, & injuste rapuit vel male-sana Philosophia, vel grassatura ad Monarchiam Mineralium invidia, vel temporum ipsorum injuria. Scilicet effodiuntur hinc inde ex terræ gremio lapides, qui modo piscium partes, modo solam eorum figuram squamatam, raro officula quædam vel spiculas exhibent. Ad quod naturæ regnum hæ figuræ & reliquiæ sint referendæ, non una Autorum hæctenus fuit sententia. Epicurei & Ideistæ imprimis hic refutantur; quorum illi ex fortuito atomorum concursu has figuras, pisces mentientes, ortas crediderunt, hi vero feminibus in aere, pluviis, aquis natantibus, ad terræ abyssum depositis, atque ubi commodum locum invenerunt, incrementum nactis, earum originem acceptam ferunt. Ipsi vero pisces sui generis reliquias eas pronuntiant, di-

lu-



lucii universalis testimonia. Tum enim in pulmentacea massa terraquea nataſſe exiſtimant juxta animalia alia & homines horumque partes piſces integros & a prævia ſaxorum, lignorum aliorumve corporum collisione in fruſta diſcerptos; nataſſe vertebraſ, nataſſe pinnaſ, capita, caudaſ, ariſtaſ, & una cum terreſtri materia deorſum tractaſ in ſubſiſtencia illa, ſtratorum formatrice; atque veſtigia ſua impreſſiſſe lapidibus, tum adhuc mollibus & lutofiſ; piſces denique computruiſſe, in alimentum poſtea plantiſ impenſoſ. Pro cujuſ rei teſtimonio varioſ Noſter allegat & depingit lapideſ, lucioſ, percaſ, capitoneſ, gloſſo-petraſ, rectiſ denteſ carchariae dicendos, albuſaſ, rhomboſ, paguroſ, entalia, veneriſ conchaſ, truttaſ, alioſque piſceſ illorumque exuviaſ, vel figuraſ exprimenteſ; imo ex regno vegetabili & animali varia pro illuſtranda re adducuntur. Unicum noſ ſpeciminiſ loco capitoneſ in lapide ſiſſili Oningenſi ex Muſæo Nobiliſ Domini Capitanei Henrici Zollerii benevolo Lectori ſiſti-muſ. Vide Figuram 3 in Tab. II.

TAB. II.  
Fig. 3.

*AEROMETRIÆ ELEMENTA, IN QUIBUS aliquot Aeris vires ac proprietates juxta methodum Geometrarum demonſtrantur; Autore CHRISTIANO WOLFIO, in Academia Regia Fridericiana Mathematicum Profefſore.*

Lipiæ, apud hæredes Lanckſchianoſ, 1709, in 12.

Conſtat plag. 16 & Tabb. æn. II.

**P**Rodit modo e prelo Cl. Wolfii, Collegæ noſtri ſæpiuſ laudati, opuſ doctiſſimuſ, cujuſ recenſuſ ſine mora Orbi erudito communicandū duximuſ. *Philophia* ipſi eſt reruſ poſſibiliuſ, quatenuſ poſſibileſ ſunt, ſcientia: quæ definitio utut nominaliſ, adeoque arbitraria exiſtat, oſtendit tamen in Præfatione, quod non ſine ratione eandem ita formaverit, arbitrio ( prout in talibuſ opuſ eſſe judicat ) per legeſ ſapientiaſ limitato. Quemadmodum vero hæc definitio ad Philophiaſ excellentiam & ſcientiaruſ humanaruſ imperfectionem demon-



monstrandam, adeoque ad nonnullorum fastum retundendum & aliorum ignaviam tollendam una omnium optime eidem conducere videtur, ita & quam maxime claras ac distinctas omnium disciplinarum notiones inde quam facillime per modum corollariorum derivari arbitratur. Sic *Physicam* definit per scientiam eorum, quæ per vires corporum naturalium possible sunt. Atque hinc Physici imprimis esse concludit, vires corporum naturalium metiri, & leges, juxta quas effectuum quantitates in dato quolibet casu computentur, stabilire. Hanc Physicæ partem, quam Dynamimetriam appellat, eam esse contendit, unde veritatum Physicarum certitudo potissimum pendeat, & per quam perfectum in creaturas dominium felicissime obtineatur, cum viribus earundem ad datum effectum pro arbitrio suo producendum uti valeant ista cognitione instructi. Eius vero neglectum præcipuam causam esse probat, cur Physici plerumque hypothesebus, hoc est, levibus quibusdam conjecturis contenti esse debeant, & usus virium creaturarum plerumque nullis regulis adstringatur. Methodum ut integræ Philosophiæ, ita & Physicæ congruam maxime censet eam, qua hactenus Mathematici fere soli sunt usi, quæque a notionibus distinctis & satis adæquatis rerum pertractandarum exponendis orditur, mox ad earundem realitatem sive a priori, sive a posteriori stabiliendam progreditur, & cum ex notionum possible collatione alia deducit, nihil admittit, nisi quod in iis evidentissime contineri perspicitur, ac tandem theorias demonstratas ad certam & sufficientem problematum solutionem transfert. Verioris igitur Physicæ specimen juxta eam, quam sibi formavit, ideam & methodum modo laudatam in aeris proprietatibus ac viribus explorandis exhibere ipsi placuit. Etenim per *Aerometriam* intelligit scientiam metiendi aerem; *metiri* autem ipsi idem est, ac quantitatem aliquam pro unitate assumere, aliarumque homogenearum ad eandem rationem exprimere: ut adeo, qui aerem metitur, gradus proprietatum ac virium ejus exacte determinare debeat. Notat notiones generales eorum, quæ omnibus entibus competunt, in Philosophia prima evolvi atque veritates universalissimas, adhibitis (sicubi opus fuerit)



principiis Mathematicis, ex iis deduci debere : quoniam tamen id hactenus præstitum non est, ideo ipse in scholiis quasdam leges metiendi generales explicat, quibus in subsequenti- bus utitur. Demonstrat imprimis, cur & quando effectus vi- rium productricium mensuræ esse queant, atque hoc ipso Ma- theseos in Philosophia prima usum comprobat. Ceterum, cum Philosophiæ primæ sit, generales possibilitatis leges interpretari, ægre fert, quod a recentioribus Philosophis prorsus abrogata fuerit ; quam potius emendandam esse censet. Ad hanc e- mendationem conducere arbitratur methodum notiones gene- rales a casibus specialibus abstrahendi, itemque methodum par- ticulares veritates ad universales revocandi, & ideo utramque exemplo illustrat. Quoniam itaque distinctam actus metien- di notionem evolvit, non poterat quoque non inter barome- trum & baroscopium, thermometrum & thermoscopium, hy- grometrum & hygroskopium, manometrum & manoscopium distinguere, utut hæ voces pro synonymis vulgo habeantur. Baroscopia enim, thermoscopia, hygrocopia, manoscopia in- crementa & decremента gravitatis, caloris, humiditatis, densita- tis aeris utcunque indicant ; reliqua vero instrumenta eadem metiuntur. Axiomatibus ex præmissis definitionibus erutis ex- perientias ( vulgo experimenta vocant) annectit, iisque ad aeris existentiam, compressibilitatem, elaterem, gravitatem, æquili- brium cum aqua atque mercurio ; rarefactionem & condensa- tionem tam aquæ, quam aeris, funium ac chordarum alteratio- nem per humiditatem & siccitatem &c. probandam utitur jux- ta legum tenorem, quas ipsemet sibi statuit in Actis anni superio- ris p. 163 & seqq. Jactis hisce principiis propositiones demon- strativas sub lemmatum, theorematum & problematum titulis superstruit, additis ubique multis corollariis atque scholiis. In problematum resolutione sæpissime Analyfi speciosa utitur, ut- ejus in Philosophia, naturali præfertim, usum commonstret. In scholiis inventores cum cura annotat : odit enim illorum morem, qui vel clanculum alienis inventis inhiant, dum Au- torum nomina reticent, vel palam sibi tribuunt ab aliis dudum reperta. Quæ vero in istis propositionibus earumque corolla- riis



riis ac scholiis de aere demonstrantur, vel ejus elaterem, vel gravitatem, vel compressionem, vel condensationem, vel dilatationem, vel rarefactionem, vel raritatem, vel densitatem, vel motus varios, vel denique altitudinem, ac soliditatem totius atmosphære concernunt. Prolixum nimis foret singula indicare, quæ in his Aerometriæ elementis demonstrantur ( qui enim Geometrarum utuntur methodo, paucis plagulis plurima comprehendunt; ) aliqua igitur delibasse suffecerit. Notissima sunt instrumenta ad aeris proprietates examinandas hactenus inventa, baroscopia scilicet, thermoscopia, hygrocopia, manoscopia, antlia pneumatica, quibus Cl. Autor *Anemometrum* suum addit. Eorum non modo varias constructiones ex demonstratis aeris proprietatibus ac viribus eruit, defectus recenset, iisque subinde mederi conatur Noster; sed imprimis regulas affert, quæ certum magis & accuratum illorum commonstrant usum. E. gr. notum est ops antliæ pneumaticæ aerem vasis inclusum dilatari & comprimi posse. Ostendit Autor post *Bernoullum* & alios, quomodo ista dilatatio certis legibus adstringatur, & idem circa compressionem molitur. Facilius tamen est regula ipsius ex data ratione aeris primitivi ad residuum una cum capacitate vasis & numero agitationum emboli capacitatem antliæ inveniendi, quam *Varignoniana* in Commentariis Academiae Regiæ Scientiarum A. 1705. Poteris igitur construere antliam datæ perfectionis, hoc est, quæ per quemlibet assumptum agitationum emboli numerum aerem in data ratione dilatet atque comprimit, & contra ex cognita antliæ tuæ diametro & longitudine computabis numerum agitationum emboli ad aerem in data ratione dilatandum & comprimendum requisitum: & ita porro. Ita exemplo Dn. *Amontoni* per varias thermoscopii mercurialis cum *Florentino* comparationes quantitatem variationis in altitudine mercurii ab influxu caloris pendentem computare docet, ut baroscopia tanquam barometro uti liceat. Considerat tubum Torricellianum inclinatum, recurvum atque inversum ( qui ex tubo recurvo & vasculo pseudo-conico superiorem locum occupante componitur ) ut appareat, utrum in iis aliquid præsidii ad baroscopia




perficienda reperire liceat, nec ne: id quod in inverso se reperisse confidit. Ne mercurius in vasculo baroscopii stagnans mutationes altitudinis ejusdem in tubo minuatur, diametrum vasculi inter duplam scalam & quadratum diametri tubi mediam proportionalem esse debere commendat. Varia circa repletionem baroscopiorum notat, & experimento comprobatur, aerem per poros ligni libere circulari. Fieri nimirum curavit campanam ligneam; quantacunque autem adhibita diligentia & circumspeditione obtinere haud potuit, ut, aere ex cavitate per antliam ducto, catino adhereret: quod tamen in vitreis ad primam emboli agitationem accidebat. Thermometrum adhuc desiderari demonstrat, & thermoscopium *Renaldinianum* Tom. 2 Suppl. p. 453 horum Actorum propositum *Florentino* nequaquam perfectius existimat. Baroscopium staticum, quod *Boyllus* post *Guerickium* commendavit, a nobis in Actis A. 1693 p. 303 indicatum, manoscopium esse ostendit, simulque monstrat quomodo instar manometri eodem uti valeamus: qua occasione, etiam de manometro *Varignoniano* in Actis A. 1706 p. 306 & 307 descripto differit. Hygroscoopiis haecenus detectis ne eam quidem perfectionem tribuit, quam thermoscoopiis concedit: nihil enim hac in parte inventum huc usque credit, quod sit satis exactum, sique diuturni fuerit usus, satis constans. *Anemometri* sui, hoc est, machinae vires ventorum metientis (cujus possibilitatem praeter demonstrationem Autoris ipse quoque eventus in ea, quam sibi fieri curavit, idea materiali confirmavit.)

TAB. III. talem constructionem prodit. Construantur, inquit, alae ABCD, Fig. 1. 2. 3. quales in molendinis ventorum vi agitandis adhibere solent, multo tamen minores, & a plano verticali sub angulo  $54^\circ$  circiter reclinandae. Axi, cui alae infiguntur, aptetur etiam cochlea perpetua EF, quae circumvoluta deprimit dentes rotae stellatae GH. Axi per centrum transeunti infigatur ad angulos rectos brachium satis longum IK, in medio canaliculi instar excavandum, ut intra cavitatem pondus plumbeum L sursum deorsum libere moveri queat, cui ex altera axis parte aequibretur minus y, sitque brachii majoris longitudo in quotlibet partes aequales divisa, quarum singulae radio axis aequantur.

Deni-



Fig. 4.









Denique eidem axi in M infigatur brachio IK ad angulos rectos index MN extra cistam, cui rota stellata cum cochlea includenda, prominens & ex centro axis in pariete cistæ exterioræ describatur circuli quadrans in  $90^\circ$  divisus, ab indice ascendente vel descendente indicandos. Cochleam perpetuam EF ideo adhibet, quod cessante impetu venti, pondus relabi non permittat: hinc enim, machina per noctem vento exposita, mane angulum elevationis, maximum venti impetum in alas indicantem, notabis. Et quoniam alæ aliquoties revolvuntur, antequam pondus sufficienter elevatur: impetum quoque satis concipere valent, antequam motus sistatur. Quod si desideras, ut machina sua sponte alas vento constanter obvertat, cistæ ST ad angulos rectos affigi jubet asseratum POQR in OP paulo latiore, quam in QR. Datis angulis elevationis in eadem vel diversis a centro axis distantis, semper determinatur ratio virium ventorum pondus sub datis angulis elevantium juxta regulas ab Autore traditas. Ceterum idem non ignorat, quod, si externa machinæ structura immutetur, ejus usus ad vires quascunque machinis agitandis impendi solitas metiendum extendatur: & si in aquis fluentibus talia experimenta sumerentur, qualia forsitan ipse alio tempore daturus, quin per ea regulæ reperiri queant, constructionem molendinorum aquaticorum certis legibus adstricturæ, nullus dubitat. Expertus est *Mariotte*, experti sunt post ipsum alii, aerem comprimi in ratione ponderum: demonstrat Autor, id unice fieri debere, si cetera semper paria intelligentur. Aer compressus dum sese expandit, certos producit effectus, ex. gr. aquam per orificia tubulorum salire facit: suppeditat Autor methodos inveniendi effectum aeris in dato compressionis gradu, & vice versa gradum compressionis ad datum effectum producendum, e. gr. aquam ad datam altitudinem propellendi, requisitæ. Sic si fuerit capacitas antliæ  $= a$ , numerus agitationum embolli  $= n$ , capacitas vasis  $= v$ , aer primitivus  $= z$ , altitudo mercurii in tubo Torricelliano intra aerem primitivum  $= c$ , altitudinem intra dilatatum, utendo logarithmis, reperit  $bc + nlv - nl(a + v)$ . Premit aer corpora, harumque pres-



surarum insignes sæpissime sunt effectus. Tradit itaque Autor  
 regulas illorum quantitatem exacte computandi. Diffringun-  
 tur vasa, si ope antliæ aerem in iisdem vel comprimam, vel ex  
 iisdem educas : quantitatem virium ad utrumque præstandum  
 necessariorum accurate inquirat Autor. Facile experiri potes,  
 & ille a priori demonstrat, si vas exigui orificii non plenum in-  
 vertatur, sub initium in ipsa verticali suspensione certam liquo-  
 ris quantitatem effluere, reliqui vero ne guttulam minimam  
 succedere; quanta sit in quolibet casu liquoris expulsi portio,  
 via ipsius indagabis. Constat similiter, & ab Autore denuo a  
 priori demonstratur, si vas quodcumque perpendiculariter sub  
 aqua, aut alio quocumque fluido submergatur, aerem intra  
 ipsum comprimi certamque fluidi quantitatem cavitatem ejus  
 ingredi: ipsum secutus gradum compressionis reperies, quan-  
 titatem fluidi ingressi determinabis, immo profunditatem defi-  
 nies, ad quam orificium vasis deprimendum, ut aer intra ipsum  
 in data ratione comprimatur. Et quoniam ob frigus fluidi aer  
 in vase submerso condensari, vel ob calorem ejus rarefieri valet,  
 effectum condensationis ab effectu compressionis, & quantum  
 rarefactio compressioni obsit, discernere docet. Elater aeris in-  
 tenditur tum per compressionem, tum per rarefactionem: quæ  
 intensio ut ad calculum revocari possit, demonstrat Autor; elateres  
 duorum voluminum aeris compressi esse ad elaterem dilatati in  
 ratione voluminum reciproca, & in ratione directa massarum  
 sub eodem volumine; elaterem, quo aer rarefactus expanditur,  
 esse ad elaterem condensati uti volumen rarefacti ad volumen  
 condensati. Venti genesis per æquilibrii sublatio-  
 nem in voluminibus aeris contiguis explicat, variosque enume-  
 rat modos, quibus ea fieri possit, & singulos in scholiis expe-  
 rientiis confirmat. Non tamen asserere audet, omnes a se  
 recensitos esse; quin plures potius adhuc superesse suspicatur:  
 ubi disquisitione dignum judicat, utrum ex mutua Telluris, So-  
 lis atque Lunæ in se invicem gravitatione oriri queat ventus,  
 nec ne? quemadmodum fluxum & refluxum maris inde pro-  
 ficisci post *Keplerum* monstravit *Newtonus*. Ut vero de illa æ-  
 quilibrii sublatione rectius judicari valeat, regulas proponit, per  
 quas



quas definitur celeritas, qua aer in locum irruit, ubi vel nullam, vel elatere suo inferiorem resistantiam invenit. De altitudine, consequenter & soliditate atmosphæræ, certi quid statuere veretur ob insufficientiam methodorum, quibus hoc negotium hæctenus tentatum, ab ipso fusius delineatam.

*DISQUISITIO HISTORICO - PHILOLOGICA de Candelabri Mosaici admirabili structura, ejusdemque positu in Sancto, Auctore M. JOSIA HENRICO OPITIO, Ordin. Philos. Kilon. Adjuncto.*

Jenæ, apud Jo. Phil. Lindnerum, 1708, in 4.

Constat 8 plag.

**Q**uatuor Sectionibus totum hocce de Candelabro argumentum quam commodissime absolvi posse judicat Cl. Autor, quarum *prima* admirabilem candelabri hujus structuram, *altera* ejusdem positum in Sancto, *tertia* sacerdotum circa illud munia, & *quarta* denique secretam illius mysticamque rationem exponeret, prout hæc in Prooemio latius deducuntur. Ex his duæ priores hac vice comparent, reliquis duabus in aliud tempus reservatis.

In prima, adductis Scripturæ locis, in quibus forma candelabri exhibetur, Exod. XXV, 31-40, XXXVII, 17-24, Num. V, 1-4 ipsas candelabri partes recenset, quas Scripturæ ductu septem constituit, *basin, scapum, ramos, lucernas, crateres, mala & flores*, easque ulterius in principales & minus principales dispescit: ad illas refert quatuor priores, *basin, scapum, ramos* atque *lucernas*; ad has autem tres posteriores, *crateres, mala & flores*, quippe quæ ornatus tantum gratia hastili ac ramis candelabri fuerint addita. Circa pedem seu basin candelabri duo potissimum inquirat, ejusdem videlicet denominationem atque formam. Per vocem  $\text{קַרְנֵי}$  in fonte pedem candelabri designari extra controversiam positum esse putat, quicquid etiam in contrarium Interpretes quidam statuunt: minus vero, qua translatione aut qua alia ratione denominatio femoris funda-



damento candelabri competat. Ipse rejectis aliorum, speciatim Ariæ Montani, atque Villalpandi conjecturis, tertium comparationis in eo constituit, quod candelabrum æque sustentatum sua basi ac pede fuerit, atque animal suis pedibus, femore, ac lumbis sustentari communiter solet. Formam vero ejus quod spectat, in eo omnes consentire Judæos asserit, candelabrum tribus tantum pedibus pavimento instituisse. An vero ex junctura trium pedum stipes immediate prodierit, an potius tres isti pedes aliam quandam basin convexam, ex inferiori parte concavam sustinuerint, non æque inter omnes constare. Prius calculo suo approbare videtur Maimonides cui pollicem quoque premunt R. Abraham Aria Mutinensis & R. Moses f. R. Gerson Chaphetz, cujus candelabri figuram æri incisam jam exhibuimus A. 1697, mense Octobri p. 450. Posterius vero tuentur Raschi, Abarbenel & R. Jehuda Leo itidem non incelebres scriptores. Ipse Auctor etsi in hac Judæorum dissensione de forma bases candelabri nihil certo determinare ausit, præfert tamen posteriorem sententiam, utpote probabiliorem priori, eoque nobiscum communicavit delineationem in Fig. 4 conspicuam. Explicato scapo, quem non ob concavitatem, sed ob cannæ figuram externam קנה dictum esse putat, lucernarum formam oculo humano similem fuisse existimat. Deinde disquirat, quid per צביעים משקרים crateres amygdalatos in fonte designetur: ubi collatis variorum hac de re sententiis, probabiliorem illam esse judicat, quæ vocem משקרים ad solos crateres refert, atque de singulari quodam illorum ornamento exponit. Qua occasione aliqua lectu haud indigna de antiquis Græcorum ac Latinorum poculis anaglyphis & cataglyphis adducuntur. Ratione formæ craterum candelabri ex Maimonide & Isacide observat, quod fuerint oblongi, in parte superiore lati, in inferiore autem angusti, instar poculorum Alexandrinorum, quæ vocari alias lingua exotica מריר"נש solebant. De numero denique illorum addit, quod in universum XXII crateribus candelabrum fuerit instructum. Alterum porro Candelabri ornamentum כפתרים appellatum, quæ vox diversimode quidem ab Interpretibus redditur, optime tamen per *poma* seu *mala*, eaque non exacte rotunda, sed

TAB. III.  
Fig. 4.



sed aliquo modo oblonga instar ovi volucris cum Judæis exponit. In numero pomorum candelabri assignando etsi doctores non leviter inter se dissideant, Auctor tamen cum Judæis undenarium defendit, quem & ex ipsa Scriptura deducere conatur. Superest tertium candelabri ornamentum, quod per פרחים in fonte significatur: quæ vox licet admodum generalis sit, & quascunque florum species designare possit, hoc tamen loco optime cum Maimonide, Josepho, & LXX per *lilia* redditur, quæ & in suo schemate ad favorem Regis Galliarum captandum retinuerunt Judæi Parisienses, si Philippo Aquino in libello de castrametatione Israelitarum, Gallice conscripto, fides est tribuenda. Quod vero octo tantum liliis candelabrum fuerit ornatum, contra Judæos, novem tuentes, ex Scripturis liquido Auctor demonstrat, tandemque concludit, candelabrum non nisi XLI in universum ornamentis fuisse instructum, viginti duobus scyphis, undecim pomis, & octo floribus seu liliis, secus atque Josephus A. J. l. 3, c. 7, p. 83 statuât, qui contra expressam Scripturæ literam & totius antiquitatis Judaicæ consensum, non tantum ipsa ornamentorum genera, sed & numerum eorundem nimium auxerit, septuaginta in universum ornamenta candelabri requirens: cujus adeo sententia prolixè refutatur, quamvis Villalpandus atque Scachus eandem conciliare cum Scripturis laborent. Enarrato hinc ordine & dispositione, quam partes hæ servabant, eos quoque absque censura non dimittit, qui non tantum in lucernarum dispositione, sed & in totius candelabri structura miris modis a Judæis dissentiunt, speciatim vero, qui nullum prorsus inter ornamenta spatium nudum atque planum volunt agnoscere, cum tamen vel maxime ad elegantiam pertineret candelabri, ut stipes inter scyphos, poma ac flores esset glaber, ita ut glabrities vel ad palmum, vel ad duos palmos extenderetur, prout ornamenta essent frequentiora. Pretium tandem lychnuchi sacri, aureorum circiter 12000, juxta sacri talenti computum, unde totum candelabrum una cum lucernis ac omnibus ad ipsum pertinentibus instrumentis fuit productum, ex loco Exod. XXV, 39, quicquid etiam alij dicant in contrarium, fuisse statuit.



In altera Sectione positus Candelabri inquiritur, ubi tanquam certum atque exploratum supponitur, in Sancto illud una cum mensa panum propositionis atque altari suffitus locum suum occupasse, cum id non tantum Exod. XL, 22. seqq. aperte satis memoretur, sed & idem confirmet Apostolus Paulus Ebr. IX, 2. Quo evicto determinatus singulis locus assignatur, mensæ quidem in parte aquilonari, candelabro vero in meridionali latere, medius vero inter utrumque locus altari suffitus tribuitur, ita tamen ut ab adyto reliquis aliquanto remotius, atque inter mensam ac candelabrum *מִן הַמִּזְבֵּחַ לְמִן הַמִּזְבֵּחַ* forinfecus quodammodo protractum esset. Cum vero hac ratione nondum certo constet, quorsum candelabrum ramos suos sparserit, an inter orientem & occidentem secundum longitudinem, an vero inter austrum & aquilonem secundum latitudinem Sanctuarii, Auctor adductis pro utraque sententia & testimoniis & rationibus Judæorum, tandem cum R. Eliezare & Maimonide pro posteriori concludit sententia, eandemque contra acrem Maimonidis animadversorem R. Abraham Ben David ex R. Josepho Karone vindicat. Tandem, positu candelabri Salomonis indicato, etiam quædam de candelabro secundi Templi subjungit, quod unicum tantum fuisse contendit, ab Antiocho Epiphane quidem raptum, cujus tamen loco aliud a Juda Maccabæo fuerit substitutum, 1 Maccab. I, 23, IV, 49.

*VINC. PLACCII, ꝑ. U. L. PHILOS. PRACT.  
& Eloqu. in Gymnasio Hamburg. Professoris, Theatrum  
Anonymorum & Pseudonymorum cum Præfatione & Vi-  
ta auctoris per JO. ALBERTUM FA-  
BRICIUM descripta.*

Hamburgi, sumptibus viduæ Godofr. Liebernicketii, 1708, fol.

Constat Alph. 17.

**A**Nnus agebatur M DC LXXIV, cum Vir celeberrimus, Vincentius Placcius de Scriptoribus anonymis atque pseudonymis Syntagma primum emitteret; quod cum viris eruditis non adeo displicere intelligeret, & alii quoque summæ dignationis



Viri per literas ipsum excitarent, ut, quod auspiciatus erat argumentum, latius deduceret, haud difficilem se præbuit, denuoque ad supplendum & exornandum opus accinxit. Ne vero, quod moliretur, obscurum & minus cognitum esset cœtui literario, publice id intimavit, emissa A. 1689 invitatione amica ad illustrem Magliabecchium ceterosque eruditione ac fama conspicuos Viros, in qua operis sui structuram partesque non recenset modo, sed & longe plurimos auctores exhibiturum se promittit, addita insuper obsecratione, ut & ceteri ea in re sibi adjumento forent. Qua re id effecit, ut interea temporis alii hujus studio excitati eundem in se laborem susciperent, inter quos numeramus Joannem Deckherrum, Paulum Vindingium, Petrum Bælium, Angelicum Aprosium, qui sub Joannis Petri Jacobi Villani nomine latere voluit, Joannem Albertum Fabrum sive Fabricium, Hadrianum Bailletum & venerandum Joannem Fridericum Mayerum, qui vel dissertationes vel opuscula eo de argumento ediderunt: alii in transmittendis symbolis suis perliberales erant, qui, quicquid ea de re collegerant, fideliter ac sine mora cum Placcio nostro communicarunt. Etsi vero postea ipse Placcius minimum temporis huic studio impenderet, plurimamque in doctrina morum excolenda consumeret ætatem, in tantam tamen molem opus excrevit, ut quæ dederat promissa, longe sit supergressus. Nam cum in publica illa Invitatione ultra quater mille detecturum se recepisset, his plus quam sex mille produxit, & Anonymos quidem MM DCC LXX, quibus adjunguntur DXIX Hebræorum scriptorum monumenta, nullo aut conficto nomine evulgata, & a doctissimo Gabriele Grodeckio collecta, additis etiam Georgii Elieseris Edzardi & Laurentii Normanni doctis observationibus. Pseudonymorum vero in hoc opere sunt MM DCCC XXX, in quibus colligendis & aliorum industria accessit, nempe Joannis Dicmanni, Laurentii Normanni, Joannis Molleri, Christiani Junckeri aliorumque clarissimorum Virorum, quibus etiam partes quæque in opere fideliter adscribuntur. At dum de typographo cœpit circumspicere Placcius, ipse humanis rebus A. 1698 exemptus est. Commendatum inde est opus Viro illustri, Gerhardo van Ma-



Fricht, Bremensis urbis Syndico percelebri, qui ipsemet  
 pro humanitate sua ac doctrina, qua pollet, non pauca  
 ad opus exornandum contulit: sed neque ille in Belgio &  
 Germania per septennium nancisci potuit, qui opus hoc sumpti-  
 bus suis excuderet. Unde spe sæpius fallente Hamburgum  
 remissum, summe reverendi & consultissimi Viri, Matthæi Dreie-  
 ri, J. U. D. & Canonici Hamburgensis, qui una cum Mastrichtio  
 aliisque testamenti Placciani curator constitutus est, liberalitate  
 & auspiciis a tenebris demum & situ vindicatum nunc prodit.  
 Et præmisit quidem ipse laudatus Dreierus de scopo hujus ope-  
 ris Commentationem, tum Joannis Alberti Fabricii Præfatio suc-  
 cedit, in qua partim rationes, cur auctores nullo aut ficto no-  
 mine scripserint, doctè exponit, partim scriptores, qui de ano-  
 nymis & pseudonymis ante hoc opus editum egerunt, recen-  
 set. Idem Clar. Fabricius vitam Vincentii Placcii subjunxit, cu-  
 jus natales, institutionem, mores, studia, libros tam editos quam  
 ineditos, fata & obitum eleganter describit, quæ lectorem evol-  
 visse minime poenitebit. In catalogo vero ipso Anonymorum  
 eo ordine procedit Autor, ut primum opus ad vetus exemplar  
 cum appendice expressum sistat, in quo nihil immutatum de-  
 prehendimus, nisi quod primo capiti nonnulla Placcius inserue-  
 rit: subsequuntur additiones novæ & supplementa, ubi scri-  
 ptores Theologici, Juridici, Medici, Historici, Philosophici, Mathe-  
 matici, Morales, Philologici & Poetici ordine enumerantur:  
 hos excipiunt alii auctores, qui lingua Germanica, Belgica, An-  
 glica, Gallica, Italica aliisque ingenii sui monimenta expresserunt.  
 In Pseudonymis ficta nomina literarum ordine exponuntur,  
 quod lectorem in evolutione operis non parum juvat. Post  
 hæc adduntur nonnulli scriptores de anonymis & pseudonymis  
 agentes, Joannes Deckherrus de scriptis adespotis & pseude-  
 pigraphis ac supposititiis cum additionibus variorum ad postre-  
 mam editionem Amstelodamensem excusus, nempe cum Pauli  
 Vindingii & Petri Bælii epistolis: Joannes Fridericus Geislerus  
 de nominum mutatione & anonymis scriptoribus, & Joannes  
 Fridericus Mayerus, qui dissertationem epistolicam ad Placcium  
 olim eo de argumento exaravit. Bini indices adduntur, & in  
 priorem quidem Anonymorum libri, in posteriorem vero Pseu-  
 do-



onymorum nomina ordine literarum referuntur. Sed ut de operis hujus præstantia & utilitate magis pateat, non gravabimur pauca delibare.

In Anonymis n. 760,  $\alpha$  detegitur verus auctor Idoli Hallensis, quod quondam contra Justum Lipsium prodiit, quodque nonnulli Melchiori Goldasto, plurimi vero Georgio Michaeli Lingelshemio vindicarunt: sed neutrum Noster agnoscit auctorem, quin potius Denaisio, Camerae Imperialis Assessori, librum prorsus adscribit, dicitque, Jo. Christophori Rauscheri fide, id plenius intelligi ex Lingelshemii & Bongarsii epistolis, quas tamen se nunquam vidisse dolet. Nobis cum epistolae illae ad manus sint, haud alienum putamus, quae huc faciunt, transcribere, ne amplius dubitandi sit locus. Epistola 57 hæc Lingelshemius ad Bongarsium scribit: *Denaisius noster multum debet tibi de tam amico & æquo judicio de suo libello, vides non vane me antea tibi hominis virtutes prædicasse.* Et Epist. 59: *Gaudeo probari vestris hominibus Anthallense, mitto jam utriusque formæ, quantum tabellario committi potest: merito gratulatur sibi Denaisius de successu in tam utili opere.* Num. 761,  $\alpha$  de Constitutionibus Societatis Jesu, quæ auctore Ignatio Loyola prodierunt, agit, dicitque harum versionem Latinam ex Hispanico idiomate confectam esse per Joannem Polancum, Jesuitam Hispanum. Admodum notatu digna sunt, quæ ex symbola Mastrichtiana adferuntur: „ *Constitutiones* „ *has Societatis plenissimas, novem voluminibus curarunt Patres* „ *Antverpiæ tanta sedulitate imprimi, ut semper duo Patres custodes prelo adessent, ne quod folium in alienas manus perveniret, quod etiam felicissime curarunt. Hæ Constitutiones* „ *non cuique, sed tantum iis, qui quartæ professionis socii, cre-* „ *duntur, & qui in peregrina loca dimittuntur. Tempore* „ *Cromwelli seculo XVII ultra medium prolapsa contra edicta* „ *quidam Patres in Anglia deprehensi & carceri mancipati* „ *sunt, apud quos exemplar Antwerpiense harum Constitutio-* „ *num deprehensum, a Protectore aut ejus jussu Amstelodamum,* „ *missum, a typographo Joan. Schipper, Schipper Jan vulgo di-* „ *cto, ita accurate nova impressione repetitum est, ut Jesuitæ it-*

p. 124.

125.



p. 184.

„Iud pro suo Antwerpiensi agnoscere debuissent, ni in titulo,  
 „addita quadam forma literali peccatum fuisset. Jesuitæ cun-  
 „ctæ exemplaria a typographo memorato redimere voluerunt, si  
 „jurejurando se obstringere vellet, se nulla retenturum, quod  
 „ille recusavit. Multa enim exemplaria distracta fuere, quo-  
 „rum unum ego vidi. Credo tamen postea ipsos cetera emisse.  
 Num. 892 de auctore libri toto orbe decantatissimi de tribus  
 Impostoribus verbosius edisseritur; quæ hic quidem repetere  
 prolixum foret. Meminimus autem controversia haud ita pri-  
 dem inter Viros celeberrimos, Burchardum Gotthelf Struvium  
 & Guilielmum Ernestum Tenzelium, motam, quorum ille in Dis-  
 sertatione de doctis impostoribus negaverat ejusmodi librum  
 existare, quod si quid sub eo nomine prodiiisset, ab hominibus  
 fraudulentis esset confictum, ut alios hujus libri curiosos falle-  
 rent. Tenzelius vero in sua Bibliotheca Curiosa librum jam  
 olim editum adfirmans, testimoniis non vanis utitur, additque  
 libraria illum apud amicum quendam reperiri, qui est Jo. Gui-  
 lielmus Peterfenius. Et postea quidem ipse Struvius suam mu-  
 tavit sententiam, cum ante dicta quodammodo retractaret,  
 convictus argumento ex Campanellæ Atheismo triumphato, in  
 quod forte inciderat. At operæ pretium fuerit, quæ Collega  
 quidam noster de libro isto comperta nobiscum communi-  
 cavit, hoc loco attexere. „ Librum de tribus Impostoribus, ait  
 „ille, apud Virum reuerendum in Saxonia, M. P. offendimus a  
 „quo & obtinuimus, ut titulum libri inspiciendum nobis con-  
 „cederet. Erat Latino idiomate conscriptus liber in octava for-  
 „ma; sed neque annus, quo excusus, neque typographi no-  
 „men apparebat, typi vero ad Germanorum formas accede-  
 „bant. Omnes itaque machinas adhibuimus, ut integrum  
 „opus evolvere liceret, sed, ut est vir religiosior, constanter no-  
 „bis denegavit. Nec ignoramus, celebrem quendam Professore  
 „Vitebergensem magno pretio redimere librum voluisse, sed  
 „frustra. Cum inde non multo post Noribergam concede-  
 „rem, accidit forte, ut eodem de argumento sermonem inji-  
 „cerem apud Virum ætate & doctrina venerandum, Andream  
 „Myhldorfium, Sebaldinæ bibliothecæ Curatorem, qui bona



nobis fide fassus est, se perlegisse eundem, secum a Viro,,  
 reverendo ejus loci Wulfero communicatum. Omnia quæ re,,  
 ferebat, plane conveniebant cum iis, quæ retulimus, ut non,,  
 dubitandum sit, verum hunc esse foetum. Ex quo certo mi,,  
 hi persuadeo, nisi liber sit vetustioribus typis exaratus in octa,,  
 va forma & Latino idiomate expressus, pro spurio esse haben,,  
 dum. Certe manuscriptum illud, quod Peterfenius lingua,,  
 Italica exaratum habet, genuinum minime existimaverim.,,  
 Ipse excellentissimus Gottfridus Thomasius, Medicus Nori,,  
 bergensium non incelebris, nuperrime nobis adfirmavit, se,,  
 ejusdem farinae librum vidisse, sed quem pro vero non agno,,  
 scat. Verum de hoc argumento aliquando plenius omnia  
 perscribemus. ,, Jam ad Pseudonymos Placcii accedimus.  
 Num. 680 notatur, Epitomen universalis historiae a Joanne Clu-  
 vero sæpius editam, non esse ipsius Cluveri, sed Jesuitæ alicujus,  
 qui cum in proelio quodam occubisset, casu manuscriptum  
 ipsius in manus Cluveri pervenit, id quod patet ex inserta  
 Detlevii Marci a Frieße Epistola. Num. 1391 de Isaaci Horti-  
 boni seu Hortibonæ notis in Diogenis Laertii libros de Vitis  
 Philosophorum agitur, quæ Genevæ A. 1583, 8 prodierunt.  
 Venit hoc nomine, ut notum est, Isaacus Casaubonus, qui dein-  
 de in secundis curis verum nomen præfixit, unde notatur me-  
 rito Ravius, qui Casaubonum plagii insimulans Hortibonæ ex-  
 scriptorem vocat. Num. 2736 Francisci Ferdinandi a Troilo, E-  
 quitis Hierosolymitani, Itinerarium Palæstinæ vernacula vulga-  
 tum commemoratur, cujus compilatorem Joannem Valentinum  
 Merbizium esse constat. Num. 2867 occurrit fictum nomen  
 Bahrmund Gottlieb / qui vernacula scripsit vom Geld-  
 mangel in Deutschland / ubi Placcius ex literis Thurman-  
 ni adfirmat, Hofmannum Consiliarium Baruthinum esse  
 verum auctorem, quod & typographus libri Sueferus esset  
 professus : sed verior est fama de ipso Suefero Consiliario Ba-  
 ruthino, qui librum illum hoc ficto nomine evulgavit, & faci-  
 le in nominibus error committi potuit. Ceterum etsi lau-  
 danda sit utique Clar. Virorum industria, qui non proletaria  
 insperferunt, nullum tamen est dubium, quin plures adhuc au-  
 cto-

p. 190.

368.

598.

613.



Stores superaddi potuissent, quandoquidem bene multos nostratum aliquis collectos servat, quos, si supplementa olim petantur, denegaturum se nemini pollicetur.

## REFLEXIONS CHRETIENNES.

i. e.

## JOANNIS LA PLACETTE MEDIATIONES

*Christiane de variis rebus.*

Amstelodami, apud Petrum Brunel, 1707. 12. ch. reg.

Constat 16 plag.

**N**ON exiguum est Auctoris nomen in moralibus, quod vel ex illis, quæ semel iterumque recensuimus, ejusdem scriptis constat. Ætate licet gravis non minuit industriam, sed in præsentī quoque volumine quatuor nobis Tractatus Morales exhibet. Primus de securitate agit, quam distribuit in illam, qua securi sumus in rebus terrenis, spiritualibus, vel æternis: primam admittit, si prudenter instituat, comparando pondus mali metuendi cum gradu possibilitatis, ut loquitur, vel periculi propinquitate; secundam & tertiam pro absurdissimis habet, atque prolixè probat, longe plures hominum securitate perire, quam desperatione. Causas hujus rei numerat præter vitia doctrinæ, Epicureismum, errores circa œconomiam salutis, præsumptionem, & spem sero se convertendi, ac præterea characteres ostendit, quibus Christiana confidentia a vana securitate distingui possit, nempe cum primis examine sui; nec non consilium turpem hanc securitatem evitandi suppeditat.

Secundus Tractatus agit de usu sacrarum Consolationum, quas Auctor insigniter restringit, ac non nisi in malis terrenis admittit, sedulo eas ab excitationibus mentis ad fortitudinem & constantiam distinguens: neque enim dolores de malis spiritualibus nimios fieri posse existimat. De desiderio tollendarum afflictionum accurate p. 157 seq. disserit, ubi motus talis desiderii citra deliberationem factos non damnat, sed deliberos eosdemque absolutos. Sæpe multumque monet, non in quovis tristitiæ genere dolorem minuendum esse, sed non raro perutile homine esse, si ille augeatur, vel continuetur.



Tertio Tractatu de male impenso tempore agitur, ejusque emendationi usu; nam monitionibus generalibus præmissis, docetur tempus optime impendi in cultum Dei, usum proximi, nec non ad nos ipsos perfectiores & feliciores reddendos: inde quam parum illud a plerisque observari soleat, ostenditur, demonstraturque, pessime impendi tempus in offensionem Numinis, ornando corpus, comedendo, ludendo & Comœdiis, quibus se valde infensum præbet. His explicatis monet, se non plus æquo poscere, sed necessaria potius suadere & seculi vitia detestari.

Ultima Dissertatio tractat de conversatione & colloquiorum inter homines usu atque abusu; partitur enim illa in utilia, inutilia atque noxia. De secundo genere censet, illud omnino malum esse, quicquid alii contra sentiant, partim ob Christi effatum, partim quia re nobilissima, sermone, abutuntur vana colloquia, partim, quia turpe otium sustentant, partim quia animum insigniter dissipant. Quo loco graviter Auctor disceptat cum illis, qui moralem, quam proposuerat, doctrinam ut in aliis, ita hoc etiam in momento nimis rigidam esse ajunt. Prorsus vero non sentit, illa, quæ de rebus indifferentibus instituantur, colloquia promiscue loquendo mala esse, sed quæ citra scopum aliquem bonum instituantur. Postremo de noxiis colloquiis agit, repudiatisque illis, quæ primo adpectu abominationem merentur, edocet maximam partem sermonum tria humani generis mala, videlicet malitiosam erga alios mentem, superbiam & rerum seculi hujus nimium amorem, (quem *mundanitatem* vocat) augere. Observat inter alia p. 326, tædium illud otii, quod confabulando fallere homines student, malum adeo non esse, ut potius a Deo cum vita otiosa proxime connexum sit, velut naturalis ejusdem poena, vel tacita admonitio emendandi moris atque negotiorum frugi suscipiendorum.

*ELOGIUM EHRENFRIIDI WALTHERI A TSCHIRNHAUS.*

**A** Misit eruditus orbis Virum nomine & honore illustrem, Dominum Ehrenfridum Waltherum a Tschirnhaus, Regiæ



Majest. & Sereniss. Electori Sax. a consiliis, Toparcham in Kislingswalda & Stoltzenberg. Natus ille erat in Lusatia superiori non procul a Gorlicio anno 1651 d. 10 April. patre Christophoro a Tschirnhaus, in comitiis equestribus, quæ Gorlicii coguntur, Seniore, & Electorum Johannis Georgii I ac II Consiliario, quorum primus auream cum effigie catenam testamento ipsi legavit: matre vero Sterlingia, e Baronibus Magnæ Britanniae a Sterling & Achil, cujus splendidæ familiæ vetustas ex Epitaphio, quod Dux Christianus, Electoris Joh. Georgii II germanus Frater, in Templo Cathedrali Martisburgensi Johanni Alberto Baroni a Sterling & Achil, supremo Curiae Ducalis Magistro, Consiliario intimo, & Steurarum Directori Comitique Stabuli, in perpetuam fidelitatis suæ memoriam erexit. Locus nativitatis fuit Kislingswalda prædium ipsum avitum, quod ultra 400 annos hæc Tschirnhausiorum gens, postquam ex Moravia & Bohemia in Lusatiam emigravit, possedit. Natalium splendori respondit ingenii excellentia, quippe qua inde jam a puero ad nova quævis, absconditaque scrutanda perductus est: in domo primum paterna per aliquod tempus, postea Laubæ per tres annos privatim institutus est, inde Gorlicium abiit, ut humanioribus studiis operam navaret. Pro singulari ibidem reputavit felicitate, quod in virum Cl. Conradum incidit, Matheseos valde gnarum, qui ipsum hujus scientiæ elementa primus edocuit, vel potius indicavit. Quippe dies noctesve sponte currendo operam Præceptoris antevertit, & in latissimos quoque Geometriæ, Astronomiæ atque Astrologiæ campos exspatiatus est. Unde factum, ut varios variarum scientiarum libros conquiendo legendoque non solum linguam Latinam proprio quasi Marte addisceret; sed etiam alia, quorum expertes plerumque solent esse scholarum alumni. Anno ætatis septimo ac decimo a patre missus est Lugdunum Batavorum, ut ibi studia jam dum bene inchoata continuaret. Quæ res etiamsi feliciter cessit, adversa tamen non plane caruit Noster fortuna. Illo siquidem tempore Lugdunum venit, quo morbus epidemius Academiam vastabat, unde & ipse gravissime decubuit, & in discrimen vitæ delapsus est. Mox cum anno 1672 Gallici belli tempestas Belgium Foederatum quateret, ipse a stu-



studiis ad arma vocatus est, quo tempore tantos a Mathesi, Physica & Philosophia progressus fecerat, ut inter eruditos inclaruerit. Quapropter Illustris Baro a Niewland, Legionis cujusdam Tribunus, Eques antehac Melitensis, verioris eruditionis amator, eum pellexit, ut secum per aliquod tempus ageret. Itaque ut eo melius Viri eruditissimi familiaritate uti posset, voluntarii militis munus suscepit, & per annum semestrequē spatium sustinuit. Postea domum redux, cum nondum explevisset discendi desiderium, venia a Patre impetrata, & subsidiis a Fratre germano Georgio Albrechto a Tschirnhaus, nunc Toparcha in Obergenschönfeld, qui B. fratris mortem irapensissime luget, suppeditatis, Hollandiam denuo repetiit, inde in Angliam, Galliam, Italiam, Siciliam ac Melitam contendit, Hispaniam, Græciam & Regnum Turcicum etiam peragraturus, nisi eum difficultas & itineris pericula retinuisent. Aulam etiam Cæsaream D. Leopoldi Magni, una cum Fratre, cujus modo mentio facta, aliquandiu frequentavit. Ubivis autem in notitiam virorum doctrina ac eruditione clarorum pervenire allaboravit, quod cum optima quæque cognita & perspecta haberet, facile impetravit. Ita in Hollandia Hugonii & Huddeni amicitia usus est, in Anglia Wallisii, Newtoni, Oldenburgeri aliorumque. In Gallia, quod illa gens ad contrahendas familiaritates facilior, nullum fere cognovit virum eruditum, quin eundem & amicum habuerit; ubi etiam illustris Leibnitii, tum Parisiis degentis, consuetudine non sine voluptate usus est. In Italia ad ipsius Michaelis Riccii, qui mox Cardinalis factus fuit, & celebratissimi Patris Kircheri, cujus scripta fere omnia adhuc juvenis perlegit, amicitiam admissus est, cumque illis literarum etiam commercium habuit. Ita cum ipse Viris in Republica literaria primariis, ob ingenii acumen, gratus acceptusque esset; ipse homines plebejos, si qua in arte excellerent, ad colloquia ultro vocavit, officinas eorum lustravit, diligentiamque provocare omni opera conatus est. Cum tertia vice Parisios venisset, commendatione atque auctoritate Illustris Colberti in Academiam Scientiarum Regiam anno 1682 d. 22 Julii allectus est, cui ingenium solertiamque perpetuo probavit. Quamquam ea res invidiam illi peperit apud nonnullos, qui eum stipendiarium Regis Galliarum factum credidere, quod nescirent, ex-



traneorum neminem ad perceptionem salarii admitti; imo ne Gallum quidem, nisi Lutetiæ domicilium habeat, & conventibus Academicorum, statis diebus celebrandis, interesse possit. Postquam per 12 fere annorum spatium peregrinatus esset, domum quidem rediit, at post parvam moram denuo Belgium repetiit, ibique tractatum, quem de *Medicina Mentis* inscripsit, literis consignavit, quem & ibi amicis, quibus curam impressionis demandarat, reliquit: qui illum post aliquot annorum moram demum anno 1687 Amstelodami ediderunt, auctius postea Lipsiæ recusum anno 1695. Ceterum impense laborabat, ut promoveret bonas literas, & ut prodesset Reip. nec sumptibus parcebat, ubi erogandi fuere pro scientiarum augmento. At cum rem familiarem non sufficere posse cerneret ad ea, quæ animo volvebat, perficienda, extraneam opem circumspexit, Aulamque Saxoniam frequentare cepit. Ibi haud difficulter in gratiam Serenissimorum Electorum, Johannis Georgii II & III gloriosæ memoriæ, pervenit, & ab iis Consilarii titulum munusque obtinuit. Tandem rem eo perduxit, ut jussu & auspiciis Potentissimi Poloniarum Regis AUGUSTI, ipso auctore, tres officinæ vitriariæ, quibus hactenus Saxonia caruerat, construerentur. Arbitrabatur enim, se ita & patriæ suæ profuturum, ne nummos pro vitris peregre coemendis expendere amplius necesse esset; & Reipublicæ literariæ, quod in Physicis ulteriores progressus fieri posse negaret, nisi ante perficeretur Optica, quam valde imperfectam adhuc esse, asseverabat. Inventa autem ratione vitrum melioris notæ fundendi, ejus molem pro lubitu augendi, illud inventis novis Machinis poliendi, figuræque regulari induendi, sperabat fore, ut Opticam ad eum perfectionis gradum eveheret, quam hactenus nondum attigisset. Desiderabat autem maxime in Opticis & telescopia meliora, & microscopia, & quas imprimis feliciter procuravit, lentes vitreas prægrandes, quibus mediante Sole, corpora durissima quæque dissolverentur. Hic pro felicitate haud mediocri habuit, quod Dresdæ morandi copia obtigerit, licet ea res studiis ejus valde contraria visa esset. Ita enim factum agebat, ut in cognitionem multarum rerum pervenerit, quarum alias ignarus mansisset. Sic ibidem occasionem nactus est, & mineralia pervestigandi, & Chimi-



miam ipsam tractandi, qua exulta, nullam Physices partem reliquam sibi esse affirmabat, quam non perspectam exploratamque haberet. Et sæpe optare solebat, ut de Mathesi sibi idem prædicare liceret: in qua ob infinitas generationes atque methodos, viasque demonstrandi innumerabiles, plurima sibi imperia adhuc esse fatebatur. Atque in eo quotidie allaborabat, ut difficultates istas, quas in Mathesi nondum superasset, tolleret, viasque omnium simplicissimas investigaret: compositas enim nihili faciebat, etiam si ingeniosæ viderentur. Persuasum namque cum Cartesio habebat, veram Mathesin debere esse facilem, nisi forte res quæpiam suapte natura sint compositæ ac difficiles, ut expressiones generales omnium radicum, & id genus aliæ. Nihilominus tamen jam pridem, animum ad scribendum, etiam Mathematica, applicuerat, idque serio agebat, ut alteram tertiamque partem Medicinæ Mentis brevi conficeret, cui labori proximam hyemem imprimis destinaverat. Verum hæc & alia Reipubl. literariæ præmatura mors Auctoris eripuit: & ipse quidem cum hæc quæ animo agitabat, amicis subinde exponeret, addere consueverat: *hujusmodi res prudentiæ divinæ esse committendas, ejus modo ductum sequendum*, addito illo, quod sub finem vitæ sæpissime in ore habuit:

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.*

Ceterum animo fuit maxime leni ac miti, quod imprimis illi experti sunt, quibus quotidiana cum ipso consuetudo intercessit, quorum nemo est, qui eum unquam vel iratum vel leviter commotum perturbatumve viderit. Inimicis ingenue ignoscebat, iisque bene & cupere & facere ipsi erat perquam solenne; imo aliter se non posse secundum principia sua, affirmabat. Ita vidimus eum pro hominibus sibi infensissimis sedulo operantem iisque totis viribus inservientem; quod sæpius etiam fecit illis nesciis. Unde non nunquam accidit, ut inimicos sibi redderet amicissimos. Injurias aliorum facile ferebat, vindictam susque deque habebat, quod etiam omnes ejus doctrinæ adversantes abunde experti sunt, quanquam paucos habuit vere infestos; cum plurimis enim amicæ ipsi contentiones fuere, veluti cum Fatio Duilliers, qui Methodum Tangentium Tschirn-



hausianam impugnavit; tum cum Prestet & Rolle, qui de expressione æquationum tertii gradus, quam Noster tradiderat, dubia moverunt. Circa quadratricem ejus, errore lapsus, Ozanam, dum aliam lineam pro alia sumeret, contendere cœpit: sed mox a quodam P. Soc. Jesu monitus destitit, propriumque errorem ipse correxit. Verum hæc strictim brevitatis studio. De inventis porro B. Viri, quæ in Actis Eruditorum Lipsiensibus, Academiae scientiarum Regiæ Gallicæ, item in Ephemeridibus Eruditorum Gallicis, tum Belgicis reperiuntur, nihil dicemus. Unum memoramus, quod massam, ex qua vasa Porcellana confici possint, aptissimam in nostra regione invenerit, ut vasa inde facta, quamvis minori longe pretio parentur, bonitate tamen æquent orientalia, id quod justis harum rerum aestimatores candide testati sunt. Plurimi præterea existant in nostris officinis aliorum libri, qui ipsius cura aut suasu, interdum etiam sumptu, nulla ejus facta mentione prodire; sic haud ita pridem Lemery *Cursum Chemiæ* ipsius cura versus ac editus fuit, ut alios nunc taceamus. Viros quoque artes utiles ac scientias profitentes undique conquirebat, eosque sæpe invitos ex tenebris in lucem producebat, cumque publica commoda privatis semper anteposuerit, nunquam majorem voluptatem percepit, quam ubi scientias promovere posset, quod ad hæc unice velut stimulis a natura agitari se sentiret. Quemadmodum autem eruditus esse, quam videri malebat: ita parum alios scire curabat, quid ipse pro bono publico fecisset. Gloriam enim longe aliter, ac vulgo fit, aestimabat, eamque vanam & inutilem asseverabat post hominis decessum, eos maxime ridens, qui per gloriam, nescio quam immortalitatem quærant. Quin noxiam incremento scientiarum gloriam esse prolixè probavit in *Medicina Mentis*, ubi indolem suam fusius descripsit, eo consilio, ut ostenderet, qualis animus ad studia recte colenda nequireretur. Præterea divitias contemnebat, eorumque usum nesciebat, nisi quatenus ad præsentis vitæ necessitates veritatisque indagacionem adhiberentur. Sic amplissima sæpe dona Potentissimi Regis AUGUSTI modeste debitaque tanto Regi reverentia recusavit: imo cum haud ita pridem a Rege ad sanctiora consilia vocaretur, diploma quidem accepit, sed ut



nomine carere liceret, enixe rogavit ac obtinuit. Pariter cum Invictissimo Imperatori LEOPOLDO, gloriosæ memoriæ, lentem vitream majorem offerret, ipsique vicissim ab Imperatore tituli insigniaque liberi Baronis tribuerentur: omni submissionis genere id egit, ne dignitatem induere necesse esset, auream tamen catenam cum effigie Imperatoris in signum gratiæ oblatam exosculatus est. Quin & ipse magnam lautissimi patrimonii partem ad utilitatem publicam & scientiarum augmentum impendit. Veritatem ante omnia amabat, eosque qui secus facerent, non Dei filios, sed privignos vocabat, & affectum dominantem in viro cordato veritatis amorem esse debere, dictitabat. Et novimus, eum aliquando in literis ad Amicum asseverasse, quod vulgaria mundi idola, amorem gloriæ & divitiarum, studiumque voluptatum, jam ante quartum & vicesimum ætatis annum superaverit, pedibusque subjecerit. Animi tranquillitatem in maximis hujus vitæ bonis numerabat, eamque nullo non tempore quærebat, & quæsitam custodire studebat. Sic nulla ipsi obtigit vitæ calamitas tanta, quæ animum ejus perturbare, aut e sede movere, vel saltim a studiis abstrahere potuerit. Ab ultimo quinquennio ita vexatus fuit adversa fortuna, eosque in familia sua expertus est casus, ~~qui~~ nescimus an non ipsius Catonis constantiam evertissent. Noster tamen in mediis istis adversitatum fluctibus immotus, animoque semper sereno fuit; quod omnia sibi a providentia divina imposita crederet, cui obmurmurare, nefas putabat. Corpore fuit minus robusto, viresque insuper vigiliis studiorumque assiduitate attrivit. Quotidie enim secunda matutina surgere & usque ad sextam literis operam navare solebat, deinde iterum obdormiscebat quidem, sed per unam duntaxat horulam: post prandium paulum ad quietem rediit, ita ut de 24 horis sex tantum somno daret. Febres, phthisin, hydropisin, podagram, chiragram & hujusmodi morbos nihil metuebat, quod eorum curationes callere sese crederet; calculi vero aculeos reformidabat. Quæ causa est, cur tantopere sollicitus fuerit de potu commodo reperiendo, qui calculi grumulos secum auferret, quem reperisse sese tandem arbitratus est, cum in serum lactis, certo modo paratum, incidit: eoque usus est,



est, satis diu ac sæpe, non sine magno, ut prædicabat valetudinis emolumento. Potionem eam descripsit in secunda parte *Medicinae Corporis*, vernaculo sermone modo edita, quam cum prima parte eodem idiomate conscripta nominavit *Medicinam curiosam*. Verum enim vero, quod ipse maxime metuit, & sibi ipsi quasi vaticinatus est, id plane accidit. Cum enim anno superiore sub finem mensis Septembris levis eum diarrhœa adorta esset; statim ingruerunt dolores renum calculique, quos subsequuta est urinæ suppressio. Quo viso Medici, quos quidem æger ad se invitaret, actum de eo esse, uno omnes ore edixerunt, eumque, quod minus morigerus illis esset, deseruerunt. Tum ille, ut potuit, sibi ipsi medicus fuit, & primo quidem non sine spe salutis. Mox crescente morbi vi, de morte serio cogitavit, Regique per Epistolam summas pro acceptis beneficiis egit gratias, suosque liberos commendavit. Quemadmodum autem cum recte valuit, de nulla unquam re conquestus est; ita nec in supremo morbo querulam vocem ullam emisit, quin potius maximas Deo gratias usque egit, pro bonis in vita acceptis, quorum partem præ multis aliis hominibus præcipuam sese habuisse de prædicabat. Inter ipsos dolores bene secum agi dicebat, quod nihil sibi oneris imponeretur a divina providentia, quin per Dei gratiam sit ferendum. Rationis usum usque ad extremum vitæ halitum habuit integrum; Deoque propterea sedulo egit gratias. Postremo cum defunctum sese rebus omnibus sentiret, exclamavit: *Jo Triumphe! Victoria!* hæc suprema ejus vox fuit. Tandem ingravescente corporis debilitate, quæ tantum loquelæ usum interciperet, primum quid vellet, signis indicabat, mox quasi dormiturus, oculis nictitans, placida morte animam reddidit, circa quartam matutinam die 11 Octobris anni proxime elapsi. Funus sumptibus Regiis in terras avitas delatum, ibique conditum est, dum, quæ ad justa magnificentius persolvenda opus sunt, parentur.





# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Februarii, Anno M DCC IX.*

*DISSERTATIONES CAMALDULENSES ;*

*Auctore D. GUIDONE GRANDO, Ordinis Camaldulensis Monacho, & in Univers. Pisana*

*Prof. Publ.*

Luçæ, typis Marescandoli, 1707, 4. ch. aug.

Alph. 3 pl. 6.

**S**unt hodie, qui contendunt, quod Historiæ Ecclesiasticæ notitia sine accurata Originum Monasticarum cognitione obtineri tuto aut omnino non possit. Quorum votis & consilio ut sua proinde quoque opera aliquantum velificaretur Vir admodum Rev. Guido Grandus, Monachus Camaldulensis, Magni Ducis Etruriæ Cosmi III Theologus & Mathematicus, nec non in Universitate Pisana Philosophiæ Professor ordinarius, nobis antehac quoque memoratus, Dissertationibus quatuor non ineruditis Originem Ordinis Camaldulensis & alia quædam, ad ordinis hujus perantiqui & illustri Historiam spectantia, Ferdinando de Abdua, Cardinali S. R. E. Eminentissimo & Camaldulensis Ordinis Protectori inscriptis, exposuit & vindicavit.

Ac dum prima statim Dissertatione *Originem ac Institutionem ipsam Ordinis Camaldulensis* perscrutatur, omnes quidem Divo Romualdo eum acceptum referre testatur, id tamen circa hanc institutionem maxime controversum esse Grandus Noster monet, qua ætate, quove loco ille fuerit institutus? Nonnullos enim Romualdum jam ante annum Christi millesimum, aut circa annum 960, aut circa annum 974 ordinem

G

suum



sum excitasse, cum Paulo Justiniano, Bernardo Gadolo, Luca Hispano, Thoma Minio, Ludovico Thomafino, aliisque credere. Alios vero demum post annum Christi millesimum, aut circa annum 1008 aut circa annum 1012 Romualdum id ob admirabilem Scalæ visionem, per quam Monachi albescentes ascendere ipsi videbantur, fecisse, cum Augustino Fortunio & Sylvano Ractio statuere. Quam posteriorem vero sententiam Noster vel ipsam novitatem inter alia satis suspectam reddere autumat, utpote a Fortunio, Monacho Angelorum Florentino, primum in lucem protractam; unde prioris potius & antiquioris sententiæ patrocinium Noster in se suscipit. Confirmare autem illam inter alia annitur ex præjudicio illo vulgari, quo Ordinis institutio cum Eremi fundatione a recentioribus Scriptoribus semper confundatur; id quod præjudicium aliis quoque passim Ordinibus contingere simul monet. Comprobat illud ex exemplo Canoniorum Lateranensium & Sclopetinorum Regularium, item ex exemplo Monachorum Cassinensium, Grandimontensium, Cisterciensium & ipsius demum suæ Congregationis. Qua occasione illud etiam ex Minii Catalogo notat, quod primi Priores sacre Eremi pro totius Ordinis Generalibus nequaquam fuerint agniti; & paullo post de Luca Eremite loco quodam insigni cum Fortunio prolixè disceptat. Post Romualdum in Aquitania Ordinis sui fundamenta, & ante sacre quidem Eremi Camaldulensis fundationem, fecisse ex Petro Damiano demonstrat, qui S. Romualdi Vitam justo libello in 72 capita distincto est complexus, cui eo majorem fidem & auctoritatem habendam esse contendit, quod B. Rodulphi Prioris Camaldulensis Constitutiones, & B. Pauli Justiniani Regula Eremitica, cum Damiani narratione apprimè consonent. Præterea Jacobum Laderchium Vitæ Petri Damiani nuperum scriptorem simul notat, quod S. Romualdum non ut proprii Ordinis & novæ Regulæ Institutorem, sed ut peculiarem duntaxat Monasterii cujusdam Magistrum & Abbatem a Damiano describi contendat: partim etiam œconomicam Romualdi & dominativam in Cœnobia sua potestatem adversus alium scriptorem non indoctum, Didacum Franchum, Abbatem Congregationis



Vallis umbrosæ vindicat. Posthæc universi Instituti S. Romualdi & Eremitæ ejus historiam ab ovo repetens, Sanctissimum Patrem per venationem ad vitam Eremiticam adductum ex Damiani Historia aliisque monumentis ostendit, eumque in Occidente Eremitarum omnium Parentem, ut Benedictum omnium Monachorum Patrem fuisse, Pauli Justiniani, Lucæ Eremitæ, Jo. Bollandi & Clementis VIII. P. R. auctoritate confirmat. Postremo objectiones adversæ opinionis capite peculiari refellit, & dum mutationem habitus, ex Scalæ visione factam, Ractius alique plerumque obvertunt, illud inter cetera p. 107 respondet: quod eodem jure *Habitus Monachum* faciat, quo *Barba Philosophum*.

Dissertatio secunda *Ætatem S. P. Romualdi* ex Chronologia Camaldulensis initiis pervetustis, sed satis etiam, ut ipse fatetur, obscuris aliisque monumentis eruit. Ubi primum Jo. Bollandi sententiam præ ceteris excutit, qui Romualdi mortem non ultra annum 1027 protendi posse contendit, & proinde in S. Romualdi Vita, a Damiano descripta, C pro L amanuensium culpa scriptum, eaque ratione numerum annorum CXX pro LXX irrepsisse in Vitam Damiani arbitratur. Deinde tum ex Jo. Gualberti & B. Casimiri, Busclavi filii & Poloniæ Regis, historia, tum ex ædificatione Eremitæ Camaldulensis ostendit, S. Romualdum A. 1027 adhuc fuisse superstitem. Porro hypothesin propriam vero admodum, ut ait, instantis rei difficultatibus similem confirmat & vindicat, utpote quæ nativitatem S. Romualdi ad A. 917 conversionem ad A. 937 & Ordinis Camaldulensis institutionem ad A. 962, Joanne XII R. P. & Othone I in Germania imperante, reducit; mortem autem Romualdi ad annum usque 1037 differt. Demum Tabulas duas Chronologicas una cum Notis quibusdam adjicit, quibus præcipua S. Romualdi Gesta juxta varias hypotheses de anno mortis ejusdem exhibentur.

Dissertatione tertia traditionem *de Visione Scalæ S. Romualdi*, & *Habitus mutatione prætenfa* examinat; sed hanc illico tum ex Petri Damiani de utraque silentio, tum quod utraque in Thedaldi, Rodulphi, Martini, Gherardi, Bonaventuræ,



aliorumque monumentis vetustis frustra quærat, evertit; tum ad Cl. Bernardi de Montfaucon, Monachi e Congregatione S. Mauri eruditissimi, ac ad MAGLIABECHII illustrissimi consensum provocat, cujus etiam ea de re Epistolam superaddit. Hoc tamen insuper monet, quod illa solum Romualdi visio Scalæ a se in dubium vocetur, quæ Camalduli contigisse dicitur, quæque & Ordinis institutioni præluxisse & habitus mutationi ansam dedisse a Fortunio aliisque supponatur. At scalam a Romualdo alibi, sive in Gallia, sive apud Syriam, visam non inficiatur, ceu capite speciatim octavo Dissertationis præsentis ex Philippo Ferrario & Gabrielis Bucellini Menologico Benedictino animadvertit.

Dissertatione quarta eaque ultima, quæ de *S. Petri Damiani & Avellanitarum Instituto Camaldulensi* tractat, aciem speciatim Grandus noster adversus Jacobum Laderchium, Congregationis Romani Oratorii Presbyterum, & nuperum Vitæ Petri Damiani scriptorem, instruit. Nempe uti Ordo Camaldulensis supra quadraginta Monachos numerat, quorum nomina, ut habet Auctor p. 7, sanctorum Fastis inserta & Posteriorum venerationi sunt consecrata: ita idem Ordo totidem propemodum Episcopos, & ex his quatuor cum primis Cardinales memorat, qui ex claustris ejus ad Senatum Cardinalium fuere protracti, videlicet Petrum Damiani, Ostiensem Episcopum, Damianum, ex Rodolinda, sorore, S. Doctoris nepotem, Guitmundum, Episcopum Averfanum, & Gebiosum, Episcopum Casenam. Sed quia hos & tantos Viros omnes Jacobus Laderchius Vitæ S. Damiani Tom. I Lib. I Cap. VIII ex albo Camaldulensium expunxit & Avellanitarum contra Ordinem seorsim adscripsit, decus hoc pacto velut omne aut certe summum Ordini Camaldulensi subripere ausus: Laderchii conatus iste, ut vocatur, protervus ita illico universum Ordinem Camaldulensem commovit, ut non solum paullo post Auctor Anonymus Dialogis aliquot inter *Sejanum & Ruffinum* institutis lepide conatum istum Laderchii exciperet, sed & Philippus Maria Machiarelli, Eremita Camaldulensis Congregationis Montis Coronæ, brevi *Apologia*, Italico sermone scripta, se  
eidem



eidem opponeret ; quibus Apologetis nunc Auctor quoque noster Dissertatione sua quarta Camaldulensi accessit, jam ante Machiarelli Apologiam prelo & editioni proxima. Eo autem omnis Apologetæ nostri labor tendit, ut Monasterii sive Eremitæ S. Andreæ (nunc S. Crucis) Fontis Avellanæ institutionem omnem, circa annum Christi millesimum factam, ipsi S. Romualdo tribuendam ex Fortunii etiam principiis evincat, idque Thomæ Minii, Ludovici Jacobilli & Julii Ambrosii Lucentii auctoritate confirmat. Dehinc Avellanitarum & Camaldulensium instituti comparationem quandam adornat, qua leges & constitutiones utrisque easdem esse memorat, ut de Coenobiticæ ac Eremiticæ vitæ conjunctione, de jejuniis & abstinentia, de observatione utriusque Quadragesimæ, de Sabbathi Sancti & Vigiliarum Nativitatis Domini consuetudine, de lancibus ad panis pondus metiendum, aliasque inter Avellanitas & Camaldulenses affinitates adinveniri demonstrat. Post Avellanitarum Congregationem speciem fuisse ejusdem Eremitarum generis a Romualdo instituti, ex Ludovico Ellies du Pin; ac Romualdi eandem, quæ Petri Damiani, institutionem fuisse, ex Ludovico Thomafino ; imo ipsum Petrum Damianum sub Romualdi disciplina meruisse, in ejusque monasteriis vixisse, ex Vita Damiani ostendit. Quo factum, ut Avellanitæ demum omnes, vel ipso etiam teste doctissimo Mabillonio, in Camaldulensium jus cum coenobio suo transferint. Abhinc se ad præcipua Laderchii argumenta discutienda convertit ; & denique *Appendicem* quandam brevem subnectit, qua *Animadversiones* nonnullas alias in *Historiam Petri Damiani a Laderchio descriptam* complectitur, ex quibus aliquas saltem excerpere lubet, quod has perfectiori longe Vitæ Damiani editioni inservire posse Grandus confidat.

Primo jure Laderchium a Sejano circa numerum Fratrum Petri Damiani in suprascriptis Dialogis reprehendi Grandus monet, quod non duos saltem, ut Laderchius vult, sed quatuor omnino aut certe plures duobus B. Damianum fratres habuisse, ex Joanne, Vitæ S. Damiani scriptore, aperte constet. Secundo eam cum Sejano Laderchii hallucinationem notat, qua S.



Claram Virginem Assisiatem, D. Francisci sororem, Regulæ S. Petri Damiani nomen dedisse fabulatur, quia a Gregorio IX tum ipsa, tum ejus sorores ordinis S. Damiani appellarentur. Enimvero respondet Noster cum Sejano, quod sermo tantum sit Gregorio de ordine Monasterii S. Damiani Martyris prope Assisium extructi, non autem de Institutionibus S. Petri Damiani, prouti hoc manifestum esset ex Bullis a Wadingo relatis ad finem Tomi I & II Annalium Minorum. Id tamen verissimum esse Noster non inficiatur, quod Moniales S. Claræ per duodecim saltem annos, nempe ab A. 1212 ad A. 1224 Regulam S. P. Benedicti & Ordinem Monasticum fuerint professæ. Nec deesse etiam dicit, qui ad Camaldulense Institutum illas per id tempus referendas esse arbitrarentur, non quidem ob Regulam S. Petri Damiani, cui nomen dederint, sed ob Constitutiones Camaldulenses, quas illis præscripserat Hugolinus, ex Ordine Camaldulensi ad Purpuram evocatus. Tertio lapsum similiter Laderchium ostendit circa D. Petri Coelestini Institutum, quando videlicet Coelestinum sub Petri Damiani Regula militasse comminiscatur. Observat autem Noster, præter confusionis rationem ex Papebrochio a Sejano allatam, quod æquivocæ appellationis origo ex eo facile pendere potuerit, quod Avellanitæ cœruleo pallio uterentur. Qui color cum apud Italos cœlestis appelletur, ansam dare potuit plebi ignaræ, dicit Grandus, ut Avellanitæ primum Coelestini nuncupari inciperent, deinde ipsimet veri Coelestini pro Avellanitis acciperentur. Quarto in eo quoque Laderchium lapsum Noster animadvertit, quod Albizonem, Theuzonis Abbatem, Petri Damiani comitem fuisse asserat, cum nullus tamen Albizo Abbas Monasterio S. Mariæ Florentiæ præfuerit, sed Theuzonis tempore Abbatæ Præfectus fuerit Petrus, ut docerent monumenta a Puccinello adducta in ejusdem Cœnobii Chronicis A. 1664 editis. Quinto plane commentitium esse ait, quod Laderchius capite quinto asseveraret, S. Joannem Gualbertum A. 1003 in S. Miniatis Cœnobio Monachum induisse, eidemque Theuzonem Eremitam Simoniaci Abbatis Ulberti, & Episcopi Athonis proclamationem publicam A. 1007 suasisse, quodque Atho hujus



nominis primus Ildebrando Florentino Episcopo antecesserit, ceu quidem hoc Noster jam supra Dissertatione Camaldulensi secunda confutavit. Ultimo circa Joannem, Petri Damiani discipulum, ejusque Vitæ scriptorem non levem esse ostendit Laderchii errorem, dum illum cum S. Joanne Laudensi, Eugubino Episcopo, confundit, eoque idem asserendi tum Machiarello, tum Auctori Diarii Gallici occasionem præbuit. Non enim A. 1076, quem annum Laderchius ex Ferrario determinat, sed longe post, anno nempe 1105, ut Ughellus habet, Joannes Laudensis Eugubinam cathedram ascendit. Præterea eundem Petro Damiani in Prioratu immediate successisse, & vitam Damiani post mortem demum S. Joannis Laudensis a posteriori Joanne, consilio & nutu Liprandi Prioris, fuisse exaratam ostendit; & quæ sunt alia.

*L. SALOMONIS DEYLINGII OBSERVATIONUM SACRARUM Pars Prima; Appendicis loco accessit Oratio de Ingenio Israelitarum Ægyptiacorum, contra Atheos, ac nonnullos in Anglia Theoristas.*

Lipsiæ, sumptibus heredum Frid. Lanckischii, 1708, 4.  
Alphab. 1 plag. 9.

**A**uctor summe Rev. ab ineunte ætate elegantioribus literis innutritus, earundem amorem in graviori munere constitutus nondum deposuit, sed singularem earum in S. Scriptura interpretanda & ab adversariorum detorsionibus vindicanda usum demonstraturus, quinquaginta sistit observationes, quibus XXV controversiæ Veteris, & totidem Novi Testamenti loca illustantur.

Observatione I disquirit de origine vaticiniorum in gente Ebræa, tum Petiti ac Spinozæ opinionem proponit, stricteque refellit. Tum idoneis rerum argumentis demonstrat, vaticinandi vim Prophetis in gente Ebræa nec naturalem fuisse, nec a melancholica dispositione & affectibus pependisse. II de Auctore Pentateuchi disputatur. Recenset hic Peirerii, Hob-



besii, Spinozæ, R. Simonii, & Theologorum quorundam Belgicorum opinionem, eandemque sub examen vocat, & tandem Mosem integri Pentateuchi auctorem esse probat. III inquit, quid **בְּרֵאשִׁית** Gen. I, 1. proprie significet. Notat Jo. Clericum, & probat, hanc vocem proprie significare, aliquid ex nihilo creare. Qua occasione portentosæ opiniones Spinozæ & Cartesii de creatione mundi refelluntur. IV concreditur cum Theoristis, ac sigillatim cum Th. Burnetio, contra quem negat, constitutionem & vicissitudinem quatuor anni temporum post diluvium demum inductam esse. Locum Gen. VIII, 22 idonee explicat, atque opiniones Theoristarum, de inclinato post diluvium terræ situ, de perpetui æquinoctii utilitate, longævitatæ antediluvianæ causa, gravibus rationibus, ex Philosophia naturali petitis, explodit, & ad veterum testimonia respondet. V locum Gen. IX, 10, 14, 16 atque adeo iridis generationem exponit ac probat, iridem ante diluvium visam fuisse, & post illud demum respectum fœderalem ex divina ordinatione ei accessisse. Negat vero Deum, quando dixit, se arcum suum in nubibus positurum esse, erroneæ vulgi opinioni se accommodasse, sicut B. Sturmius, aliique ex recentioribus Philosophis sunt opinati. VI circa locum Dan, quousque Abrahamus hostes persecutus dicitur Gen. XIV, 4, Spinozam, Jo. Clericum, & H. Witsium notat, atque locum ab interpolationis suspitione liberat. VII de vocibus **יְהוָה** **אֱלֹהִים** Gen. XVII, 3 prolixè disputat, earundemque origine ac significatione solícite excussa, de Deo jaculatore ac fulminatore cum Sebastiano Schmidio eas exponit. IIX de Saræ nonagenariæ pulchritudine agit ex Gen. XX, 2, & an formæ elegantia Regem Abimelechum in amorem pertraxerit? quærit. Hic Simonius refellitur, qui difficultatem ex confuso turbatoque veterum voluminum ordine solvere conatus est. Ostenditur autem, historiam hanc secundum temporis & rei gestæ ordinem a Mose descriptam, suoque loco insertam esse. IX Joabum, cujus fit mentio Gen. XXXVI, 33, diversum esse ab Hiobo, ex diversa utriusque vocis origine & circumstantiarum varietate probat, & erroris originem ex lacinia, LXX virali versione ad calcem Jobi adsuta, derivat. X locum Gen. XXXVII, 14, quem post Spinozam,



zam, Simonium & Clericum H. Witsius a seriore manu textum intrusum esse opinatur, vindicat. XI cum annis quadringentis & triginta, quibus Israelitarum in Ægypto servitus definitur, Exod. XII, 40, 41 conciliatur prædictio divina Gen. XV, 13, 14 quæ repetitur a Stephano Act. VII, 6; locum in mendo non cubare, nec ad versionis LXX viralis Græcæ, nec ad Samaritani interpretis fidem refingi debere, contra Stillingfleetum ostenditur. XII lustrat arcæ foederis structuram & situm, & contra Spencerum prolixè evincit, arcam foederis evidentissimam Christi figuram fuisse. XIII Hircum emissarium Christum significasse, contra eundem Spencerum multis argumentis probat. In excutienda vocis **אֲזַזֵּל** origine & significatione multum laboris ac curæ ponit. Azazel nomen hirci fuisse, aut ipsum Diabolum significasse, pernegat, & de nomine loci in desertis Arabicis, ubi hæc constitutio primitus promulgata fuit, accipi debere suspicatur. Deinde disquirat, an imprecatio in caput victimæ piacularis, quæ apud Ægyptios aliasque gentes olim in usu fuit, expiationi Judaicæ originem dederit, quod denuo contra Spencerum inficiatur. Rationem tandem ostendit, quæ hircus emissarius Christi educationem in montem Golgatha præfiguravit, atque fabulam de frusto panni coccinei in fronte hirci mittendi ligato & dealbari solito explodit, & inter reliquas Judæorum nugas referendam esse censet. XIV historiam de vulpibus Simsonis segeti Philistæorum immixtis Jud. XV, 4 a detorsione observatoris Halensis, qui de manipulis stramineis explicavit, vindicat, eandemque idonee interpretatur. XV investigat maris ænei Salomonei figuram ad I Reg. VII, 23, 24, & contra Spinozam, qui Scripturæ S. **ἀγέμετρα** objicit, ex data proportione inter diametrum circuli & ejus circumferentiam evincit, figuram maris Salomonei non exacte circularem, sed sexangularem fuisse. Tandem duo loca **ἐναντιοφανῆ** I Reg. VII, 26, ubi duo millia batorum, & II Chron. IV, 5, ubi tria millia batorum mare illud recepisse scribitur, inter se conciliat. XVI indicat genuinum sensum verborum **וַיִּשְׁמַע ה' אֶת־קוֹלֵךְ** I Reg. VIII, 34 & varias vocis **וַיִּשְׁמַע** significationes exponit. XVII invocationem San-



ctorum ex Hiobi cap. V, 1 a Pontificiis non probari posse, ex Ebræo textu, ex ritus novitàate & incredibili fabulorum Sanctorum multitudine in Romana Ecclesia ostendit. Launoji ac Mabillonii conatus in detegendis fictitiis Romanæ Ecclesiæ Sanctis exponit, laudat aliisque commendat. XVIII inquit, quid Psal. XLII, 3 פני אלהים *facies Dei* notet, deinde multis argumentis defendit, filium Dei, qui olim Vet. Test. in nube supra arcam foederis residebat, hoc in loco intelligi debere. XIX lucem affundit celebri loco Es. I, 18 de dealbandis peccatis coccineis. Nimirum albedinem olim summum munditiei signum fuisse testimoniis veterum probat. Tandem ex interioribus Judæorum sacris idoneas reddit rationes, cur peccatorum foeditas cum colore rubro & coccinis a Propheta comparetur? XX vindicat locum Es. VIII, 1 *de libro magno & stilo hominis* contra impurissimam P. D. Huetii explicationem. Dissertit præterea de voce מרת contra Gulletium, ac vera vocis significatione asserta, integrum locum commode explicat. XXI rationem reddit, cur Messias dicatur gestare Principatum super humeros, Es. IX, 5, & phrasin ex antiquitate & Eliacimi exemplo Es. XXII, 22 illustrat. XXII vaticinium Es. XI, 6, 7, 8 Christo asserit contra Grotium, & Herm. von der Hardt, qui Grotianis vestigiis insistens, de Hilkia, in Sigismundo Imperatore resurgente, totum hoc caput interpretatus est, quod ab utriusque depravatione vindicat, & in Jesu Nazareno impletum esse, contra Judæos demonstrat. XXIII ad locum Jer. XXVII, 9 de voce נביאי dissertit, & negat contra Spinozam atque Spencerum, veri nominis Prophetas inter profanas gentes olim extitisse, Adversariorum argumenta refellit, & tandem, quo sensu Jeremias mendaces ac superstitiosos gentilium vates hoc nomine appellavit, declarat. XXIV affert verba Jer. XLIX, 38 *& ponam solium meum in Elam &c.* eademque ex pervetusto Ebræorum, Græcorum ac Romanorum more, apud quos Judices, quando cognitionibus causarum vacabant, sedisse leguntur in foliis, illustrat, atque de Deo, Elymæos judicatuero, interpretatur. XXV תר Ezech. IX, 14 de signo exponit, & Baronium atque Huetium, qui de litera Thau acceperunt, refellit.



lit. Signum crucis nec apud Judæos, nec apud Gentiles salutis insigne fuisse contra Baronium evincit, quanquam utrisque perquam familiare fuisse & usitatum largiatur. His præmissis progreditur Observatione XXVI ad loca Novi Testamenti, & disquirit de loco Matth. II, 23, atque ostendit, quo sensu & in quo Scripturæ Vet. Test. loco Christus a Prophetis appellatus fuerit Nazarenus. XXVII de duplici publicanorum ordine agit ad Matth. IX, 10, rationemque reddit, cur in Novo Test. cum peccatoribus subinde conjungantur. XXVIII examinat vexatissimum locum Matth. XXVII, 9 de Jesu triginta argenteis vendito, collatisque optimorum Interpretum opinionibus, H. Grotii sententiam reliquis præfert. XXIX describit ex Ebræorum factis, quam miraculosa veli scissio fuerit, Matth. XXVII, 51. Quæ hic de tempore & significatione veli rupti adfert, lectu notatuque dignissima sunt. XXX explicat, quo sensu apud Marcum VI, 5 dicatur, Christum nulla miracula Nazarethæ patrare potuisse, ubi vindicat Servatoris auctoritatem contra Lucilii Vanini objectiones, qui hac Marci confessione nixus impie suspicatus est, prodigia Christi meras fuisse imposturas. XXXI rationes Marcum cap. XV, 25 cum Joanne cap. XIX, 14, conciliandi expendit, & missis reliquis opinionibus, Danielis Heinsii conjecturam probat. XXXII difficultates tollit, quæ circa censum ab Augusto universe indictum moventur, & Josephum, antiquitatum Judaicarum scriptorem, cum Luca conciliat. Vulgarem Quirinii lectionem ab Huetii censura, qui auctoritate marmoris Ancyrani abusus, Quintilium substituit, vindicat, ac Præsulem Abrincensem erroris arguit. XXXIII agit de origine ac significatione vocis *λόγος* ad Joh. I, 1, & Joh. Clericum imprimis impugnat, qui docuit, vocem *λόγος* ex Platonis schola per Philonem in religionem translata, & deinceps a Joanne, quo sensu usurpari posset, explicatam esse. XXXIV verba Christi *ἐξουιάτε τὰς γραφὰς* Joh. V, 39 per modum imperandi explicat, & Scripturam S. a laicis legi debere, novis argumentis demonstrat, ac recentiorum quorundam Pontificiorum, sigillatim Joh. Baptistæ Colberti, Archi-Episcopi Rhotomagensis, consensu confirmat. XXXV expendit varias opiniones circa



vexatissimum locum Jo. XIX, 29 de aceto Christo sitienti & crucifixo porrecto, suamque sententiam idoneis rationibus fultam subjicit. XXXVI traditionem de statua Simoni Mago erecta refellit, occasione loci Act. VIII, 10, tum Justinum Martyrem fabulæ auctorem, nec non Baronium, Guilielmum Spencerum atque Hammondum, recentiores fabulosæ opinionis defensores, erroris convincit, & ad argumenta eorum respondet. XXXVII ad locum Act. XIII, 2 significationem vocis *λεῖψος* ex Græcorum monumentis eruit, atque Gallicam Dionysii Ameloti versionem, qui de sacrificio Missæ interpretatus est, fraudis & malæ fidei accusat. Docet præterea, quid ac quotuplex missa fuerit in veteri Ecclesia, & insignem eruditissimi Peirescii errorem notat, qui opinatus est, se Missæ sacrificium in pervetusto quodam Constantini M. nummo invenisse. In ejus enim postica, cum aræ quandam speciem & supra illam orbiculare quid observasset cum inscriptione: BEATA TRANQUILLITAS, continuo hostiam, ut appellant, hoc est, panem orbicularem in S. Eucharistiæ usu hodie adhiberi solitum, animo concepit, ut sacrificii missatici antiquitatem exinde probaret. At vero figuram illam orbicularem, a Peirescio pro Missæ symbolo imprudenter acceptam, *globum mundi* esse, Sponium observasse ait ex simili nummo & minus detricto, in quo Zodiacus & stellæ aliquot distinctissime appareant. Plures ejusmodi nummos cum a Constantino ipso, tum ab ejus filiis Crispo & Constantino juniore signatos, a Patino, du Fresne, Mediobarbo aliisque exhiberi tradit Auctor noster, existimatque Peirescii opinionem, nulla re magis, quam ex temporum rationibus, quas Vir summus non attenderit, refelli posse. Cum enim in ejusmodi nummis plerisque juxta aram legatur VOTIS XX, illud indicio esse, eos A. Chr. CCCXXVI esse cufos, quo anno Constantinus Romæ vicennalia celebraverit, quemadmodum Ant. Pagius in Dissertatione Hypatica ostendit, in qua solennia illa prolixè descripsit. Constantino enim illo tempore salutari fonte nondum abluto, adhuc incognita fuisse S. Eucharistiæ symbola, neque ei, si cognita fuissent, ejusmodi mysteria atque ritus, quæ coram catechumenis atque Paganis summo studio occultabantur,



obstante disciplina arcani, publicare licuisse. Quibus expeditis, refutat Joh. Ernestum Grabium, qui in notis ad recentissimam Irenæi editionem, quæ Oxonii anno M DCC II ejus studio curata prodiit, defendere ausus est, Patres Apostolis sive coævus, sive proxime succedentes S. Eucharistiam pro novæ legis sacrificio habuisse, & panem atque vinum tanquam sacra munera in altari Deo Patri obtulisse. XXXVIII vexatissimum locum Rom. VIII, 19-23 sub examen vocat. Potiores veterum æque ac recentiorum Interpretum sententias recenset atque examinat. Tandem missis omnibus suam subjungit, & argumentis e textu sumtis probat, per *κρίσιν* fideles & novos Christianos, qui maximam partem ex gentilibus & aliqua ex parte e Judæis collecti erant, & per *τὰς τὴν ἀπαρχὴν ἔπνεύματι ἔχοντας* Apostolos intelligi debere, ratione loquendi e Vet. Test. desumpta. XXXIX explicat, quid Rom. XII, 13 sit *ταῖς χεῖραις τῶν ἀγίων κατανεῖν*? Vulgarem lectionem defendit, & Henr. Valesium, aliosque, qui pro voce *χεῖραις* legerunt *μνείαις*, & de memoriis sanctorum interpretati sunt, refellit. XL disquirat, an ex verbis 1 Cor. V, 7 *τὸ πάχα ἡμῶν ὑπερ ἡμῶν ἐθύθη*, probari possit, agnum paschalem proprie dictum sacrificium fuisse? ubi Dorscheum & Seb. Schmidium cum Dannhauero aliisque Theologis conciliat. XLI locum 1 Cor. IX, 27 a Pontificiorum depravatione vindicat, quidque proprie notet *ὑποπιάζειν* apud Græcos, ac quo sensu hypopiasmus Paulinus intelligi debeat, ostendit. XLII occasione loci 1 Cor. X, 16, cujus puritatem ex Græce loquentium consuetudine defendit, monstrosam Transsubstantiationis Pontificiæ dogma novis argumentis refellit, docetque Cartesii, Maignani ac Rohaulti exemplo, quorum conatus in mysterio hoc philosophice explicando & illustrando recenset atque examinat, nullum Pontificium Cartesianis placitis addictum illud admittere aut defendere posse. Et cum recentiores quidam ex Pontificiis ad tuendum illud confugerint ad disciplinam arcani in veteri Ecclesia olim sancitam, originem ejus & durationem ex Historia Ecclesiastica investigat, & contra Schelstratenium, Ant. Pagium & Natalem Alexandrum ostendit, nullum in ea præsidium inve-



niri. XLIII Pauli *Ἰηρωμαχίαν* producit ex 1 Cor. XV, 32, & explicata vocis significatione, ritusque inhumanitate, verba Apostoli tralatitiae de adversariis præferocis ingenii, cum quibus ipsi, quoad Ephesi vixit, conflictandum fuerit, exponi debere, ex temporum ratione demonstrat. XLIV de discrimine personarum per Christum in Novo Test. sublato disserit, & verba Pauli ad Galatas III, 28, 29, 30 ex Ebræorum ritibus atque sacris explicat. XLV rationem reddit ex intimis institutionum Mosaiicarum arcanis, cur Christus pro nobis in mortem traditus *Θυσία εἰς ὁσμὴν εὐωδίας* oblata a Paulo Eph. V, 2 dicatur? XLVI de interpungendi ratione ac sensu celeberrimi loci 1 Tim. III, 15 agit, rationes unde, & cur Ecclesia *σύλῃ καὶ ἐδρασίωμα τῆς ἀληθείας* dicatur, affert, ac quis verborum sensus sit, declarat. XLVII examinat locum 1 Pet. III, 21 & quærit, quo sensu Baptismus per fœdus bonæ conscientiæ cum Deo a Petro definia- tur? Examinata & missa sententia eruditi cujusdam viri, quæ in Vesperis Groninganis existat, item Seb. Schmidii atque Dan. Heinsii, Auctor *ἐπερωλήμα* vocem ex fori sensu, & Græcorum Jctorum usu, & veteris Ecclesiæ consuetudine interpre- tatur. XLVIII ex Ebræorum sacris lucem affundit verbis Ebr. III, 1, 2 in quibus Christus dicitur Apostolus & summus N. Test. Pontifex. XLIX *Ἐγγυ* καὶ κρείττονος διαθήκης quo sensu Christus vocetur Ebr. VII, 22, quærit. Quid Fidejussor & quid Expromissor sit ex Jctorum mente definit: quid au- rem voces *παρίημι* & *ἔγγυ* notent apud Græcos, ex He- sychio docet. Coccejanos refellit, quod his Apostoli verbis abusi negant, Christum in Vet. Test. partes veri Expromissoris sustinuisse, dum *ἔγγυον* de nudo fidejussore exponunt. Tan- dem Observ. L ostendit *ἀσῆρας πλανήτης* in Epist. Judæ v. 13 perinde ac apud Græcos Astronomos stellas cœli erraticas esse, non ignes fatuos, ut nonnulli putant. Planetarum ordinem, numerum & conditionem ex recentiorum Astronomorum con- jecturis describit, ac indicat, quam similes iis sint falsi Eccle- siæ Doctores. Appendicis loco accessit Oratio de ingenio Israe- litarum Ægyptiacorum, in qua commentum de eorum stupore refellitur & religionis atque historiæ Mosaicæ fides & auctoritas contra Atheos ac Theoristas nonnullos in Anglia vindicatur.



## REPONSE A DEUX OBJECTIONS &amp;c.

i. e.

*RESPONSIO AD DUAS OBJECTIONES,  
circa Originem mali & Mystrium Trinitatis pro-  
positas, auctore JO. la PLA-  
CETTE.*

Amstelodami, apud Steph. Roger, 1707, 12, ch. reg.  
Constat plagul. 17.

**P**Ræter Jaquelotium, Naudæum aliosque, quorum scripta commemoravimus, Placetta quoque noster P. Bælio respondit, & quidem eum in modum, quem nec ipse forsân, si viveret, Bælius alienum a re dicturus fuisset. Credidit se ad hunc laborem adstringi, ad defendendum cum primis Tractatum, quem de fide divina olim ediderat, quippe qui Bælii argumentationibus ferme subrutus videbatur. Tribus vero partibus laborem suum contineri voluit. Prima generatim tractat de dubiis contra mysteria fidei moveri solitis, monetque, ea idcirco non contemnenda esse, quod a ratione petantur, ceteroqui ad scepticismum præter opinionem viam sterni. Omni enim studio se huic pesti opponit, ostendens, & perabsurdos esse Scepticos & Atheos negativos dici posse: ubi cum P. D. Huetio disputationem suscipit, qui Scepticos propiores Christianæ religioni quam Dogmaticos Philosophos fuisse affirmaverat. Prolixè igitur disputat, num ratio decipiat & decipiatur? id autem fieri negat, si per rationem intelligatur lumen naturale, sique regulæ de recto rationis usu datæ observentur. Negat etiam, dubia illa ac scrupulos, qui ex ratione contra fidem enascuntur, tolli non posse, quin ipsam ad hoc sufficere rationem putat, si solum attendat, sitne argumentum aliquod apodicticum, an topicum, atque posterioris generis argumenta rejiciat, tanquam insufficientia, & quæ demonstrationi fidei opponi non possint. Imo & illis se opponit, qui rationem fidei contradicere sentiunt, ex quorum hypothese aliquot absurda deducit. De oraculo I Cor. II, 14. integro capite XI agit, multisque adductis expli-  
ca-



cationibus hominis *ψυχῆς*, tandem illam cum primis approbat, quæ non de ratione sibi relicta, sed turpibus affectibus contaminata, dictum interpretatur. Iphis quoque phrasibus, rationem cæcam esse & dogmata fidei rationem transcendere, non adeo favet, quamvis aliquem illarum usum admittat.

Parte II Bælii dubia de origine male solvit, hunc cum primis in modum, ut ostendat, ea meris inevidentibus & topicis propositionibus niti, maxime cum intentio Dei, quam, cum mundum & genus humanum conderet, malumque permitteret, atque rationes, propter quas egit, nobis plene non innotuerint, sed multa recondita sint: non enim solius gloriæ suæ aut boni humani causa Deum ita se gessisse. Hinc commonstrat, neque sapientiam, neque bonitatem, neque sanctitatem Dei permissione lapsus lædi, aut læsionem hanc sufficienter probari posse, si ad incomperta non redeatur: adulterinas quoque de his attributis divinis ideas Bælium habuisse, quippe quas ad humanæ sapientiæ & virtutis modulum efformavit. De libertate quoque Dei fuse agit, & improbato excessu Twissii, Macovii aliorumque, libertatem saltem contradictionis illi tribuit, vel tamen eam prorsus sufficere putat.

Parte III dubia, quæ de Trinitate Bælius produxerat, expendit, maxime ex Canone vulgato: *Quæ sunt eadem unitertio, ea sunt eadem inter se.* Judicat, nos plura ad hoc Mysterium pertinentia ignorare, quam scire, & generali ejus notitia contentos esse debere, ut adeo responsio ad scrupulos de momentis doctrinæ specialibus omnino perdifficilis sit. Variis autem allatis rejectisque responsionibus, sentit cum Caramele, Canonem istum catholicæ veritatis non esse, idque & partium cum toto convenientium, etsi inter se differant, & modorum diversorum unam substantiam afficientium exemplis probat.

Accedit Appendix singularis, cujus institutum est, evincere quod omnes Christianorum factiones, Socinianis exclusis, in doctrina de prædestinatione ad idem redeant, nempe ad arcanam Dei voluntatem, causis incognitis, sed optimis tamen, nitentem. Cartesii enim atque aliorum sententiam de Deo absolute



solute & citra rationem agente repudiat. Et de Thomistis, Jansenianis & Reformatis non est, quod dubitet; Jesuitarum vero gratiam congruam redire ad arcanam voluntatem dispensandi congrua & incongrua, demonstrat, adducto cum primis recenti Abbatis Albani testimonio. Lessium quoque & Comptonum & qui illos sequuntur, qui in gratiis congruis distribuendis Deum saltem ad ordinem naturæ respicere & a miraculis abstinere docent, nisi omnes preces inutiles facere velint, ad voluntatem arcanam recedendi interdum ab ordine naturæ tandem reverti debere, putat. Approbat vero insigniter p. 320 Jacobi Granados, Jesuitæ Hispanici, sententiam, qui totam prædestinationem ad unum actum reducit, nempe ad decretum, præferendi ordinem stabilitum reliquis omnibus, quæcunque inde consecutaria fluant. De nostratibus sentit, gratiam extraordinariam, quam Hülsemannus & Brochmandus defendant, scientiam mediam ac prævisionem gratiarum, quæ apud reprobos aliquid salutare efficere potuissent, fidem & vocationem explicitam, barbaris gentibus denegatam, desertionem ac indurationem quorundam eos non minus ad arcana Dei placita ducere. De Arminianis idem ex Episcopo & Limborchio evincere studet. Hinc concludit, omnes has partes uniri posse, si in arcana Dei voluntate salutem hominum positam agnoscetes, nihil præterea quærant, imo absolutum Decretum, recte explicatum, ut nempe illi saltem, quod a conditionibus dependet, opponatur, approbandum omnibus esse. Ceterum Supralapsariis non favet, neque prædeterminationem, quam vocant, admittit, imo evincere conatur, Calvinum ipsum, Zanchium, Bezam & alios Decretum justis, sed arcanis, rationibus nitens admisisse.

## HISTOIRE GENERALE DE L'EMPIRE

du Mogol.

i. e.

*HISTORIA UNIVERSALIS IMPERII MAGNI Mogolis, quod in India flores;*

I



*Autore FRANCISCO CATROU,*  
*e Soc. J.*

Hagæ Comit. apud Guil. de Voys, 1708, 12. ch. maj.  
Plag. 18.

**I**ndici Imperii historiam, prout illud a Magno isto Principe Tamerlane ad nostra usque tempora deductum est, e variis, Itinerariorum maxime, scriptoribus hætenus didicimus, quales Maffeus, Petrus della Valle, Thevenotus, Texeira, Tavernerius, aliique, & Herbelotus, inter primos etiam Orientalis Bibliothecæ conditor, extiterunt. Præsentis vero libelli autor Franciscus Catrou cum Manouchi cujusdam Veneti Commentarios de rebus Indicis MStos nactus esset, contexendam sibi quoque sumsit eam historiam, & fore operam hanc suam eo gratam magis literatis Viris arbitratus est, quo major fides istiduci suo Manouchi debeat haberi, quippe qui Medici functus munere quadraginta & octo annos jam versatus fuerit in aula Indorum Regis & præcipua regionis istius Chronica in Lusitanicam linguam curaverit transferri, antequam A. 1697 ad istos Commentarios adornandos semet accingeret, atque omnem Imperii ejus habitum & rationem non poterit non perdidicisse; ex quo de veritate eorum, quæ hic adferuntur, hoc minus potest dubitari. Novem vero sunt Reges, quorum vitæ exponitur consuetudo, quos ita percurramus, ut e singulis, quod notatu dignum sit, aliquod enotemus. In historia *Tamerlanis* nomen ejus Timurlenck explicatur & componi scribitur e vocabulis *Timur*, quod ferum significat & in re militari assidue versanti est impositum, & *lenck*, quod claudum notat. Hic dux primo Pastorum hinc inde collectorum Sultano Mahumedo fecit bellum, cujus metropolin cum primo impetu frustra oppugnasset, cumque suis retroire coactus esset, in fuga ab anu quadam est exceptus, cumque oryza ab igne, ad quem cocta fuerat, nimis adhuc calida fauces sibi adussisset, bellum in medias regiones non statim inferendum esse, ejus quæ oryzam apposuerat, sapiente monitu didicit. Bellum ejus cum Bajazethe gestum cum describitur, quod captivus hic in ferrea cavea inclusus fuerit, negatur, quem

P. 5.

20.



comiter potius habitum, illam vero fabulam a Græcis Bajazethem capitali odio prosequentibus confectam esse constat. *Miracha*, qui patrem sequitur, victus a Rege Cascar multaque exceptus cum humanitate dimissusque iterum, cum secunda usus deinde fortuna hunc victorem suum superasset, crudelius grassatus est, neque memor accepti beneficii oculos captivo erui curavit. Sed dedit viro poenas ejus sævitæ sat graves. Nam captivus hic regionis Cascar Princeps cum sagittandi artis sciens cum primis haberetur, & in conspectu *Miracha* atque procerum ejus dare documentum jussus esset, veneno infecta sagitta quadam, cæcus quamvis & ad solam monentis vocem arcum dirigens, ingratum hominem transfixit, sicque A. Chr. 1451 *Miracha* periit. *Abouchaid*, cui sigillum tamen Regis Mogolici quendam Sultanum Mahamed (forte quod patre *Miracha* captivo hic Mahamed frater *Abouchaid* imperio aliquandiu præfuit.) anteposit, primus exemplum dedit Regibus fratres suos, quos metuant, occidendi, & minus memorem fidei præstitæ erga servos quosdam, qui fugientem ipsum comitati erant, semet exhibens, proverbio locum dedit, quo apud Indos ingrati veri *Abouchaid* heredes appellantur. Obiit A. 1469. *Sec-Omor* sive *Sceick-Omar* nulla re alia delectabatur, quam columbis varii coloris alendis, unde etiam in aula sua duo extruxerat columbaria, ex quorum altero evocabat ad se columbas & vexillum, gerens in manibus oppugnaturas alterum e regione positum & acie dimicaturas in aere ducebat, sed dum ita animum suum aliquando recreat, in terram procidit, & per lapsum illum rupto capite finivit vitam. *Babar* sive *Babur* istius filius sequitur, cujus res gestæ, maxime occupatio novi Regni, cujus primaria urbs Dely, dum enarrantur, celeberrimi Indorum Legislatoris Brama mentio quoque injicitur. Eum nonnulli ex Europa in Indiam venisse volunt, & tali insigniunt nomine, quod Pythagoræ illud pene referat, cujus Philosophi Samii scripta in sapientum apud ipsos adhuc dum manibus sunt. Hic Brama omnem populum in quatuor descripsit classes, pertinentque ad primam *Bramines*, qui sacras res curant, in scholis pueros docent, & judices etiam reliquorum controversias finiunt; ad

p. 25.

45.

29.

31 f.

48.

56.



- secundam *Rageputtes*, qui militiam nimirum sectantur, & unde Reges licet creare; sequuntur hos *Banians*, qui mercaturam faciunt, deinde & *opificum* tandem ordo, qui in elaborandis rebus ad vitam necessariis occupati sunt. *Amayum* sive *Homayum* a quodam Chira sive Chircha, quem ad summos honores evexerat, superatus praelio, in Persiam salutis causa aufugit. De hoc refertur, quod in fuga illa in loco quodam aprico dormiturus procubuerit, & cum evigilasset, aquilam expansis alis semet tegentem & Solis prohibentem radios conspexerit, unde futuræ felicitatis ipsi augurium. Iste interim Chircha eo laudatur nomine, quod cum maxima mercatorum commoditate diversoria publica, *Caravanferas* dicta, passim extrui curaverit, in quibus hinc inde commeantes manerent & fatigati itinerum laboribus requiescerent. Idem etiam librarum fertur inventor, & quando mensuras ad unum omnes modum redegit, mercaturæ non parum profuisse dicitur. *Amayum* illum, qui post Chircha mortem Persarum auxilio in avitum Regnum fuerat reductus, excipit *Akebar*, quibusdam *Akbar*, qui dum Regnum Decan armis sibi subicit, in urbe ejus Amanadagar Principem fœminam magni animi diu obsedit, quæ ne divitias suas victori concedere cogeretur, ex auro & argento, quod habuit, globos confari curavit, quibus certæ execrationes hostis ejus inscribebantur, quos deinde per tormenta in muris displosa ad miliaris unius spatium in sylvis hinc inde sparsit. *Akebar* iste per 150 miliaria, ab urbe nimirum regia Agra ad urbem Lahor usque, per universam viam arbores umbrosas statuit, quibus ea hoc suavior efficeretur; inque Europæorum gratiam, qui tormentariam rem apud ipsum curabant, vineas passim fieri permisit, vulgata ea de re singulari lege, in qua Europæi in vino nasci dicuntur, non secus atque in aqua pisces, & vitam ipsis tollere perhibentur, qui vini usu velint interdiceret. Aliquando, ut curiositatis miro studio tenebatur, duodecim tenellos infantes cum nutrice & janitore mutis in arce quadam concludi jussit, experturus, quam adolescentuli deinde linguam essent prolaturi, sed in conspectum ipsius adducti post duodecimum ætatis annum omnes siluerunt, & non nisi gestibus, quid vellent, potue-



tuerunt ostendere. Idem ministrum sibi legit peculiarem, qui veneno miscendo præflet & certas conficeret pilulas, quibus suspectos sibi confestim tolleret. At vero dum aureæ pyxidi inclusas secum portat, & per errorem istarum quasdam, pro aliis catapotiiis, in altera pyxididis dimensione reconditis & firmando cordi inservituris, devorat, hoc novo suo invento suam ipse maturavit mortem, & veneno ita A. 1605 periit.

p. 155.

160.

219.

222.

235 sqq.

315.

*Jehan-Gvir* novus Indorum Monarcha Christianis cum primis favit, sed nullam tamen aliam ob causam, quam quod legibus ipsorum vinum bibere, & quorumvis animalium carne licitum esset vesci. Tandem *Cha-Jaham* imperavit hortis magnifice extractis celebris, in quorum piscinis ludebant pisces annulos aureos & adamantibus distinctos naribus insertos gestantes. Porticum quoque erexit immensis sumptibus, in cujus pariete vinea ex auro & gemmis descripta, uvæque carchedoniis fulgentibus & magni pretii adamantibus conspicuæ. Hic quatuor filiorum pater majorem natu Dara apud se retinuit, tribus reliquis regiones certas, quas præfecturæ nomine tenerent, attribuit, Bengalam secundo Cha-Chuja; Regnum Decan tertio Orangzeb, & Regnum Guzuratte quarto Moradbax. At vero in morbum Cha-Jaham dum incidit, Orangzeb correptis adversus fratrem natu majorem armis hunc obviam sibi procedentem superat, & patre in custodiam dato, imperii capeffit habenas, occisis duobus fratribus & tertio in Regnum Arracan secedere coacto. Dicitur Dara natu major nostræ fidei doctrina probe imbutus fuisse, & magistrum habuisse maxime Henricum Buseum Jesuitam, unde morituri Chamæ sunt auditæ voces: *Mahomet me perdidit, Jesus Christus aeterni Dei filius me servabit. Mahomet facit, ut moriar, Christus Dei filius reddet mihi vitam.* At Orangzeb adductis ad se gentis suæ Historicis & quo colore isthæc impietas tegi possit? quærentibus quicquid pro avitæ religionis gloria conservanda molitus sit, facile excusatum iri respondit.



## COURS DE PEINTURE PAR PRINCIPES.

hoc est,

*CURSUS ARTIS PICTORIÆ PER PRINCIPIA EXPLICATA a Dn. DE PILES.*

Parisiis, apud Jacobum Stephanum, 1708, in 12.

Constat plag. 22. &amp; 2. Tabb. æn.

**E**quidem Ars Pictoria ex earum numero est, quæ sedulum manuum exercitium requirunt, ut rite exerçantur: in tanta tamen rerum pingendarum varietate & modorum pingendi ac delineandi objecta diversitate multum quoque iudicio tribuendum atque ingenio. Quoniam vero nihil fieri potest, quod non habeat sufficientem rationem, cur fiat; atque homo exercitati iudicii ac rationis satis exultæ singulis attendens, quæ in praxi pictoria fiunt, eaque cum fine artis hujus nobilissimæ conferens, aut (quod majus est) notionem finis legitime evolvens, rationes possibilitatis in hac quoque arte deprehendere valet; nullum est dubium, quin Ars quoque Pictoria sua habeat principia necessaria & demonstrationes admittat inde contextendas, hocque titulo non minus quam Architectura Civilis in numerum scientiarum sit admittenda. Et quoniam demonstrationes hujus artis, si nomen suum tueantur, subsidium Arithmeticæ tam particularis, quam universalis, seu Algebrae, Geometriæ item ac Opticæ, postulant, cum Perspectiva (quæ Artis Pictoriæ pars non postrema existit) inter scientias Mathematicas locus universæ Arti Pictoriæ concedi poterat. Sed si verum fateri fas est, hæcenus quidem Artis Pictoriæ leges nemo ita explicatas dedit, ut vel in numerum scientiarum in genere consideratarum, vel in specie in numerum scientiarum Mathematicarum referri queat, si Perspectivam excipias. Equidem Joachimus de Sandrart in Academia Germanica Artis Architectonicæ, Sculptoriæ & Pictoriæ præter alia egregia praxin Pictoriam adjuvantia Lib. 3 Tom. 1 præcepta quoque Artis Pictoriæ dedit, & Henricus Testelinus in Annotationibus in Artem Pictoriam, ex Gallico idiomate a laudato Sandrarto in Germa-



manicum translatis, omnium regularum ambitum complexus esse videtur, quas ad perfectionem Artis nostræ adspirans observare tenetur; neuter tamen regularum demonstrationes attulit earumque fundamenta exposuit. Titulus operis, de quo jam nobis dicendum, innuere videtur, quod ingeniosus ipsius Autor Artem Pictoriam scientificam reddiderit; evolventibus tamen apparebit, quod in iisdem fere cum Sandrarto atque Testelino limitibus substiterit, nisi quod diffusiore dicendi genere uti libuerit. Egregie tamen hoc opere uti poterat, qui ad scientiarum sedem Artem Pictoriam evehere studeret. Etenim Autor actuum pictoriorum notiones distincte satis explicat & regulas tam generales, quam speciales solerter enumerat, ac subinde exemplis excellentissimorum pictorum illustrat. Definit Artem Pictoriam per imitationem objectorum visibilium ope figuræ atque colorum, & propterea imprimis requirit, ut objecta picta videantur vera. Hinc speciatim agit de inventione, dispositione, delineatione, & coloratione, tanquam distinctis pictorum artibus. Quemadmodum vero cum cura enucleat, quæ circa has attentionem merentur; ita non minore cum solertia persequitur, quæ in pingendis vestibis seu tegumentis, viriditate pratorum, regionibus, & imaginibus observanda, ut operibus singulis sua constet perfectio. Cæterum notatu digna sunt, quæ de sculptore quodam Italo narrantur, qui cæcus licet statuas tamen atque personas utriusque sexus & accurate delineavit, & ex cera imagines prototypo simillimas effigiavit. Cum Autor statuam Minervæ delineantem miraretur, respondit cæcus, se palpando examinare partium eminentias ac depressiones, earumque ad invicem rationem, formatamque hac methodo ideam memoriæ firmiter infigere, & juxta eam opus suum absolvere. Ut vero tanto minus dubii restaret, quod sine oculorum usu artem suam exerceret; Dux Braccianus in cella obscura imaginem suam ab eo fieri curavit, quam Duci simillimam admirati sunt omnes. Postquam vero Autor omnia exposuit, quæ ad opera pictorum rite dijudicanda usum insignem habere possunt; prolixè docet, quo ordine in studio pingendi sit progrediendum, ubi & studia subsidiaria commendat, Geometriam,



triam, Perspectivam, Anatomiam. Disputat etiam, num Poesis Arti Pictoriae sit praefenda, & utramque eodem in pretio haberi debere contendit: qua occasione usum Artis Pictoriae commonstrat. Coronidis loco bilancem pictorum proponit, ubi pondere summæ perfectionis in 20 partes divisio indicat, quot istiusmodi partes 1 in compositione, 2 in delineatione, 3 in coloratione, 4 in expressione celebrioribus pictoribus attribuat. Nullam vero hujus ponderationis rationem superaddit, quam dubio procul nec reddere poterat.

L'ART DE LAVER, OU LA NOUVELLE MANIERE  
de peindre sur le papier.

hoc est,

*NOVA RATIO IN CHARTA PINGENDI;*  
*Autore H. GAUTIER.*

Bruxellis, apud Franciscum Foppens, 1708, in 8.

Constat plag. 8.

**L**ibellum hunc ideo commemorare libuit, quia unicus est, ex quo morem delineationes operum Architectonicorum, fortaliorum imprimis, tam ichnographicas, quam orthographicas, atq; scenographicas, coloribus distinguendi addiscere licet: quod etsi, ubi finem earundem primarium (qui est ideam operis excitandi animo conceptam aliis manifestare) spectes, superfluum haberi debeat, sæpius tamen aliquid consuetudini dandum, nec res ipsa, si rite fiat, prorsus improbanda, quoniam hæc ratione singula ad vivum magis repræsentantur. Antequam autem Autor monstret, quoniam colores singulis ædificiorum ac munimentorum partibus conveniant, non modo distinctam suæ Artis notionem format, ejusque a reliquis pingendi generibus differentiam exponit, verum etiam de coloribus necessariis ac bonitatis eorundem characteribus, de penicillis item congruis, nec non de aliis ad pingendum requisitis accurate agit.

NOUVEAU



## NOUVEAU TRAITE' DE LA MEMOIRE, &amp;c.

hoc est,

*NOVUS TRACTATUS DE MEMORIA,  
in quo ejus effectus maxime stupendi Mechanica ratione  
explicantur. Autore DE BILLY, Advo-  
cato Parliamenti.*

Parisiis, apud Johannem Boudot, 1708, in 12. ch. maj.

Constat plag. 7.

**M**Emoriam Autor definit per facultatem res olim perceptas in animum revocandi. Jam cum perceptiones ab impressionibus objectorum in sensus externos pendeant; ante omnia naturam sensationum, auditus præsertim, prolixè explicat. Recurrunt autem rerum perceptarum ideæ quam sæpissime per somnia. Horum itaque rationem cum cura examinat, inprimis cum somnium in dormientibus dici arbitretur, quod in vigilantibus memoriæ fert nomen. Derivat rerum externarum perceptionem a diversis nervorum tensionibus per spiritus animales affluentes factis. Quodsi adeo contingat, citra impressionem ab objecto externo in organum sensorium factam easdem fieri nervorum tensiones; homo, sive dormiat, sive vigilet, objectum illud percipiet, quod tensionem præsentem producere aptum est. Fieri autem posse arbitratur istiusmodi tensiones tum ob pulsum cordis & arteriarum vehementiorem, tum ob impressiones in organa sensuum, auditus præsertim, ad nos e somno excitandum non sufficientes, quia scilicet in somno nervos fere deserunt spiritus animales. Quodsi tensio nervorum nova quadam ratione fiat; nos quoque per somnium audire ac videre ante nondum visa vel audita. Alia ratione ob eandem impressionem nervorum tensionem fieri putat, si duo sensus una feriuntur, quam si singuli sigillatim afficiuntur. Atque hinc monstrat, quomodo unus sensus excitet alterum sive per somnium, sive per vigiliis. Ex eodem mechanismo docilitatem animalium explicat. Quod jam memoriam attinet, inter memoriam animaleam & liberam distinguit. Istam in eo



fundat, quod per exercitium frequens nervi facilitatem acquirant ad certam tensionem assumendam. Hanc vero explicaturus supponit, occasione cujusvis cogitationis in mente fieri motum isti particularem in organis & contra. Quod si ergo menti præsens quædam idea, per motum organorum fortuitum, ipsi suppeditata, atque in ea quidpiam fuerit, quod de objecto repræsentato scire desideret, inquietudinem animæ vagabundus spirituum in cerebro motus comitatur, ad mille tensiones diferentes nervos obligans, donec tandem ad eam deveniatur, quæ menti repræsentat, quod scire desiderabat.

*FRIDERICI HOFMANNI, CONSILIARII ET  
Archiatri Regii, Medicinæ & Philosophiæ experimenta-  
lis P. P. Ord. Dissertationum Physico-Medicarum curiosarum  
selectiorum, ad sanitatem tuendam maxime  
pertinentium, Pars altera.*

Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak, 1708, in 8.  
Constat plag. 20.

**C**um celeberrimus Autor pro ratione muneris Professorii (a quo nuperrime a Potentissimo Borussiae Rege ad aulam vocatus, ut sacrae Majestatis valetudinem tueatur & Consilarii aulici munere fungatur) omnes ingenii nervos hætenus eo intenderit, quo Artem Medicam certis ac solidis fundamentis superstrueret; talia quoque argumenta quam maxime elaboranda sibi sumfit, quæ ab aliis fere neglecta primum in praxi Medica observari debebant. Recte enim sentit, opus non modo esse Medico ad morbum tollendum, sed etiam ad præcavendum. Et ad hunc posteriorem scopum collimant quoque Dissertationes Volumine altero contentæ. Dissertitur de peregrinationibus sanitatis causa instituendis, de inedia magnorum morborum remedio, de vini Rhenani præstantia, de methodo examinandi aquas salubres, de thermis Carolinis, & de temperamento morum & morborum in gentibus fundamento. Peregrinationes sanitatem conducere non modo a posteriori exemplo *Ciceronis, Zosimi* apud *Plinium*, & *Regum Persarum* sedes



imperiales sanitatis gratia mutantium probat ; sed & a priori eleganter demonstrat. Sanitas juxta Autorem a moderato circulo sanguinis pendet. Ad eum procurandum itinera variis modis conducere arbitratur. Reddunt enim animum tranquillum. Tranquillitati animi respondet tranquillus spirituum, consequenter cordis & arteriarum motus. Accedunt aeris mutationes, quarum multus in circulum sanguinis influxus. Accedit aquarum salubrium usus, inter sanitatis causas utique commemorandus. Accedit denique corporis motus, ad sanguinem subtiliorem reddendum conducens. Enarrat Autor, loca salubria, quorsum sanitatis causa excurrendum, *Insulas Canarias, Hispaniam, Athenas, Bohemiam, Brasiliam, Italiam, Neapolin, Alexandriam*, & in genere loca montosa aere puro gaudentia, quæque moderata tempestate fruuntur, commendat, atque rusticana præfert oppidanis. Peregrinationes phthificis præsertim & hæmopticis conducere monet, ac per aeris mutationem ulcera, morbos capitis & nervorum, vertiginem, puta, melancholiam, maniam sæpe sanari observat, monstrans insinuat, quid præsidii in morbis chronicis, quid hypochondriacis a peregrinationibus expectandum. Tandem cautelas in istiusmodi itineribus observandas recenset, quod e. gr. aeris status probe explorandus, num sit contrarius ei, qui morbum peperit ; quænam cœli mutatio habitui corporis conveniat ; quod nimius calor æque ac nimium frigus sollicite vitari debeat. Similiter & rationibus & exemplis longævitatem diætæ multum juvari probat, damnans abusum deliciarum hodiernarum. Quemadmodum vero prudens diætæ regimen in omnibus morbis curandis maximum habet pondus ; ita potissimum eandem commendat in plethora, anorexia, cachexia, hydrope, ictero, viscerum obstructionibus & scirrhis, læsionibus & vulneribus ventriculi, transpiratione impedita, febribus, scabie, elephantiasi & ulceribus, catarrhalibus defluxionibus, affectibus cerebri ab humorum copia vel crassitie oriundis, ut paralyfi, affectibus soporosis, cephalalgia, melancholia, incubo, epilepsia, podagra, arthritide & affectibus spasmodicis. Notat præterea victum moderatum ingenii mentisque actionibus egregie inservire,



cum a motu spirituum dependeant, qui tanto crassiores, quo sanguis copiosior & crassior; ac regulas diæticas exhibet. Cum de vino *Rhenano* agit, quod omnium Germanicorum præstantissimum judicat, simul omnia reliqua vinorum genera enumerat eorumque virtutes laudat. In vino per analysin chymicam maxime conspicua deprehendi ait quinque illa Chymicorum principia, a quorum diversa mixtione vinorum diversitatem derivat. Vinis *Rhenanis* inesse contendit sulphur admodum subtile, acidum tenerum, magnam ætheris & aquæ copiam. Et in genere, quæ fluida & subtilia sunt elementa, vinorum Germanicorum constitutionem ingredi, quod grave, densum, terrestre & viscosum, ab eorum mixtura remotum esse. Mixtionis diversæ causas in Solem, solum & vitem conjicit. Prolixe agit de vinorum conservatione, corruptione, & virtute medicinali tam præservatoria, quam curativa, & subinde vini haustum liberaliorem, non tamen ad ebrietatem usque, corporis viribus ac ipsi vitæ inimicam, commendat. Aquam ex æthere, humido & solido terreo componi statuit. Illum bullulæ produnt; de isto nemo dubitat: hoc per destillationem, etiam sæpius iteratam, detegitur & in resolutione aquarum conglaciatarum fundum petit. Aquas igitur optimas judicat, quæ copioso spiritu gaudent, ex earum levitate per methodos hydrostaticas examinanda, ex veloci ad ignem æqualiter structum evaporatione, ex bullulis denique copiose præsertim ascendentes, si per antliam pneumaticam aer externus subducitur, dignoscendo. Hac occasione de aquis medicatis commentatur, & in specie in causas caloris thermarum, *Carolinarum* præsertim, inquit, cujus genesin ita concipit. Quando, inquit, in terræ visceribus sulphur cum bitumine fossili nec non cum martialibus mineris est commixtum & in magnos cumulos collectum, & aqua ad hæc mineralia accedit, tum acidum vitrioli, quod in sulphure est, solvitur & actione sua in terram bituminosam & sulphureas martiales mineras efficit non modo calorem intensissimum, sed, si & terra est porosa & sufficiens aeris quantitas accedit, luculenta flamma producitur. Explicat & modum utendi thermis, atque *Carolinarum* in morbis virtutem  
atque



atque effectum, una cum harum aquarum noxa & abusu. Quemadmodum vero claras atque distinctas amat rerum notiones, a nulla re alia magis abhorrens, quam a sonis sine mente editis; ita quoque eleganter temperamentum interpretatur. Monet nimirum, temperamentum corporis vivi non tam in elementorum commixtione, quam in motu fluidorum tam progressivo quam intestino, partiumque solidarum impulsu consistere. De sanguinis adeo & humorum circulo interpretandum esse, quod veteres de temperamento affirmarunt. Monstrat autem convenientiam inter motum sanguinis & propensiones animæ, ac ortum vitiorum, virium ingeniorum, morborum ex temperamenti declarat: ubi alias præterea commemorat causas mores alterantes, ætatem puta, aerem, victum, & temperamentorum ad constitutiones climatum relationes examinans de moribus, inclinationibus & aptitudinibus naturalibus plerarumque gentium judicat.

ΟΤΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

sive

ITINERA ALPINA TRIA; AUTORE JOHANNNE JACOBO SCHEUCHZERO, *Med.*

*Doct. Tigurino & Societatis Regiæ Londinensis Socio.*

Londini, impensis Henrici Clemens, 1708, in 4.

Plag. 21 & figur. æn. Tabulis 41.

**V**estigia *Conradi Gesneri*, Polyhistoris Helveti, in hoc feliciter premit *Clarissimus Scheuchzerus*, quod cum Helveticæ Naturæ miranda in genere, tum & in specie montium curiosa quæcunque lustrare, rimari, & ita describere suscipiat, ut inde in patriam, eruditamque Orbis curiosi rempublicam aliquis redundet usus. Quem in finem tria jam edidit *Itinera Alpina*, in quibus incolæ, animalia, plantæ, montium altitudines barometricæ, cœli & soli temperies, aquæ medicatæ, mineralia, metalla, lapides figurati, aliaque fossilia, & quicquid insuper innatura, artibus, & antiquitate per Alpes Helveticas & Ræticas



rarum sit, & notatu dignum, exponitur, & iconibus illustratur. Ex singulis Itinerariis pauca delibaturi sumus.

pag. 6.


10. In Itinerario I fagi resectæ truncum annosum offendisse se refert, præ vetustate in putrilaginem redactum, cujus magna pars nativum suum colorem exuerat, nec tamen foetidum & obsoletum, putredini proprium, assumserat, verum viridi pulcherrimo colore fuerat perfusa, ac si virido ære fuisset studio tincta & saturata; tinxit autem, ut putat, successive natura ipsa, exaltato principio vitriolico. Postquam Colicæ spasmodicæ rarioris historiam communicavit, ad Botanicam se confert, ubi inter alias sequentes descripsit & depinxi curavit plantas: scilicet 24. *Allium montanum sphaerocephalon purpureum; Coralloidem flavam; Gramen avenaceum spica simplici, locustis densissimis, candicantibus & lanuginosis; Gramen montanum spica foliacea; Gramen cirrosa & villosa spongia ad singula genicula donatum, paniculatum minimum Alpinum; Juncum Alpinum capitulo glomerato e nigro splendente; Lichenem pyxidatum & corniculatum proliferum; Muscum palustrem terrestri similem; Muscum terrestrem repentem clavis singularibus foliosis erectis; & Sedum saxatile, cujus capitula stellata coloris sunt subviridis vel pallidi.* Tandem coronidis loco quædam de lacte & operibus lactariis Helveticis commemorat.

8. In Itinerario II postquam modum, quo Barometris in montibus utitur, exposuerat, balneum inferiorum Urnensium, 10. & aquam sulphureo-bituminosam, ad radices montis Wallenberg scaturientem, examini subjicit; chalybis quoque Venæ Sarunetanae, quæ in pago Flumbs excoquitur, mentionem facit; quæ ratione Lacus quidam murmuribus tempestates præfagiant; & quomodo ex Leбето lapide ollæ, lebetes, aliaque vasa formantur, exponit. Post hæc torcular describit, quo Glaronæ & 50.

TAB. IV. Mattæ pro caseis conficiendis utuntur. Scilicet in aream D machinæ profunditur materia casei, & dum mola casearia ab affluente extus rivo E circumagitur, ansula A materiam a lateribus aufert, & in aream mediam derivat, ansula B vero eandem evagari non sinit, sed eo iterum repellit, ut a lapide C 57. molari simili conteri & exacte subigi possit. Inter plantas in hoc



TAB. IV. ad A. 1709 M. Febr. pag. 78.





Handwritten text at the top of the page, possibly a title or date, which is mostly illegible due to fading.





Itinerario descriptas sequentes æri incisæ prostant: *Calamintha montana pulegii odore*; *Gramen paniculatum locustis parvis purpureo-argenteis annuum*; *Gramini Canino Vineali simile Alpinum angustioribus foliis paniculis rarioribus non aristatis*; *Bellis Alpina alba minor*; *Lichen Alpinus glaucus ramosus botryoides*; *Muscus Alpinus cirrosus seu crinium retortorum instar crispatus*; *Ranunculus montanus purpureus, calyce villosa Felicis Plateri*; *Saxifraga Alpina Ericoides flore cœruleo*; *Saxifraga Alpina Sedi foliis crenatis asperis*: *Sedum Alpinum minimum foliis cinereis flore candido*; *Sedum muscosum*; & *Tanacetum Alpinum odoratum*.

In Itinerario III Thermarum Favariensium examen uberius & delineationem curiosam exhibet, atque rupicaprarum historiam & venationem describit, quibus Observationes Barometrico-Meteorologico-Geometricas addit, unde situm thermarum Favariensium respectivum colligere liceat.

p. 2.

7.

AGROSTOGRAPHIÆ HELVETICÆ PRO-  
dromus, sistens binas Graminum Alpinorum hæctenus  
non descriptorum & quorundam ambiguum Decades;  
Autore JOHANNE SCHEUCHZERO,  
M. D. Tigurino.

Sumptibus Autoris, 1708, fol.

Constat plag. 7 & figurarum ænearum Tabulis 8.

**D**ifficultates & numero & mole fere insuperabiles, quæ alios Botanophilos a graminum historia sive descriptione facile deterrent, Cl. Scheuchzerum, Jo. Jacobi Fil. ad hanc Botanicæ partem excolendam vel a primis annis, quibus Medicinæ sacris destinatum se observavit, stimularunt. Operis, quod circa hanc materiam meditatur, non specimen, sed prodromum jam sistit, eumque Illustri Jacobo Capello, Venetorum ad Tigurinos, Bernenses & Rhætos Legato, sacrum esse voluit. Exhibet scilicet Graminum aliquot Alpinorum prorsus novorum, paucorumque satis ambiguum descriptiones, quantum fieri

po-









potuit, accuratas, iconibus possibili cum exactitudine æri insculptis junctas, Rajanam methodum ob exactiorem rerum omnium gramina concernentium dispositionem secutus. Explicatis scilicet terminis, & denominationibus partium plerumq; obscuris & ambiguis, quæ in tanta Graminum varietate & copia quandam confusionis ideam alias imprimere solent, sequentia, quæ præ reliquis rariora reputamus, describit: *Gramen loliaceum*. spica lata e plurimis spicis duplici versu dense dispositis constante; *Gramen Typhoides Alpinum* spica brevi, densa & veluti villosa; *Gramen Alpinum enode* spica parva, subrotunda, ferruginea; *Gramen Alpinum paniculatum minus* panicula spadiceo-viridi elegans; *Gramen Alpinum paniculatum elegans* paniculis ex spadiceo-viridi & argenteo variegatis; *Gramen paniculatum spartheum Alpinum* panicula angusta spadiceo-viridi proliferum; *Gramen parvum paniculatum Alpinum* panicula spadicea aristatum; *Gramen Avenaceum paniculatum Alpinum* foliis capillaceis brevibus, locustis purpureo-argenteis splendidibus & aristatis; *Gramen Avenaceum paniculatum Alpinum* locustis varicoloribus majoribus aristatis; *Gramen Avenaceum paniculatum Alpinum humile* Locustis in spicam collectis varicoloribus aristatis; *Gramen Alpinum nemorosum* paniculatum foliis angustissimis, locustis splendidibus aristatis; *Gramen hirsutum nemorosum angustifolium Alpinum* paniculis obscure rufescentibus; *Juncus Alpinus* capitulo tomentoso majori; *Cyperus Alpinus longus* inodorus, panicula ferruginea minus sparsa. Quæ allegasse nomina sufficiat.

REPETITA POSTULATIO, QVA FERDINANDUS ERNESTUS, Comes AB HERBERSTEIN, urget Problematis a se propositi resolutionem.

TRimestre est & quod excurret, a quo acutissimos almae Geometriæ Cultores ad resolutionem Problematis de Lunula datæ aequali & alteri datæ simili exhibenda invitavi, sperans me intra temporis jam elapsi decursum saltem elegantem quam-











quampiam circa hoc Tetragonismi complementum speculationem ab iisdem impetraturum, neque etiamnum spem abjicio gnarus tam variis vitam humanam agitari negotiis, ut persæpe tibi, utut maxime cupias, ingruentibus aliunde remoris, cœptæ spartæ intento esse non liceat. Scilicet ut fatis ita tempori ceddendum, atque alieno frequentius arbitrio, quam beneplacito tuo velificandum. Dum igitur eruditas acutissimorum Geometrarum præstolor lucubrationes, lubet Problematis resolutionem circa lunulas duorum circulorum excessum adæquantes occupatam cum ipsis in præsens communicare, sat ampla in iis, quæ a duabus peripheriis se secantibus, cava una, convexa altera, continentur, materia eorundem industriæ relicta, utramque autem hanc speciem venire nomine lunulæ, considerata triplici ejus definitione, ab acutissimo Francisco Vieta Lib. 8 Varior. de reb. Matth. Respons. Cap. 9 Prop. 2 allata, Geometris ignotum non est: etenim primo:  $\text{Μηνίσκος ἔστι τὸ περιεχόμενον σχῆμα ὑπὸ δύο περιφερειῶν}$  vel secundo:  $\text{δύο κύκλων μὴ περὶ τὸ αὐτὸ κέντρον ὄντων ὑπεροχὴ κοίλης καὶ κυρτῆς}$  vel tandem tertio:  $\text{τὸ περιεχόμενον ὑπὸ δύο περιφερειῶν ἐπὶ τὰ αὐτὰ μέρη τὰ κοίλα ἔχουσιν.}$  Itaque

Datae sint Lunulæ AAA. BBB oporteatque lunulam TAB. V. CCC huic similem illi vero æqualem exhibere. Est au- Fig. 1, 2, 3, 4, tem ratio Circulorum DAEA. DTPT. quæ DE ad FQ. cir- 5, 6. culorum vero HBNB. HZY quæ HN ad OL. sitque FV. ipsi DE æqualis: *Constructio* inveniatur ad OL. HN. FQ. quarta FR. tum pariter ad RQ. VQ. DP. quarta IG. ac tandem inter DP & IG media WK, secetur hæc ita in S, ut HZ. secta est in N. describanturque super WK. WS velut Diametris circuli WXKX. WCSC. Dico lunulam CCC lunulæ BBB similem, lunulæque AAA esse æqualem.

*Demonstratio.* Cum enim ex constructione sit HZ ad HN ut WK ad WS, erit pariter quadratum ipsius HZ ad quadratum HN ut quadratum WK ad quadratum WS. adeoque & circulus HZY ad circulum HBNB ut circulus WXKX ad circulum WCSC. est igitur excessus quo circulus HZY. superat circulum HBNB. seu quod idem est, lunula BBB. similis differentię qua circulus WHKH excedit circulum WCSC. sive lunulæ



nulæ CCC. Quod erat primo loco faciendum. Præterea ut VQ ad RQ ita est circulus WXKX ad circulum DTPT. & quoniam ex Hypothesi FQ est ad DE ut circulus DTPT ad circulum DAEA hincque ut FQ ad VQ ita circulus DTPT. ad lunulam AAA: erit PQ ad RQ ut circulus WXKX ad lunulam AAA atque adeo ut FQ ad FR seu OL ad HN ita circulus WXKX ad excessum quo circuli WXKX. DAEA simul sumpti superant circulum DTPT est autem ex hypothesi ut OL ad HN ita circulus WXKX ad circulum WCSC æqualis est igitur circulus WCSC excessui quo circuli WXKX. DAEA simul sumpti superant circulum DTPT. quare si æqualibus addatur circulus DTPT fiet summa circulorum WCSC. DTPT. æqualis circulis WXKX. DAEA. simul sumptis, & si auferantur circuli DAEA. WCSC. erit excessus quo circulus WXKX superat circulum WCSC seu lunula CCC æqualis differentiæ qua circulus DTPT excedit circulum DAEA sive lunulæ AAA. quod erat secundo loco faciendum.

*ALTITUDO POLI, SIVE LATITUDO GEOGRAPHICA URRATISLAVIÆ IN ALMA CÆSAREA REGIAQUE UNIVERSITATE LEOPOLDINA SOC. JESU IBIDEM A. 1705, 1706, 1707 & 1708 OBSERVATA A D. CHRISTOPHORO HEINRICH, SOC. JESU, IN PRÆFATA UNIVERSITATE THEOLOGICÆ MORALIS & MATHEMATUM Professore.*

Nissæ, typis Josephi Schlögel, 1708, 4.

Constat pl. 3 & Tab. æn.

**C**um Autor maxime Reverendus enormem Astronomorum & Geographorum de latitudine *Urratislaviæ*, metropolis totius Silesiæ, discrepantiam notaret; in eam eadem methodo, qua in altitudine Poli Bononiensi definienda A. 1656 utebatur summus nostra ætate Astronomus, *Johannes Dominicus Cassinus*, accuratius inquirere operæ pretium duxit. Scilicet super lineam meridiana Gnomonem ABD erexit, cujus altitudo AB erat circiter 35, latus Horizontale DB 31 pedum. Lineam Ho-

TAB. V.

Fig. 7.

rizon-



rizontalem duxit ope libellæ hydrostaticæ a *Ricciolo* Lib. 5 C. 30 Geogr. Refor. commendatæ. Sub finem Decembris & initium Januarii annorum 1705, 6, 7, & 8 altitudinem Stellæ Polaris maximam & minimam eadem nocte observans oculo tam libero, quam armato, pro ista notavit CB particularum 20161, pro hac DB particularum 23684, qualium AB 27116. Hinc per Trigonometriam planam elicuit angulum ACB, hoc est, altitudinem stellæ Polaris maximam  $53^{\circ} . 22' . 7'' . 51'''$ , & angulum ADB altitudini minimæ respondentem  $48^{\circ} . 51' . 53'' . 54'''$ . Erat itaque distantia Stellæ a Polo  $2^{\circ} . 15' . 6'' . 58''' \frac{1}{2}$ , consequenter altitudo Poli quæsitæ  $51^{\circ} . 7' . 0'' . 52''' \frac{1}{2}$ . Hanc observationem confert cum ea, quæ a Ricciolo A. 1655 initio Octobris Bononiæ facta est, atque inde accessum stellæ Polaris annum ad Polum reperit  $20'' . 1'''$ , prorsus ut post *Tychonem* notavit *Ricciolus* Almag. Novi Lib. 1 C. 12 schol. 5 F. Deducit hinc alia corollaria pro Horizonte Uratislaviensi, primum mobile maxime concernentia, quæ inter media alæ Boreæ in Cygno A. 1711 d. 25 Aug. in ipso vertice culminatura prædicatur. Construit pro eodem Horizonte Tabulas altitudinum Solis ad singulas horas Astronomicas, cum versatur in signorum initiis; altitudinum Meridianarum pro quolibet signorum gradu; veri ortus & occasus Solis, longitudinis diei, atque incrementi diei & noctis pro singulis Eclipticæ gradibus; verarum amplitudinum ortivarum & occiduarum; longitudinum umbræ Solaris singulis horis, mensuratæ per pedes, quorum 6 continet altitudo umbram projiciens; & longitudinis umbræ versæ, singulis horis in planum verticale projectæ, mensuratæ partibus, quarum 10 continet Gnomon Horizontalis, pro altitudine ☉ in signorum initiis existentis. Denique usum Tabularum monstrat in descriptione annuli Solis, in reperienda linea meridiana, in hora ex umbra personæ stantis investiganda, & in descriptione cylindri horodictici. Magnam adeo apud Uratislavienses gratiam iniisse censendus est. Optandum foret, ut alii complures ejus exemplum sequerentur, perfectioni Geographiæ multum hac ratione consulturi.



## SUITE DES CONJECTURES PHYSIQUES,

hoc est,

*CONTINUATIO CONJECTURARUM PHYSICARUM;**Autore NICOLAO HARTSOEKER.*

Amstelodami, apud Henricum Desbordes, 1708, in 4.

Constat plag. 19 &amp; Tabb. æn. 5.

**S**istit hic Autor Librum primum Continuationis Conjecturarum Physicarum, explicandæ œconomiae corporis humani destinatum: reliqui de sensibus externis & motibus voluntariis, de intellectu humano, de passionibus animæ, de præcipua differentia inter œconomiam animale[m] corporis humani & brutorum, tandemque de vegetatione Plantarum agent. Absolvitur autem ille septem Discursibus Physiologicis, de digestionem, structura cordis, circulatione sanguinis, respiratione, natura & usu glandularum, nutritione & accretione, atque generatione tractantibus. More suo dicendi genere admodum perspicuo nititur & paucis tamen multa dicere studet. Solutionem ciborum in stomacho per reliquiarum inter dentes ope solius salivæ factam solutionem adumbrat: quæ materia cum halitum foetore inficiat & lapidescens dentibus noceat, os a prandio & cœna statim eluendum censet. Carpit eorum morem, qui salivam expuunt, ad juvandam digestionem potius deglutiendam. Negat spiritum vini juvare digestionem, cum animalia in spiritu vini a putredine conservari constet. Motum peristalticum intestinorum, quibus chylus in venas lacteas exprimitur, in pediculo oculis armatis observari notat. Per spiritus animales fluidum intelligit, quod per nervos circulatur, & id instar aeris subtilis aut spiritus vini rectificatissimi concipit, calore dilatandum, frigore condensandum, immo a lymphâ fere nonnisi in eo differre credit, quod per nervos fluat. Aerem in pulmonibus per tubulos capillares sanguini permixtum ob salia volatilia, quæ secum vehat, in eodem quandam effervescentiam excitare statuit, transmutationi chyli in sanguinem & ejus circulationi continuandæ aptam. Probat inde, quod experimenta antliæ pneumaticæ loquantur sanguini multum aeris admixtum esse, quodque



que in sinistro cordis ventriculo calidior quam in dextero sanguis deprehendatur. Coquos plerumque pinguescere, etsi parum capiant cibi, quia partes subtilissimæ & maxime nutrientes ex carnibus exhalantes inter respirandum cum aere attrahuntur, sanguini per venas pulmonales circulanti insinuandæ. Aerem ex sanguine inter expirandum per arterias pulmonales rursus exire, cum arteria aspera spuma repleatur, si arteriæ pulmonali aqua calida immittatur. Per aerem, quem respiramus, chylum in sanguinem converti posse, experimentis probaturus observat, lac vaccæ, chylo ex ipsius mente simillimum, colore rubido sanguinis instar tingi, si cum duplo oleo tartari igni admoveatur. Suadet Serenissimo Principi Electori Palatino, ad quem Discursus in hoc volumine contenti constanter diriguntur, ut maleficos custodiri jubeat, donec ægroti fiant, quo in articulo mortis tentari queat, an non per immissionem sanguinis alicujus animalis in ipsorum venas restitui possint. Monet etiam singulis binis vel ternis diebus sanguinis quandam portionem emitti, & ægrotos interea cibis facile digerendis nutriri posse, ut appareat, num forte hac ratione compendiosius quam per remediorum usum sanari queant, quæ in morbis diuturnis plus noceant, quam profint. Invehitur in Medicos per purgantia, vomitoria & sudorifera vires naturæ communiter debilitantes: spiritum vini vulneribus sanandis omnium optime conducere: motum peristalticum arteriarum ad circulationem sanguinis multum contribuere credit. In mundi machina minimum insectum æque necessarium ac hominem judicat. Salia volatilia aeris, de quibus dictum, pro quadam specie salis nitrosi seu Ammoniaci, hoc est, composito ex acido & alcali habet. Sanguinem phosphoro urinoso comparat per salia volatilia aeris inflammabili, indeque concludit nimiam aquæ copiam sanguinis effervescentiam, consequenter ipsius circulationem impedire, quæ desinere queat non obstante sanguinis fluiditate. Hinc rationem reddit, cur quædam animalia per hiemem mortua vere reviviscant, item cur homo quidam per 24 horas pro mortuo habitus rursus revivixerit & per plures annos integra sanitate gavifus fuerit, forte adhuc in vivis. De



TAB. V.  
Fig. 8.

se ipso refert, quod ad nimium aquæ calidæ potum herba Thea tinctæ aliquoties viribus defecerit. Primarium respirationis usum esse ait, ut salia volatilia aeris sanguinem intrent ad ejus effervescentiam producendam, qua sine vita subsistere nequeat. Separationem humorum in glandulis sequenti experimento illustrat. Sit tubus AB, cui jungantur duo alii capillares FE & CD. Repleatur FE oleo, alter CD aqua. Si tubo AB mixtum ex oleo & aqua infundatur, oleum nonnisi per EF & aqua per CD fluet. Cerebellum lædi non posse sine mortis præsentissimæ periculo; at vulnus cerebri non necessario esse letale statuit. Ultimum assertum optime confirmari poterat experimento, quod in vicina Academia Hallensi instituit sæpius in his Actis jam nobis laudatus *Hofmannus*. Cani scilicet per medium caput summa vi clavum adegit, ita ut per aliquod temporis spatium mensæ affixus hæreret. Vulneri nonnisi pauculo vini Rhenani infuso, rursus convaluit, nec ullum ipsi ab hac læsione cerebri damnum accessisse notatum est. Urina per Analysin Chymicam ex pauca terra, paulo majore sulphuris copia, multo sale nitroso aut potius Ammoniaco & magna quantitate aquæ constat. Copiam salis Autor a commixtione salis nitrosi aeris cum sanguine in venis pulmonum capillaribus derivat, quia tanto major salis copia in urina, quanto celerius sanguis circuletur, ut post violenta corporis exercitia aut febrim. Omnes partes corporis ex vesiculis & tubulis contextas esse ait, qui succis differentibus sine discontinuatione per eos circulantibus repleantur. Succum nutritium esse lympham atque inde petendum, quod sanguini animantium præ fame mortuorum desit debita gelatinositas. Nutritionem vero in illarum vesicularum & tubulorum nutritione consistere; accretionem fieri, si vesiculæ & tubuli adhuc molles atque flexiles per succum nutritium extendantur atque hinc facta interstitiola particulæ quædam ingrediantur cum reliquis coalituræ, ubi ejusdem fuerint naturæ. A fibrarum induratione lentam circulationem sanguinis, & ipsam tandem mortem derivat. Mortem adeo ex natura nutritionis necessario consequi, sicque eandem mortis causam esse, quæ vitæ conservandæ causa existit. Generationem denj-



denique per animalculi ex semine masculo in cicatriculam ovuli foeminae ingressum explicans, ex 30 annorum observationibus prolixè describit, quid circa ista sibi observare licuerit. Refert nimirum, in semine hominum ac quadrupedum animalcula ista figuram habere fere ovalem caudamque admodum longam, instar ranarum nascentium: in semine autem avium non nisi vermes simplices comparere. Præter has duas species aliam detegere non potuit. Esse autem tam exigua, ut vix ipsorum myrias granum sabuli adæquet, & vigore tanto prædita, ut in vitreo tubulo custodita quarto die adhuc vivi deprehendantur, immo in media hieme frigori per 6 horas exposita non eneantur. Reperiri in semine juvenis sani magna copia, aut in vesiculis seminalibus infantum nulla comparere, in semine senum vel mortuos, vel admodum languidos videri. In eorum cauda chordam umbilicalem latere sibi persuadet. Ceterum cum ex sanguine excernantur, probabile ipsi sit, eadem vel cum alimentis assumi, vel cum aere inter respirandum attrahi.

*FUNDAMENTA VERÆ RELIGIONIS PRUDENTUM, adversus Atheos, Deistas & profanos homines asserta & vindicata; Autore D. ADAMO RECHENBERG, Theolog. Prof. Primario.*

Lipsiæ, sumptu Jo. Herb. Klofii, 1709, in 12.

Constat plagulis 12.

Cum Religio Christiana, post ætatem Apostolorum, in plurimas sectas abierit, quæ per litigia male temporum ingeniorum subinde magis in ecclesia increvere, ita ut inde *Indifferentismus* in Religione, qui proxima via ad Atheismum est, subnatus sit; summe Rever. Autor hujus libri contemplatus corruptissimum Religionis statum, operæ non inutilis se pretium facturum existimavit, si quæ *fundamenta Religionis* in genere sunt, primum ex lumine naturæ adversus Atheos & Deistas assereret ac vindicaret; deinde vero fundamenta religionis Christianæ ex lumine Scripturæ S. cujus divinitatem idoneis argumentis probat, eandem demonstraret; ut appareat, Religionem non esse rem arbitra-



bitrariam aut commentum humanum, ceu stolidissimi mortali-  
 um Athei putant. *Parte igitur prima* hujus libri Reli-  
 gionis in genere fundamenta sex proponit atque probat. Pri-  
 mum est *Dei existentia* : secundum *creatio hujus universi*  
*seu mundi* : tertium *divina providentia* : quartum *animarum*  
*humanarum immortalitas* : quintum *resurrectio mortuorum* :  
 sextum *futurum Dei judicium universale*. His fundamentis  
 præstructis & probatis, concludit, Religionem non posse in-  
 ventam humanam esse. Inde *Parte secunda* demonstrare pergit,  
 ad veritatem Religionis cognoscendam requiri divinam reve-  
 lationem, ex qua certo constet, quo modo Deus coli velit.  
 Ista vero ex S. Scriptura, cujus hic divinitatem adversus Atheos &  
 Deistas simul probat, petenda est. *Parte tertia* libri cum Re-  
 ligionem duabus partibus constare, nempe credendis & agendis,  
 asseruisset, de duobus summis Religionis Christianæ capitibus,  
 quæ sunt & a Patribus veteris ecclesiæ MYSTERIA κατ' ἐξοχήν  
 vocantur, puta SS. Trinitatem & Filii Dei incarnationem, paul-  
 lo fusius agit, eorumque veritatem ex divinis literis demonstrat.  
*Parte quarta* de *Subjecto Religionis*, quod est homo, tractat,  
 eumque secundum *quadruplicem statum*, nempe *integritatis*, *la-*  
*psus*, *reparationis*, seu *regenerationis & renovationis*, ac deni-  
 que *perfectiois & gloriæ* considerat, & qui illum influunt  
 aut circumstant, fidei articulos breviter exponit. His absolu-  
 tis, *Parte quinta* originem sectarum tum generatim cum ea-  
 rum causis recenset, tum speciatim de Papismo, Lutheranismis,  
 Calvinismo, Socinismo, Arminianismo & Anabaptismo seu Fa-  
 naticismo breviter agit, tandemque *virum vere prudentem* hac  
 in parte, verbis Christi ex *Matthæi VII, 25, 26, 27* describit ad  
 illustrandum velut proœmium primæ Partis libri hujus §. I. In-  
 dicem etiam materiarum libro præmisit, ex quo earum conne-  
 xio atque rerum summa intelligi potest.

THOMÆ CRENI ANIMADVERSIONUM  
 Philologicarum & Historicarum Pars XVI.

Lugduni Batavorum, Typis Abr. van der Min, 1708, in 8.

Alphab. I.

Doctis-



**D**Octissimarum Animadversionum eruditissimi Autoris *de-  
cima sexta* hæc Pars uti præcedentes plagularum numero  
superat, ita materiarum ibi pertractatarum amplitudine nulli ea-  
rundem cedit. Nos per florigera hæc prata more nostro vo-  
litantes quædam hinc inde delibabimus.

Initium pro consuetudine semel recepta a variis clarissi-  
morum Autorum editionibus sumitur, quos inter hac vice emi-  
nent præ ceteris *Quintilianus*, quo de p. 1 seqq. solertissimus  
*Crenius* prolixè agit, & *Gellius* (quem *Agellium* potius dicen-  
dum venire testimoniis non unis probat,) cujus scripta scripto-  
rumque editiones p. 22 seqq. enumerantur. Breviora sunt, quæ  
de diversitate editionum historię *Abdiæ Babylonii* p. 42, Poe-  
matum *Beiffardi* p. 43, *Dionysii Alexandrini* de situ orbis p.  
44, Aurifodinæ *Hieronymi Drexelii* p. ead. Dictionarii Latinæ  
linguæ *Roberti Stephani* p. 45, *Alphonsi a Castro* librorum XIV  
adversus omnes hæreses p. 47, Bibliothecæ selectæ *Antonii  
Possevini* p. ead. Miscellaneorum *Hoornbeckii* p. 50 seq. alios ut  
silento Autores prætereamus, annotat.

In spatiosissimum excurrit campum, quoties aut ad *Jani  
Drusii* Commentarios p. 85 seqq. aut ad *Wilb. Zepperi* Explana-  
tionem Legum Mosaicarum p. 189 seq. aut ad *Theod. Marci-  
lium* in Suetonium p. 244 seq. aut ad *Gerhardi Vosii*, Joh.  
*Gerhardi* filii, notas ad Vellejum p. 271 seq. aut ad *Thome Ga-  
takeri* Adversaria p. 324 seq. aut *Martini Becani* Opuscula  
Theologica p. 354 delatum se cernit, & plurima Scriptorum  
horum loca censura sua modo stringit, modo calculo adjecto  
probat.

E reliquis lemmatibus hæc annotamus Theologica, velut  
ubi disserit de variis *reliquis* vulgo jactari suetis quam maxime  
ridiculis, imprimis de *Neachi dolabra* p. 51 seq. de *agris* a Chri-  
sto qua *corpus* sanatis, an & qua *animam* salvatis? p. 183 seq.  
de *legibus civilibus* in Rebuspublicis Christianis utrum ad *Mo-  
saicas* attemperandis? p. 190 seq. de *Reformatorum Papijmo*, &  
an *Carolstadiani* illi appellandi sint? p. 238, 192 seq. de *pæna  
furti* p. 194, de *lege observandi Sabbathum* p. 205 seq. de to-  
lerandis in Christianorum templis *organis pneumaticis* p. 213 sq.



de *Anglicæ religionis veræ* p. 222, de sententia Lutheri circa *transubstantiationem* p. 236 seq. de *inspiratione Scripturæ* p. 348 seq.

Quo jure celeberrimum Rostochiensium Theologum *Heinr. Müllerum* perhibeat p. 78 *pabulo inimicorum nostrorum corrupendum fuisse facile, si quis obtulisset modo*, alii dispiciant. *Georgii Calixti* apud Reformatos æstimium maximum esse docet p. 252 seqq. & *Georgii Lili* lenitatem taxat p. 49. *Eliam* contra *Sigismundum Reinhartum* constantissimum Christi martyrem appellat p. 50.

Curiosos admodum delectabunt, quæ habet de *C. Dammii* fati studiisque, e duabus ejus epistolis *ἀνεδότοις*, unde inter alia cognoscimus, quod ille intra octidui spatium *Arabice lingue* fundamenta a *Zechendorffo* didicerit p. 38, de *memoria justorum D. Abrahami Calovii* admodum mutila p. 48, de *Locis Communibus Joannis Chassanionis* p. 49, de *mutatione patrum fausta*, qua *Joannes Georgius Dorscheus*, Argentoratensibus relictis, Rostochienses adierit, p. 51, de quarto *Dissertationum Joannis Jacobi Grynæi* Tomo facile edendo, p. 53. seq. de nonnullis *Pseudonymis & Anonymis* detectis p. 55 seq. de *P. a Riviere Calvinismo bestiarum Religione* p. 60 seq. de *refutatione libri: mulieres non esse homines*, a Simone Gedicco adornata, p. 71 seq. de *Attila, flagellum Dei* se vocante, p. 85 sq. de *Andrea Hyperia* nostratene, an Calvinii affecla? p. 189, de *invektivis Sibrandi Vomelii* in nomen officiumque *Superintendentis* p. 223, de *Cerintho* ruina ædium balneatoriarum haud oppresso p. 224 seq. de *Trithemii* locis quibusdam falsarii manu corruptis p. 230 seq. de *Jobanna Papissa* fabulise an historiis accensenda? p. 252 seq. de *Scotis*, an olim *ἀνδρωποφάγοις*? p. 264 seq. de *bove* olim *Luca* cognomine insignito, p. 331 seq. de *pœna abscissionis aurium & rotæ supplicio* p. 219.

ARNOLDI VINNII, JC. IN IV LIBROS INSTITUTIONUM IMPERIALIUM COMMENTARIUS ACADEMICUS  
& FORENSIS.



Lugduni Bat, apud Petrum van der Aa, 1709, 4. ch. maj.

Alph. 4 pl. 16.

*D. JUSTINIANI INSTITUTIONUM LI-  
bri IV perpetuis notis ARNOLDI VINNII JC.  
illustrati.*

Ibidem, apud eundem, 1709, 12, ch. maj.

Alph. 1 pl. 5.

**E**T si novi nequaquam censeri debeant hi libri, non tamen prætermittendos plane existimavimus, cum has quidem editiones nonnulla præ reliquis commendent. Nimirum quod ad Commentarium, expressus is quidem est ad Amstelodamensem editionem, cura Viri consultissimi, D. Johannis Schultingii, celeberrimi apud Noviomagenses Professoris, revisam, qui & menda sustulit plurima & loca imprimis male allegata correxit; verum præter Indices verborum & rerum, quæ in Commentariis Vinnii obveniunt, in aliis pariter editionibus conspicuos, Indices insuper hic videas verborum ac rerum, qui ad ipsum textum pertinent. Quibus accedunt secundo loco Index Decisionum Justiniani Imp. quarum in Institutionibus fit mentio, tertio Constitutionum Justiniani, quarto Constitutionum aliorum Imperatorum, quinto Legum & Senatusconsultorum veterum, quæ in Institutionibus comparent, tum sexto omnium Auctorum Juris aliorumque, qui ut testes in iisdem citantur, & denique rerum & locorum singularium, quibus similes in Jure non reperiuntur.

Quod ad ipsas Justiniani Institutiones attinet, quæ nunc pariter ornate satis prodeunt, varia quidem iis in usum studiosæ juventutis accessere. Nam & hic Digestorum, Codicis & Novellarum leges plures, quæ in prioribus editionibus non exstant, cum Institutionibus his concordantes additæ sunt, & ipsi duo Digestorum Tituli de Verborum Significatione & de Regulis Juris, una cum P. C. Baudozæ indicibus. Junguntur & porro tres tituli de Regulis Pontificii Juris, & demum.



centum Regulæ e corpore Juris tam Civilis quam Canonici passim desumptæ, aliæque, quæ brevitatis causa omittimus.

*ERRORES PALLIATI AUCTORIS LIBELLI, cui titulus est : Florum Sparsio ad loca quædam in Re Literaria controversa ; detecti ab Amico Veritatis.*

Francofurti ad Moenum, apud Fridericum Knochium, 1707, 12.  
Constat plag. 12.

**E**didit Cl. Joannes Schulzius anno 1707 libellum, cui titulus : *Florum Sparsio ad loca quædam in re literaria controversa*, ejus summam exhibuimus in Actis anni 1707, p. 117. Contra eum calamum strinxit Anonymus quidam Autor eruditissimus septem Capitibus, quorum *primum* agit de libelli titulo; *alterum* de acerbitate styli, qua in Adversarios libelli Autor inventus est; *tertium* de Barbarismis, aliisque inepte & minus commode dictis; *quartum* de Auctoribus corrupte scriptis & false allegatis; *quintum* de erroribus Autoris in Græcis admittis; *sex-tum* de iis, quæ Autor ab initio libelli usque ad pag. 74, ubi de poeticis agere incipit, in medium protulit; *septimum* de Autoris erroribus poeticis. Ex hisce Capitibus paucula quædam speciminis loco excerpemus, litem interim nostram neutiquam facientes. In titulo libelli Schulziani tria Autor noster notavit. Primo miratur, cur Schulzius *Magistri* titulum omiserit, quem nomini suo in aliis schedis suis præfigere fuerit solitus. Hac occasione asserit, Magisterii honorem multo esse antiquiorem Doctoris titulo, a quo plane non differat, cum Philosophiæ Doctores nominandi sint Magistri; & magnos quoque Principes non puduisse Magistri titulo ornari. Deinde ipsi displicet, quod Schulzius se *Joannem* omisso *h*, non *Johannem*, scripserit. Se quidem non ignorare ait, frequens id esse viris doctis, qui circa rectam scribendi rationem solliciti versarentur; verum, ut ipsi videtur, ridiculo errore, dum provocarent ad Græcos, qui, cum spiritu aspero in medio (si duplex *ερ* excipias) destituerentur, *Ιωάννης* scriberent. Nam ad Latine scriben-

P. I.

3.



bentes Græcorum haud pertinere consuetudinem : inopia linguæ hic laborare Græcos , Latinorum vero linguam h in medio non respuere ; & Criticos ipsos *Abraham* cum h in medio scribere, cum Græcis sine h *Ἀβραάμ* exprimatur, & *Justinum* Lib. 36 Hist. Cap. 2 *Israhel* cum h in medio ( quanquam abesse potius debeat ) scribere, cum Græce sit Ἰσραήλ. Denique Noster vocabulum *Literatoris*, quo Virum Celeb. *D. Wachtlerum* Schulzius in titulo libelli compellaverat, in eundem nequaquam quadrare existimat, cum Literator sit, qui pueros prima literarum rudimenta doceat ; sic Ludimagistrum Gellio Lib. 16 Noct. Attic. Cap. 6 *Linguae Latine Litatorem* dictum, quin hancce vocem *semidoctum* notare putat, ipsique Gellio *hominem indoctum & barbaram legentem* audire ; & multo gravius falli Schulzium p. 304, ubi Literatores fuisse dictos *Grammaticos* asserat, neque enim Grammaticos, quod viro- rum doctissimorum & Professorum nomen fuerit, sed *Grammatistas* vocatos fuisse Literatores, Suetonii, Fabri, Woweri & aliorum autoritate comprobat. Ad pag. 269 observat, false citasse Schulzium *Sebastiani Schmidii Notas in Pindari Pythionica*, cum non *Sebastianus*, sed *Erasmus Schmidius* dictas notas ediderit, & pro *Pythionica* scribendum sit *Pythionicas*. Sic plures Autores alieno loco allegari probat, ut cum de erroribus Homeri Magius Lib. 3 Miscell. Cap. 1, Brodæus Lib. 6 Miscell. Cap. 20, Canterus Var. Lect. L. 2, Cap. 3 & Beroaldus in Annot. & Emendat. Cap. 10 citantur, quorum loca accurate examinat Noster. At nostrum non est litigiis his recensendis immorari, quin potius harum rerum cupidos ad ipsos libellos amandamus.

p. 6.

72.

138.

## NOVA LITTERARIA E GALLIA.

**V**Ir in historia Gallica versatissimus Gabriel Daniel, e Societate Jesu, novam Galliae Historiam, tribus in folio, quod ajunt, Voluminibus intra paucos menses prodituram, prelo subjecit Lutetiae Parisiorum. Ibidem & nuper admodum *Conspectus* prodit novae editionis Operum Gregorii Nazianzeni, quam pa-



rat Franciscus Louvard, Benedictinus. Fatetur is, plus sibi laboris in seligendis, quam inveniendis Gregorii MSptis fuisse, cum vel sola Lutetia supra ducenta conservet, e quibus ea imprimis sequi constituit doctissimus Editor, quæ in Bibliotheca Regia, Colbertina item & Patrum Oratorii ac Jesuitarum Bibliothecis deprehendit. Pari studio in procuranda S. Irenæi editione occupatur P. R. Massuet, Benedictinus, quam multo Grabiana magis integram futuram sperat, quod in manuscripta meliora inciderit. Novam etiam Chrysoctomi Operum editionem minantur Benedictini, cui plura Patris hujus scripta accedent, quæ nondum inter ejus Opera comparuere. Præstantissimam vero Bibliorum Latinorum editionem Joannes Martianay, Vir ejusdem ordinis eruditissimus editisque S. Hieronymi Operibus pridem notus, prelo propediem submittet, in qua adornanda triginta annos se consumpsisse fatetur in Præfatione Prodromi, quem hoc titulo: *Harmonie Analytique de plusieurs sens cachés & rapports inconnus de l'ancien & du nouveau Testament, avec une Explication literale de quelques Pseaumes, & le Plan d'une nouvelle Edition de La Bible Latine*, Par. 1708, 12. evulgavit. Bernardus de Montfaucon, qui edita nuper *Paleographia Græca*, (cujus recensum propediem dabimus) immortalē laudem meruit, nunc in eo est, ut Origenis Hexapla magno studio collecta accurate edat, idemque Origenis contra Celsum editionem novam parit. Cl. Fontenellius & strenue pergit in edenda Academia Regiæ Parisiensis Historia, quippe anno 1707 reperta modo vulgavit, nobis quamprimum memoranda, & una ea quoque omni opera colligit, quæ inde ab A. 1666, quo fundata Academia, ad A. 1699, quo instaurata, pulcre inventa sunt ab Academia Sociis, eaque quatuor justis Voluminibus in forma quarta edere constituit. Interim idem vulgavit libellum *Histoire du renouvellement de l'Academie Royale des Sciences en 1699 & les Eloges Historiques de tous les Academiciens morts depuis ce Renouvellement: avec un discours preliminaire sur l'Utilité des Mathematiques & de la Physique*, Par. 1708, 12. Prodiit & eodem anno *La Connoissance des Temps*, de Mess. de l'Academie Royale des Sci-



*Sciences pour l'année 1709.* Academiae Rei Nummariae & Inscriptionum Historiam *La Bosse*, Academiae Secretarius, editurus est. Pari modo Academiae Gallicanae, quae in perpoliando idiomate Gallico occupatur, Secretarius in eo est, ut ejus Academiae Historiam conscribat, Pelissonium æmulaturus, imo superaturus. Aubignæus, Novodunensis in Gallia Episcopus, jam tum 22 Martii 1708 vulgaverat *Mandement de Mr. L' Eveque de Noyon, nommé à l' Archeveché de Rouen*, quo scripto P. Juvenini Institutiones Theologicas, ceu Jansenismum redolentes, damnavit. Etsi vero vix in lucem publicam emissum gravissimus Autor, quodammodo retractasset, exemplaribus, qua fieri potuit, redemptis, prodiit tamen nunc publice cum notis apologeticis, quibus Juveninus contra accusationes Aubignæi defenditur; & jam plura prostant, quae hanc litem concernunt. Major tamen de cultu Sinensium est disceptatio, postquam *Maigrot*, Episcopus Cononienensis, exul e China in Franciam rediit. Nam & Turnonii Cardinalis Epistola ad Maigrotum antehac, cum carceri esset jussu supremi Chinesium Monarchæ mancipatus, exarata publicis typis prostat, qua palam calamitatis hujus culpam adscribit Jesuitis, qui nulla ratione adducere illum poterant, ut cultum Chinesium probaret: & prodiit modo Apologeticus quidam pro Jesuitis libellus, quo cuncta a Turnonio objecta acriter refelluntur. Nec desunt tamen ex ipsis Jesuitis, qui idololatricum Christianorum in China cultum candide detestantur. Nam ut Viddelonium aliosque taceamus, Joannes Albertus Lubomirsky, e China, ubi Missionarium egit, redux, postquam in Suecia nuper sacra Pontificia ejurasset, in eo nunc est, ut Historiam Chinesem edat, in qua methodum, qua in convertendis Sinensibus utuntur Missionarii Pontificii, accurate depinget. Prodiit & nuper admodum Parisiis Epistola *Lettre a une Dame de qualité touchant la Bible Francoise de Mr. de Saci*, in qua Autor fingit se a foemina quadam consultum, utrum filiae Moniali legenda sint Biblia Gallicana e versione Sacii? Et videtur quidem imprimis illi propositum, ut hanc versionem suspectam reddat, quippe aliquot loca sub examen vocat, & imprimis in loco Joan. VI, 45 hæresin secundæ propositionis Jansenii deprehendit.



dit. Unde concludit eam versionem nequaquam puellæ indulgendam, demumque catalogum addit librorum, qui Monialibus commendandi sint, in quibus sunt Ameloti & Bouhoursii versiones Novi Testamenti.

### Lectori Benevolo Salutem!

**C**um ab exteris, Gallis imprimis, copiosius ab aliquo tempore transmissi nobis fuerint libri novi, spatium omne, quod his Actorum sectionibus destinavimus, iis recensendis hætenus occupatum est, ut Novis Literariis & Novorum Librorum titulis, quales frequentius antea non inani Lectorum fructu addidimus, locus fere nullus fuerit relictus. Accedit, multos libros aliquot abhinc annis editos, sed nostra notitia diutius subductos, subinde ad nos perferri, quos plane prætermittere in Actis nostris haud decet, ne mancam exhibeamus nostræ ætatis Historiam Literariam, quam indies potius, quantum in nobis est, perficere magis cupimus atque exornare. Quare etsi diu quidem operis nostri moles a continuandis Supplementis nos avocaverit, demum tamen, ne qua in parte defecisse videamur, novum eorum Tomum ordiri constituimus, cujus Sectionem I cum proximo Mense prodituram, nunc indicamus. Ceterum in his, quæ subsequuntur, edendis ordinem quidem nullum servabimus, facile tamen unum alterumve Tomum nos absoluturos speramus, antequam tertium Actorum Decennium completum sit; quod deinde novus Index Generalis tertii Decennii & horum, quæ modo molimur, Supplementorum, una cum Historia summorum Virorum, qui in concinnandis his Actis nostris inde a primis initiis operam assiduam collocarunt, excipiet.

\*

\*

\*



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Martii, Anno M DCC IX.*

*ACTA PASSIONIS SS. CRESCII ET SOCIORUM Martyrum ex MSS. Codd. Bibliotheca Mediceo-Laurentiana Metropolitana Ecclesie Florentinae & Sapientie Romanae, nunc primum edita, & a JACOBO LADERCHIO, Congregationis Oratorii Urbis Presbytero asserta & illustrata.*

Florentiæ, apud Antonium Mariam Albizzini, 1707, fol.

Constat Alph. 2 plag. 20.

**J**acobus Laderchius a nobis A. 1703 Mens. Novemb. p. 482 seqq. & A. 1706 Mens. Jun. p. 281 seqq. memoratus, haud ita pridem eleganti typo *Acta passionis SS. Crescii, seu Crisci, & Sociorum Martyrum* in publicum prodire jussit. Martyrum resurrectionem (ut Ambrosius Sanctorum latentium revelationem appellavit,) opus angelicum, imo plane divinum esse dicit Autor, & Cosmo III Magno Etruriæ Duci in Dedicatione tale opus adscribit, cum & reparatis Templi ruinis sacras horum Martyrum exuvias colendas exhibuerit, & gesta eorum publicare contenderit. Adeo enim Laderchius pudendæ oblivioni traditam scribit memoriam horum Martyrum, qui Florentinam ecclesiam passionibus suis jamdudum glorificaverant, ut vix superstes eorum nomen apud Agri Mugellani incolas remanserit. Acta ipsa quod attinet, fatetur Laderchius non conscripta fuisse eodem tempore, quo beati Martyres passi sunt, vel a quodam, qui eorundem certamini adfuerit, sed ex fideli aliorum relatione longe post, vel saltem post concilium.



Nicænum, a quopiam exarata videri. Nec Acta hæc MSta, quorum plura exemplaria Romam antea missa, & notis authenticis obfignata refert, nude exhibet, quin potius arrepta subinde occasione excerpta aliorum plurimorum Sanctorum acta interferit, & perpetuis notis illustrat.

Accidisse Martyrium A. C. 249 IX Calend. Novemb. sub Æmili & Aquilini Consulatu, & initio Imperii Decii arbitratur. Veriori enim fundamento eorum sententiam niti conjicit, qui Decium A. 249 cum Pagio & Norisio regnare cœpisse statuunt, quam Petri Boninfigmii in *Hist. Florent. Lib. 1* annum 252, vel Baronii in *Annal. ad A. C. 253* annum 253 ponentis. Et CRESCIUM quidem patria Teutonicum, ex nobilissimo genere ortum, Scriptores pæne omnes, qui ejus mentionem faciunt, confirmant. Cur autem patria relicta domo in Florentiæ partes secesserit, multiplicem apud Scriptores esse sententiam Autor observat, nonnullos tamen in eo convenire, quod poenitiæ causa in Agrum Mugellanum decem miliaribus Florentia distantem venerit, aliquandiu eremiticam vitam duxerit, ibique in sylva Elisboth posthac a militibus Decii captus fuerit. Custodiæ igitur traditus ejusdem carceris præpositi Omnionis filiam lunaticam & a Dæmone quotidie vexatam sanitati restituisse, ac Dæmonem expulisse dicitur, postquam ista nocte immensa lux in carcere refulserit, & custodibus in fugam conversis Omnion pedibus Martyris advolutus & ad Christum conversus fuerit. Relicta hinc civitate Florentiæ S. Crescius pariter cum recens conversis Faventiam profectus est, ubi in loco *Collis* dicto mulieris viduæ paganæ Pamphilæ filium ægrotum & vix extremum halitum retinentem in hospitiis invenit, & suis orationibus a Christo vitam & sanitatem pro puero (Carbonio) impetravit, conversis simul cum pueri matre & aliis hominibus. Atque in loco illo Crescium cum fociis IX Calend. Novemb. Martyrium suum subiisse Acta referunt, ita ut Omnion fustibus gravioribus cæsus spiritum Domino reddiderit; Venerabilis Emprius similiter fustium percussionibus inter Martyres adnumerari meruerit; B. vero Crisci caput gladio amputatum fuerit. B. Carbonius autem, Pamphilæ filius a B. Crisco sanatus & conversus,



corpora eorum sepelivisse, & convocatis aliis Christianis exequias cum hymnis ac laudibus celebrasse perhibetur.

Circa vocabula *Trinitatis, consubstantialitatis &c.* quæ in Actis occurrunt, Laderchius p. 80 & seqq. in notis varia adducit, & Crescii ævo vocabula ipsa usitata fuisse putat, sed ex disciplina arcani prohibitum fuisse catholicæ Religionis mysteria tunc temporis scripto concedere, quod ex Dionysio Areopagita *Cap. 12 de Eccles. Hierarch.* & aliis probare nititur, sicut & Apostolorum symbolum non modo primis Ecclesiæ temporibus, sed III etiam & IV seculo omnino monumentis tradere non licuisse censet. Pag. 77 fatetur Autor longe difficiliora esse, quæ Acta testantur: *Christum iterum venturum justos atque injustos ignis examine comprobaturum esse, idque Angelos vestibus albis indutos dixisse*; cum tamen in Actis Apostolorum de tali Angelorum dicto nihil memoretur. Accedit

*ANTONII FRANCISCI FELICII, ROMANI,  
Appendix ad Acta SS. Crescii & Sociorum Martyrum,  
edita a JACOBO LADERCHIO Congreg. Orat. Urbis  
Presbytero, perpetui eorum cultus monumenta  
complectens.*

Florentiæ, apud Antonium Mariam Albizzini, 1707, fol.

Const. 13 plag.

Cum enim Magnus Etruriæ Dux Cosmus III memoriam SS. Crescii & Sociorum in sola fere Tuscia superstitem amplificare studeret, ac Jacobo Laderchio Acta jamdudum in pulvere & situ Archivorum latentia examinanda, atque in lucem proferenda committeret, mandatum postea etiam est doctissimo Antonio Francisco Felicio, ut quam celerrime monumenta omnia perpetuum eorundem Martyrum cultum comprobatura congereret, atque ex his Appendicem operi a Laderchio absoluto jamque sub prælo sudanti adderet. Absolvit ergo feliciter noster Felicius, ope Abbatis Caroli Antonii Gondi, Appendicem hanc V Capitibus: quorum *Cap. I* exhibet Scriptores &



Martyrologia, quæ de SS. Crescio & Sociis Martyribus mentionem fecerunt. Sunt autem Johannes Villanus, Vincentius Borghinus, Petrus Boninsignius in Historia Florentina, Ferrarius in Catalogo SS. Italiae, horumque Scriptorum testimoniis suffragantes Paulus Minius in defensione Florentinorum, Michael Pocciantes in vitis septem BB. fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, Silvanus Razzius in vitis Sanctorum Etruriæ. Ex Martyrologiis adducitur antiquissimus MS. Codex 8 plutei 16 Mediceo-Laurentianæ Bibliothecæ, qui inscribitur: *Martyrologium Bedæ Presbyteri*; Usuardus in Martyrologio, quem Felicius ex fide Instrumenti Visitationis ab Alexandro Marzimedice Archiepiscopo Florentino A. 1613 factæ, nec non epistolæ Vincentii Rabattæ Florentini Canonici allegat, etsi nulla Usuardi exemplaria S. Crescium memorare p. 8 notet, nisi fortasse in aliqua editione sibi incognita Martyris hujus nomen recensetur; alius antiquus Codex MS. 30 plutei 21 ejusdem Bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ inscriptus: *Martyrologium*; item Martyrologium Bibliothecæ Archicoenobii Vallis umbrosæ, typis editum Florentiæ A. 1486; Codex MS. ejusdem Bibliothecæ, cui titulus: *Psalterium Romanum*; & MS. Codex scriptus a Silvestro Monacho Congregat. Vallumbrosanæ A. 1522. *Caput II* antiquas imagines SS. Crescii & Soc. MM. repræsentat, quarum prima ducentorum & ultra annorum antiquitatem præ se ferre creditur. *Caput III* recenset Ecclesias in honorem SS. Crescii & Soc. MM. erectas, ubi de ea in Mugellani agri parte, quæ *Vallis Cava* dicitur, erecta & a Cosmo III regia munificentia recens exornata sequens Epigraphe legitur, & præcipuum totius forte operis scopum indicat:

DIVO CRISCO MARTYRI, QVI ET CRESCIUS,  
QVI CHRISTI FIDEM IN MUGELLANUM AGRUM IN-  
VEXIT,  
HIC CUM SOCIIS OMNIONE, ET EMPTIO ADJUTO-  
RIBUS  
AB ANNO CCXLIX QUIESCENT,  
TEMPLUM PIETAS POSUIT.  
ABSCISSUM EJUS CAPUT



A MILITIBUS IMPERATORI DECIO DEFERENTIBUS,  
VOLUNTATE DIVINA COACTIS, HINC AUFERRI  
NON POTUIT.

PAVIMENTUM SACRAVIT CERBONIUS CRESCII  
DISCIPULUS  
CUM SOC. QUAMPLURIMIS VIVIS IN FOSSAM IBI  
DETRUSIS.

HORUM OMNIUM OSSA AB ALEX. MARZI - MED.  
ARCHIEP. FLOR.

AN. c<sup>l</sup>o l<sup>o</sup> c<sup>o</sup> XIII III NON. JUL. INVENTA ATQVE  
RECOGNITA,

NUNC AUTEM A COSMO III MAGNO ETRURIAE  
DUCE,

REPARATIS TEMPLI RUINIS, ERECTIS ARIS EX  
MARMORE,

ANNO c<sup>l</sup>o l<sup>o</sup> c<sup>o</sup> c<sup>o</sup> II.

MELIORI, UT VIDES, LUCI EXPOSITA.  
VENERATURUS HOSPEM INGREDERE,  
MEMOR QUOD

LOCUS, IN QVO STAS, TERRA SANCTA EST.

*Caput IV* de visitationibus Ecclesiae SS. Crescii & Soc. MM. Valliscavae, & reliquiarum eorundem inventionibus ac translationibus agit. Inventa sunt nimirum A. 1613, praeter 18 partes ossium & quam plurimorum frustulorum, terrae immixta nonnulla aurea fila, pala annuli ex aere inaurato, & sex parvi nummi, quas tres partes iterum notis suis Noster illustrat, aliisque exemplis comprobare nititur. *Caput* denique *V* versatur circa officium & Missam antiquam SS. Crescii & Soc. MM. in quo 9 Lektionen de actis horum Martyrum repetitas ex veteri MSto cum suis naevis adposuit, ut fides eis haberetur. Addimus, quod idem Felicius in hac Appendice p. 16 mentionem faciat dissertationis Jacobi Laderchii de loco Martyrii S. Crescii nondum editae.

THE PHENIX: OR A REVIVAL OF SCARCE  
and valuable pieces, &c.



hoc est,

*PHOENIX SIVE RARIORUM, QUORUM ALI-  
quod pretium sit, Scriptorum, tam antiquiorum quam  
modernorum Volumen I & II.*

Londini, apud Joannem Morphew, 1707 & 1708, 8.

Alph. 3.

**C**ollectionem ecce rarissimorum librorum, Anglico sermo-  
ne elaboratorum, atque ad Brittanniæ res magnam partem  
spectantium, licet nec alia desint varii generis, quibus vel ob  
molis tenuitatem, vel aliis de causis, oblivio tandem esset metu-  
enda. Debemus eam viro, qui a XX inde annis id sibi negotii  
datum putavit, ut hujusmodi monumenta, sive manu exarata, sive  
typis exscripta, colligeret, quique spem nobis fecit fore, ut, qua  
cœpit, industria alia quoque deinceps nobiscum communicet.  
Continentur autem in primis duobus, quæ præ manibus habemus,  
Voluminibus sequentia. Epistola de Origene & præcipuis dogma-  
tibus ejus; sunt autem illa doctrina ejus de trinitate, de animarum  
præexistentia, de earundem ob lapsum suum in hæc mortalia  
corpora relegatione, de resurrectione, per conjunctionem ani-  
mæ cum corpore æthereo explicata, de liberatione damnato-  
rum, de mundi post conflagrationem restitutione, variisque vicis-  
situdinibus in æternum subeundis. Quæ quidem doctrinæ  
Origenis non luculenter tantum heic proponuntur, verum eo  
etiam defenduntur ingenio & eruditione, ut solidam refuta-  
tionem mereantur. Succedit scheda de prima Dei ex se ipso  
progressione, per mundi hujus generationem, quæ sextiduo  
facta delineatur verbis sublimioribus, atque ad accendendum  
animum compositis: cetera præterquam quod ex Deo per e-  
manationem omnia orta doceat, nihil valde singulare habere  
videtur. Proximum locum occupat consilium de Bibliis, facta  
librorum & capitum transpositione in narrationem historicam  
una serie continuatam redigendis, autore Samuele Torshello.  
Ubi autor indicatis, quæ passim occurrunt, anticipationibus &  
*ὑπερολογίαις*, usum demonstrat expectandum, si omnia illa



ordine suo digesta habeamus, ad chronologiam Scripturæ restituentam, ad sensum historicum ex occasione dictorum factorumque investigandum, ad complementa vaticiniorum demonstranda, quæ omnia exemplis non incommodis probantur. Tum difficultatem operis exponit, & quædam ad illud subsidia indicat, (quorum tamen nostra ætate multo auctiorem catalogum reddere liceret,) & in commendationem instituti desinit. *Quarto* tractatu a R. S. ostenditur, mense Decembre Christum natum non esse. *Quintus* Reformationis initia in Hibernia regnantibus Henrico VIII, Eduardo VI & Maria delineat, idque habet singulare, quod literas & alia documenta eo spectantia magna copia exhibeat. Tum *sexto* sequitur D. Gulielmi Barlovii relatio de consultatione Jacobi I A. 1603 in palatio Hamptoniensi cum Episcopis & delegatis ex clero habita, de quibusdam liturgiæ Anglicanæ capitibus, de excommunicatione item judiciorum Ecclesiasticorum, & de idoneis Ecclesiæ ministris in Hibernia constituendis. *Septimi* opusculi titulus est *Fragmenta Regalia*, sive observationes de Regina Elisabetha, Regno & amicis ejus: quæ elogium fere ipsius Reginæ, & *invoc* præcipuorum ministrorum ipsius exhibent, in quibus tamen non adeo multa invenias, quæ ad reconditam magis eorum temporum historiam spectent. Hæc excipit Joannis Keymori observatio de piscatu Belgarum A. 1601, qua demonstrare conatur majores redditus ad vicinas gentes venire ex halecis aliorumque piscium in partibus maris, Britanniam alluentibus, captura uno anno, quam quadriennio integro ex Indiis ab Hispanis comparari possint. Quod item illi rei quotannis 20000 & amplius naves subserviant, hominesque alantur 400000, piscatui in oris Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ intenti. Sequuntur *nono* Acta Coronationis Caroli II Sconia in Scotia Kal. Jan. A. 1651 peractæ, quibus inserta Oratio sacra R. Dowglas, Ministri Edinburgensis, in illa solennitate habita, memorabilis certe & digna quæ conservaretur. Tum *decimo* Ordinum Fœderati Belgii literæ exhibentur, quibus respondetur illis, quibus A. 1674 adversus Belgas a Carolo II bellum declaratum fuit. *Undecimo & duodecimo* loco exhibentur, quæ A.



1670 contra leges Angliæ in causa Gul. Penni & Gul. Mendi, trementium partibus addictorum, atque ob habitas in plateis publicis conciones in jus vocatorum, tum etiam in causa Tho. Rudyard & Sociorum, a iudicibus facta credebantur ab iis, qui partes eorum tuebantur. Tum *XIII* loco Apologia Gulielmi Nassovii legitur contra proscriptionem Regis Hispaniæ, una cum ipsa proscriptionis formula, variisque eo pertinentibus monumentis. Sub *N. XIV* comparent Acta Concilii Judæorum mense Octobr. 1650 Agedæ in Hungaria celebrati, examinandarum Scripturarum *V. T.* de Christo agentium causa. Scripta ea sunt a Samuele Brettio, ei concilio qui interfuit & alia nonnulla in Ægypto inprimis & Syria sibi observata adspersit. In ipsis concilii Actis nihil valde memorabile occurrit, nisi quod quendam R. Abrahamum ex miraculis Christi magna dubia reliquis Judæis movisse narret. Concilium solutum ait Romanensium quorundam clericorum culpa, quorum idololatrias & superstitiones doctrinas, ad quas Judæos adigere cuperent, ferre illi haut valuissent. Ceterum sunt in ea relatione nonnulla, quæ si plane dubiam fidem ejus non reddant, rerum saltem Judaicarum ignorantiam autorem arguant. Doctissimo certe Bagnagio in erudito de historia Judæorum opere plane illud concilium prætermissum observamus. Sequuntur *XV* variæ literæ Turenniæ Principis & Ministrorum Carentonensium, quibus testimonium Carolo II Angliæ Regi perhibent constantis Religionis reformatæ professionis, quæ jam tum a pluribus in dubiam fuit vocata. Quorum suspicionem confirmant, quæ de ultimis ejus Regis postremo loco sub *N. XVI* in hac collectione exhibentur: quibus morientem Regem non sacramentantum ritu Ecclesiæ Rom. accepisse ministrante D. Hud narratur, verum etiam duæ ejusdem schedæ repræsentantur, quæ manu ipsius scriptæ inter ejus secretiora repertæ fuerunt, quibus judicium de rebus fidei certum ex Scripturis haberi a privatis posse impugnat, idque in solidum Ecclesiæ ejusque capiti Pontifici Romano relinquendum esse contendit.

In Voluminis II limine sub *N. XVII* prostat Jo. Coleti, Ecclesiæ D. Pauli apud Londinenses Decani, Oratio sacra, in confessa



festu Cleri Procerumque Regni A. 1511 habita, quæ ad refo-  
mandam in moribus maxime Ecclesiam eos hortatur. In ea  
oratione, quod Joannes de mundo dicit, concupiscentiam in  
illo esse carnis, oculorum & superbiam vitæ, id summo jure de  
Ecclesia Romana dici posse per partes ostendit. Atque adeo  
præeunte textu Rom. XII, 2 non mundo *conformandos*, sed *re-  
formandos* animis renovatis fratres suos ostendit, ut clero e-  
mendato, emendandis laicis quoque cum successu studium im-  
pendi possit. Ei orationi subjungitur vita Coleti ex Latinis E-  
rasmi Roterodami in Anglicam linguam translata. Notatu di-  
gnum in ea vita, quod castissimus ipse Coletus, mitius tamen  
senferit de clericis, qui contra sextum præceptum offenderent,  
quod rarum in eis qui ingenio magis quam gratia contra id ge-  
nus tentationum armantur. Nempe gravissimi eos peccati  
reos quidem statuebat esse, quod tamen humilitati & poeniten-  
tiæ Christianæ facilius locum relinqueret, quam superbia, hy-  
pocrisis, invidia, avaritia aliorum, qui sancti sibi præ illis vide-  
rentur. Nec istud inter memorabilia ejus prætermittendum,  
quod divinam quidem vim in Epistolis Apostolorum agnoverit,  
quæ tamen ita animos legentium non afficiat, ut ipsius Christi  
sermones, præ quibus illæ aridiores quodammodo videri que-  
ant. Joannæ Grajæ, foeminæ eruditione & pietate conspicuæ, &  
in Anglorum historia regni Mariæ celebratissimæ, filix Ducis  
Suffolciensis, conjugis vero Guilfordi Dudleji, Ducis Norfol-  
ciensis filii, elogium, una cum Epistola ejus ad Apostatam  
quendam parænetica, collatione item ejusdem cum Feckenha-  
mo, Romanis sacris addicto homine, in arce Londinensi quatri-  
duo ante mortem ipsius habita, & propria ipsius manu literis con-  
signata, nec non exhortatione ad Sororem, & ultimis ipsius verbis  
paulo ante, quam capite plecteretur, prolatis, sub N. XVIII sistitur.  
Tum sub N. XIX sequitur brevis historia motuum, inter exules  
Anglos Francofurti A. 1554 de liturgicis ortorum, qui infaustas  
Episcopaliū & Presbyterianorum schismati origines dedere,  
quæ A. 1575 primum lucem adspexerat. Ad eam historiam  
pertinet Liturgia ecclesiæ Anglicanæ, tum exulantis apud Gene-  
venses, quam Joannes Calvinus approbaverat, & quæ sub



Num. XX hic subjungitur. Idem schisma concernit sequens sub N. XXI scriptum, cui titulus *Onus Isascharis*, quodque lucem primum A. 1646 vidit. In eo, ut auctoris verba habent, Regiminis Ecclesiastici Presbyterianorum in Scotia tyrannis in conventibus parochianis, in Presbyteriis, in Synodis provincialibus, & in Conciliis generalibus exponuntur. Articuli insuper doctrinae eorum, monarchicae imperii formae adversi, referuntur. Brevis inde disquisitio sub N. XXII comparet, de expedita magis Pontificios confutandi methodo, Protestantes vero in certitudine & unitate fidei confirmandi. Auctor est Joannes Hales, ex collegio Etonensi, quem ad Socinismum quondam & Pelagianismum procliviorum, in Ecclesiae pomeriis Gulielmus Laudus, Archiepiscopus ea aetate Cantuariensis, partim argumentorum pondere, partim beneficiorum munerumque Ecclesiasticorum amplitudine retinuisse dicitur. Ipse liber A. 1653 publici factus est juris. Controversiae cum Pontificiis in eo ad duo capita fundamentalia reducuntur, alterum de *judice*, de *norma* alterum. Quicquid enim de aliis controversiis particularibus cum iis disputes ex Scripturis, recurret responsio, Papa vel Ecclesia iudice alium esse Scripturarum sensum. Quicquid *ἀπὸ τῆς γῆρας* doceri urseris, traditionibus non scriptis conforme id esse regetur. At ipsos Protestantium plerosque neque de iudice neque de norma satis recte statuisse, adeoque fundamentis confutandi erroris Pontificii idoneis destitui. Nempe eos primo Scripturas secundum Patres explicare, de eorum consensu sollicitos, maxime vero secundum Patres recentiores, Lutherum, Brentium, Chemnitium, Calvinum, Bezam, Zwinglium, hocque ipso Pontificium iudicem stabilire. Deinde Spiritum Sanctum iudicem constituentes, tollere omne iudicium rationis, ante ejus illuminationem, hocque ipso certitudinem iudicii amittere, quod probatur maxime juxta methodum Valeriani Magni in iudicio de regula fidei A catholicorum Cap. II & IV. Negandum igitur auctor censet, quod a Protestantibus vulgo creditur, neminem posse attingere verum sensum Scripturae, nisi per Spiritum Sanctum, substituendamque ait rationem esse rectam, cujus iudicium omnibus sufficere possit. Similiter Protestantes varias do-



doctrinas defendere, quæ ex sensu Scripturarum necessario non possint derivari, v. g. quod mediatoris sit satisfacere, quod infantes sint baptizandi, & rel. ideo nec fortiter contradicere posse Pontificiis traditionariis. Veram igitur regulam fidei esse Scripturam cum principiis rationis conjunctam, per quæ Scripturæ sensus intelligatur. Quod cum observatum non sit a Protestantibus, partim ab iis retineri errores Pontificios eorumque fundamenta, partim errores non tantum Pontificiis sed etiam veritati adversos defendi. Quod usque ad finem hujus libri exemplis demonstrare Autor contendit, quem in hoc ipso opusculo semina Socinismi sparsisse, ipsis Anglorum cautioribus est observatum. Quæ succedit ejusdem sub Num. XXIII de Pace Ecclesiæ diatribe, maximam partem extenuandis Socinianorum erroribus, odioque in eos extinguendo impenditur, eo prætextu, ut mitigato de iis, qui gravissime errare crederentur, judicio, cum aliis facilius pax coleretur. Manassæ Ben Israel vindiciæ Judæorum, A. 1636 editæ, proximum locum tenent sub Num. XXIV, quibus calumniæ quædam Anti-Judaicæ de azymis Judæorum, sanguine Christiano permistis, de idololatriæ voluminis legis cultu, de maledictione Christi & Christianorum, de blasphemis Judæorum, de seductione & insidiis, quibus alios ad sua sacra pelliciant, de damno, quod commerciis afferant, non sine ingenio & eruditionis apparatu dispunguntur. Richardsoni cujusdam opusculum esse creditur, quod sub Num. XXV additur, quo pœnas infernales æternas expectandas esse negatur, Scripturæ testimoniis eo pertinentibus sigillatim excussis, & fulcris ejus doctrinæ, quantum in autore erat, everfis, quod dum agit homo profanus, ipsam Scripturarum fidem & certitudinem, eo quod *ἀπόλογος* primorum autorum non habeamus, *ἀπὸ γρηγορίας* vero & translationes passim ab invicem dissentiant, convellit. Tum variis considerationibus, & denique claris, quæ putat, argumentis rem penitus sese evincere arbitratur. Sequuntur sub Num. XXVI duæ sacra Orationes D. Roberti Jones (quos Lusingtono tamen Comes Clarendoniæ tribuit) Oxonii A. 1619 habitæ. In earum prima Christi resurrectio vindicatur, contra militum a Judæis corruptorum calumniam:



ubi primo loco militum calumniæ, quibus traduxisse eos probabile fit Servatorem & omnes sequaces ejus, vividissime & liberrime repræsentantur. Quæ quidem ingenii libertas propius ad petulantiam accedere visa, movit Academicum magistratum, ut Oratorem ad retractationem publicam ejus sermonis paulo post adegerit, ut Cressio observatum in iis, quæ contra Stillingfleetum pro Romana Ecclesia scripsit: Comite Clarendonio in animadversionibus ad scriptum illud Cressianam, non id quidem, sed liberiores quasdam stricturas, quibus magnum Regni consilium, quod Parliamentum vocant, ætate ea convocatum, petere crederetur, impositæ retractandi necessitatis causam fuisse affirmante. Quod verosimile est Comitis testimonium, sane enim inveniuntur quædam contra Parliamentum acerbius dicta p. 487, & ipse Comes qui ea ætate Oxonii vixit, testis esse videtur omni exceptione major. Sed quicquid ejus rei sit, militum ita propositas calumnias & mendacia rationibus, ex ipsa historia depromptis, Orator convellit, Discipulosque Christi neque noctu ad Calvariam accessisse, neque corpus Christi furto subductum esse, neque milites dormivisse ingeniose argumentis evincit, quæ moralem h. e. summam, quæ modo in hujusmodi argumento locum habere queat, certitudinem obtineant. Tum mendacem militum relationem, cum semper falso aliquid tamen subsit veri, cum veritate rei conciliat, *μαθητῶν* *discipulum* Christi, qui eum subduxerit, animam ejus interpretatus, quæ corpori juncta illud ex sepulcro abstulerit, dormientibus vigilibus, h. e. de re securis, imo terrore gloriæ resuscitati stupefactis, & sensuum usu, ut in somno sit, privatis. Ipsum sermonem hunc excipit, cujus paulo ante meminimus, retractatio ejus: in qua non adeo obscura indicia extant rei retractandæ. Textus illi orationi inserviens superiorum autoritate explicandus fuit ex Act. II, r: *Omnes erant unanimiter congregati*; qui ex Clarendonii libro relatis magis, quam Cressio dictis consentire videtur: præterea manifeste applicatio textus expositi ad Parliamentum fit, non sine honoris atque obsequii adversus illud testificatione. Cumque in priore sermone bellica Parliamenti consilia tangi viderentur, eadem hæc quidem videas approbari.

Imo



Imo diserte denique retractatio proponitur, qua ipsa verba, ad quæ paulo ante digitum intendebamus, & quibus rusticos in Parlamento judicare Reges, nihilque plebejis quam bellum & contentionem probari dixerat, revocat, cogitandum sibi fuisse, inquiens, & pacis esse tempus & belli. Verum satis de istis. XXVIIum opusculorum hic editorum relatio est de ortis paulo post restitutionem Caroli II apud Cantabrigienses Latitudinariis, quorum adhuc fermentum in Anglicana Ecclesia observatur. Autor ejus opusculi indicatur literis S. P. eorumque partibus ipse addictus fuisse videtur. Neque in istis initiis forte ea, quæ postea, hominum indoles fuit, qui eo nomine venire solent. XXVIII tractatus Georgii Ducis Buckinghamiani est, Rationem suadere Religionem ostendens: quem contra Anonymum quendam in subjuncta sub Num. XXIX Epistola defendit: in qua de tolerantia, & conscientia libertate pluribus etiam agitur. Denique agmen claudit Matthæi Cleffordi tractatus de Ratione humana, ejusque in rebus ad Religionem pertinentibus usu, qui multis argumentis contra Pontificios æque ac Hobbesianos adstruitur.

## A NEW VIEW OF LONDON.

i. e.

*NOVUS CONSPECTUS URBIS LONDINENSIS, sive ampla civitatis hujus descriptio.*

*Volumina II.*

Londini, apud Jo. Nicholson, 1708, 8, ch. maj.

Alph. 2 pl. 13 & fig. æn. Tab. 4.

**E**T si jam olim Joannes Stow, Londinensis urbis angulis omnibus studiose perreptatis, passim observata sub tit. *A Survey of London* consignaverit, Londini 1603, 1618 & 1633 in 4 typis expressa, ita tamen mutata est ex illo tempore urbis illius facies, ob fatale imprimis, quod anno 1666 exarsit, incendium, ut non malam apud harum rerum curiosos gratiam inierit anonymus libri hujus Autor, quod cuncta in amplissima urbe illa no-



p. 1V.

tatu digna accurato ordine in lucem edidit. Partitus est opus octo Sectionibus, quibus Introductionem præmisit non inelegantem, in qua generatim de antiquitate urbis & amplitudine, deque ejusdem statu ecclesiastico, civili & militari concinna brevitate agitur. Ostendit hic inter alia Autor, numerum incolarum Londinensium juxta computum Wilhelmi Petty ascendere ad 696360, cumque Parisiis 488055, Rothomagi 80000 & Romæ 125000 computentur, trium harum urbium incolas superari a Londinensibus numero 3305; addit quoque, tot cives numerari Londini, quot Parisiis & Amstelodami, vel quot Amstelodami, Venetiis, Romæ, Bristolii & Lugduni in Gallia, denique quot in universa numerentur Hollandia & Westfrisia. In prima Sectione plateæ, fora, deambulacra, diversoria & alia loca publica secundum ordinem Alphabeti describuntur. Disquirat hic Autor, quid sibi velit lapis famosus *London-Stone* in platea *Cannon* dicta conspicuus, quem alii centrum urbis designare, alii a quodam, cujus nomen *London Stone*, quique illic habitaverit, positum velint; eumque inde a Saxonum temporibus repetit. Prolixus est imprimis in splendidissimi *Monumenti* descriptione, eo in loco, quo ignis desævire demum desit A. 1666, excitati, cujus altitudo est 202 pedum. Ubi de loco publici supplicii *Tyburn* agit, narrat, quendam Johannem Smith, ob feloniam capite damnatum, die 12 Dec. anni 1705 e patibulo suspensum fuisse, non omissis, quæ ad maturandam mortem pertinerent, at cum nuntius paulo serius accedens differri supplicium juberet, post horæ quadrantem, quo pependerit, e patibulo detractum & vena sectum magno adstantium stupore in vitam rediisse. Sectione II, quæ est diffusissima, ædes sacras considerat & imprimis earum fundationes, dotationes, monumenta, sepulcralia, ministros ordine enarrat. Es his monumenta saltem quædam seligemus. Ridiculum est, quod in templo S. Albani olim conspiciebatur, epitaphium:

54.

84.

96.

Hic jacet *Tom Short-hose*, sine *Tomb*, sine *Sheets*, sine *Riches*,  
 Qui vixit sine *Gown*, sine *Cloak*, sine *Shirt*, sine *Britches*.

145.

In templo majori S. Bartholomæi illustris Typographi monumentum exstat: *M. S. Hic juxta situs est THOMAS ROY-*

CROFT,



**CROFT**, *Armiger, Lingu. Orient. Typographus Regius, placidissimis moribus & antiqua probitate & fide memorandus, quorum gratia optimi Civis famam jure merito adeptus est, Militie Civicae Tribunus, nec minus apud exteros notus ob libros elegantissimis suis typis editos, inter quos sanctissimum illud BIBLIORUM POLYGLOTTORUM opus quam maxime eminet. Obiit die Augusti Anno rep. sal. MDCXXVI, postquam LVI aetatis suae annum implevisset. In templo cathedrali S. Pauli hoc eruditae Virginis memoratur Epitaphium: M. S.*

*Desideratissima Virginis JANÆ WREN, Clariss. Dom. Christopheri Wren Filiae unicae, paternae indolis, literis deditae, pia, benevola, domiseda, arte Musica peritissima. Ob. 29 Dec. Anno M DCCII Aetat. XXVI. Mittimus epitaphia Regum & Principum in templo Westmonasteriensi S. Petri conspicua, quae alii quoque fusius recensuere. In eodem templo Benjamin Johnson, vir in dramate nemini secundus, conditus est, cujus in tumulo haec tantum verba leguntur:*

p. 472.

*O rare BEN JOHNSON!*

*Quin & hic Cowleji, summi Poetae, (cujus Operum locupletissima editio anno 1707 Londini duobus Voll. in 8 prodiit) qui Georgii Ducis Buckinghamiae sumptibus magno splendore sepultus est die 3 Aug. anno 1667, epitaphium sequens conspicitur:*

527.

*ABRAHAMUS COWLEJUS,  
Anglorum Pindarus, Flaccus, Maro, delitiae,  
decus, desiderium avi sui,  
hic juxta positus est.*

*Aurea dum volitant late tua scripta per orbem,  
Et fama aeternum vivis, divine Poetae,  
Hic placida jaceas requie, custodiat urnam,  
Cana fides, vigilantque perenni lampade Musae,  
Sit sacer iste locus, nec quis temerarius ausit  
Sacrilega turbare manu venerabile bustum.  
Intacti manean, manean per secula dulcis  
Cowleji cineres serventque immobile saxum.*

Pre-



p. 528.

Proximi sunt Cowlejo Poetae alii, Galfridus Chaucer A. 1400, Edmundus Spencerus A. 1596, Michael Draiton A. 1631, Joannes Denham A. 1668 & Johannes Dryden A. 1700 defuncti. Ibidem doctissimorum virorum, Isaaci Casauboni A. 1614, Wilhelmi Camdeni A. 1623, Petri Heylini A. 1662 extincti monumenta videas. Unum addimus, quod illic comparet, epitaphium paulo recentius : *ISAACUS BARROW, S. T. P. Regi Carolo II a Sacris, Vir prope divinus & vere magnus, si quid magni habent pietas, probitas, fides, summa eruditio, par modestia, mores sanctissimi undequaque & suavissimi, Geometriae Professor Londini Greshamensis, Graecae Linguae & Mattheseos apud Cantabrigienses; has cathedras omnes, Ecclesiam, gentem ornavit; Collegium SS. Trinitatis Praeses illustravit, jactis Bibliotheca vere Regiae fundamentis auxit; opes, honores & universum vitae ambitum, ad majora natus, non contempsit, sed reliquit seculo. Deum a teneris coluit, cum primis imitatus est paucissimis egendo, benefaciendo quamplurimis, etiam posteris, quibus vel mortuus concionari non desinit. Cetera & pene majora ex scriptis peti possunt. Abi Lector & emulare. Obiit 4 die Maji, A. D. MDC LXXVII aetatis suae XLVII. Monumentum hoc Amici posuere.* Sequitur Sectio III, quae bursas aulasque mercatorum & opificum & harum insignia legesque & privilegia recenset; ubi imprimis digna memoratu sunt, quae de bursa Regia & statuis Regum illic conspicuis habentur, p. 614 seq. Sectio IV de Reginae & Primatum Angliae palatiis conscripta est, ubi & delineatur domus, in qua Senatus Regni utriusque ordinis congregatur, Turrisque Londinensis (*Tower of London*) in qua res tormentaria, cui hodie fortissimus Dux de Marlborough praefectus, custoditur. Ingeniosa sunt, quae aedibus Buckinghamianis A. 1703 instauratis inscripta leguntur, I SIC SITI LÆTANTUR LARES: 2 SPECTATOR FASTIDIOSUS SIBI MOLESTUS: 3 RUS IN URBE: 4 LENTE SUSCIPE, CITO PERFICE. In Sectione V Collegia, Bibliothecae, Musæa, Scholæ triviales, tum Curiae judicariae & similes describuntur; e quibus hoc loco Bibliothecas seligemus. Manuscriptorum, eorum maxime, quae res Angliae concernunt,

529.

624.



copia & selectu eminet haud dubie Cottoniana, de qua abunde dictum est, cum recensum dedimus Catalogi MS. Bibliothecæ Cottonianæ a Thoma Smitho vulgatum, in Actis A. 1696 p. 441 seqq. Unum hic addimus, anno regiminis Wilhelmi III duodecimo & decimo tertio decretum fuisse a Senatu Regni, ut, quoniam publice interesset hæc monumenta neququam interire, post mortem Joannis Cottonis, viri quidam primæ dignitatis, quorum nomina designantur, curam Bibliothecæ susciperent, & Bibliothecario erudito & candido constituto, diligenter curarent, ne quid ex hoc amplissimo supellectile periret. Qui Theologicis scriptis delectantur, Bibliothecam Collegii Sionensis, in usum cleri Londinensis a Thoma White A. 1631 fundati, adeant. Et Bibliothecæ quidem hujus fundamenta jecit Joannes Simson, aliorum paulatim liberalitate, & libris imprimis e Templo cathedrali Divi Pauli eo translatis, multum auctæ, quemadmodum patet ex Catalogo hujus Bibliothecæ a Jo. Spencero Lond. 1650 in 4 edito. At eo apparatu flammis A. 1666 absumto, et si postmodum e Jesuitarum, post tentatam A. 1688 conspirationem Regno ejectorum, Bibliotheca instaurata paulum Sionensis fuerit, ad pristinum tamen splendorem hodie non accedit. Instructiorem paulo Bibliothecam Jureconsulti in Medio Templo (quod ædificium olim Templariis destinatum hodie a legum peritis habitatur) servant, per sex horas quotidie patentem. Fundavit eam Bartholomæus Shore, auxerunt deinde alii libris imprimis Juridicis & Historicis, & inscripta sunt januæ verba: *Anno Domini 1697 Bibliotheca ornata & aucta, Francisco Morgan Thesaurario.* Nec Medicis Bibliothecæ defunt: nam & Regia Societas in Greshamensi, ubi congregatur, Collegio Bibliothecam habet quater mille Voluminum, quorum partem maximam Societati donavit Dux Norfolciæ, ex ædibus Arundelianis eo A. 1679 translata; & Medici elegantissimam Bibliothecam, Marchionis Dorcestriæ & Theodori Mayerne cura & sumptibus comparatam, in Collegio Medicorum monstrant, cujus Bibliothecarius hodie est Thomas Gill; & ipsi quoque Chirurghi (*Barber - Surgeons*) Bibliothecam libris Medicis & Chirurgicis refertissimam servant, quæ singulis diebus Martis & Jo-

p. 652.

724.

703.

686.

648.

640.



- vis patet. Sunt denique & Scholis nonnullis Bibliothecæ satis instructæ. Sic in Schola triviali, quæ Reverendiss. Archi-Episc. Tennisonii beneficio floret, in platea *Castle-Street* dicta, nitidissima Bibliotheca ejusdem studio comparata quotidie patet.
- p. 642.
709. In Schola ad D. Paulum Bibliotheca visitur, classicis imprimis auctoribus instructa, qui liberalitate illati sunt eorum, qui in ea schola profecere. Pariter & Scholæ seu Collegio Reginae Bibliotheca est librorum varii generis, quæ maxime debetur Joannis Williams, Archi-Episc. Eboracensis, beneficio, qui & scholam ipsam egregie dotavit.
- 716.
737. Sectio VI xenodochia, carceres & his similia exhibet. Huc inter alia refertur Collegium seu potius xenodochium Schelsegense (*Chelsea-Colledge*) quod eo primum sine fundatum fuit a Jacobo I, ut illic Theologi alerentur, quorum officium esset, ut publice oppugnarent novas in Ecclesia hæreses. At istud beneficium postea in militum pro patria pugnantium usum convertit Carolus II, eoque in hunc diem non exiguus illic mutilorum numerus publico sumtu sustentatur. Inscriptio ædificii splendidissimi hæc est: *In subsidium & levamen emeritorum senio belloque fractorum condidit CAROLUS II, auxit JACOBUS II, perfecere GUILIELMUS & MARIA, Rex & Regina, Anno Domini M DC XCII.* Sectio VII fontes, fluvios, pontes, balnea & id generis alia, & demum Sectio VIII statuas passim conspicuas breviter enumerat, e quibus specimina depromere supervacaneum putamus. Accedit ultimo loco præter supplementa, suis locis inserenda, Index vocabulorum difficiliorum, maxime Heraldicorum, quorum frequens Autori usus est in Epitaphiis, iisque brevis & luculenta additur explicatio.

*SELECTORUM THEOLOGICORUM BREVIARIUM, id est, discussio principalium punctorum Theologicorum, nostro tempore maxime controversorum, Exercitiis Disputatoriis submissa & edita a MICHAELE FOERTSCHIO, SS. Th. D. & P.P.*

*Jenensi.*



Jenæ, apud Tobiam Oehrlingium, A. 1708, in 4.

Constat Alph. 1 pl. 17 $\frac{1}{2}$ .

**C**Oeperat jam Celeberrimus Autor, dum adhuc Tubingæ Professionem Theologicam summa cum laude ornaret, e Dissertationibus suis Academicis decadem seligere, eamque seculi hujus anno quarto cum erudito orbe communicare. Quod institutum, cum multis se approbare intelligeret, prosequi aggressus fuit Jenæ, & sub titulo *Breviarii selectorum Theologicorum* ea, quæ apud Studiosam Juventutem in primis ratione præsentium temporum usum habitura putavit, partim brevi, partim vero proluxa nec apud alios usitata demonstratione, uti res postulabat, declarare ac firmare perrexit. Ad cujus Breviarii recensioem antequam progrediamur, non pœnitebit Dissertationum in decade modo laudata atque Tubingæ edita obviarum, nec a nobis adhuc recensitarum, syllabum L. B. nunc exhibere. Agit autem Dissertationum illarum I de studio Theologico antiquissimo ante & post lapsum, II de Summis & Compendiis Theologicis, III de quiete operosa Sanctorum, IV de rerum conditu, primo obligationis erga Deum Dominum indice, V de *ὁρισμῶ* Filii Dei ad *Rom. I, 4*, VI de indole veritatis Theologicæ ad *Tit. I, 1, 2*, VII de recessu Dei ab Apostatis & hypocritis ad *Os. V, 6*, VIII de Regimine Dei per leges, IX de satisfactione J. C. X. de Clementis Alexandrini Pædagogo & Stromatibus ac Perfectismo. Ipsum Breviarium selectorum Theologicorum in duas Partes abit, inque earum *priori* 1 disserit de ecclesiæ doctoribus eorumque donis ministrantibus & sanctificantibus, 2 considerat ordinem & methodum Theologiæ, ac speciatim gravem illam quæstionem movet, utrum consultum sit, ut universa Theologiæ disciplina methodo fœderali tractetur? ubi præmissis nonnullis ad statum quæstionis facientibus ac Theologorum quorundam in hoc argumento occupatorum laboribus allegatis, suam mentem certis annotationibus repræsentat, docetque, (*α*) se non dubitare quidem, si omnis imperfectio ac impuritas, quæ alias doctrinæ de fœderibus inter homines adhæret, in applicatione ad Deum



dematur, & quæ analogiæ sanorum verborum de cætero ad-  
 versantur, separentur, sine periculo eam adhiberi posse ad Theo-  
 logiam: ( $\beta$ ) principaliter autem respiciendum esse usum Scri-  
 pturæ, videndumque, quid illa per fœdus intelligat; non decli-  
 nandum ad usum politicum seu juridicum: ( $\gamma$ ) stipulationem  
 & restipulationem, quæ in argumento Theologico adhibetur,  
 improprie accipi debere: ( $\delta$ ) omnem de fœderibus & pactis  
 doctrinam, prout a nostris Theologis tradita est, eo tendere, ut  
 ratione promissionum divinarum tanto certiores simus, quod  
 tot modis nobis Deus eas confirmat, & speciatim etiam per ta-  
 le *Berit*, ubi quasi *stipulantem* & *restipulantem* se ipsum & ho-  
 minem introducit: ( $\epsilon$ ) quod de *interrogatione* & *responsione*  
 in actu stipulatorio obtinet, in universum ad doctrinam *Berit*  
 applicari haud posse: ( $\zeta$ ) doctrinam fœderalem, & de pactis  
 & de promissis, uti traditur apud *Jctos* & *Politicos*, ad Theo-  
 logiam applicari non posse, nisi abusu & detorsione termino-  
 rum; facillimam viam esse deflectendi ad errores gravissimos e  
 conceptu illo proprio in foro civili, majestatem divinam depri-  
 mentes & homines ad superbiam incitantes, nisi cura adhibea-  
 tur & ad analogiam fidei intensissime respiciatur; præterea ni-  
 hil commodi singularis universo Theologiæ ordini & tractatio-  
 ni per illam accedere, extra unum alterumve caput, præ usitata  
 hæctenus methodo: ( $\eta$ ) neque methodum fœderalem aptam  
 esse ad unionem & conciliationem Christianorum coetuum;  
 cum ad unionem veram & sinceram non opus sit figuris &  
 schematibus methodorum, quæ tantum instrumenta sunt, nec  
 efficiunt, ut articulus fidei necessarius sit non necessarius, &  
 fundamentalis transeat in non fundamentalem: ( $\theta$ ) contra  
*Jo. Braunium*, qui in Præfatione *Doctrinæ Fœderum* præmissa,  
 se primum hujus systematicæ tractationis autorem profitetur,  
 ac inter alia indicat, se prorsus nullo vocabulo nullaque dictio-  
 ne uti, quæ non esset Latina, cum credat, horridum istum bar-  
 barumque sermonem Monachalis sapientiæ simul invexisse in  
 Theologiam spinosas quæstiones, distinctiones, quæ instar telæ  
 aranæ multum habent subtilitatis, sed prorsus nihil soliditatis  
 &c. optime monet, nimis superstitiosum esse, nullo prorsus  
 vel-



velle vocabulo nullaque dictione uti, quæ non esset Latina: nam cum adversarii veritatis non permittant nos cum sola Scriptura loqui, sed variis fraudibus veritatem circumveniant, & e Philosophia ejusque terminis tela sua instruant, fieri non posse, quin subinde ad elenchum eorum terminis artis opus sit, vocibusque rem exprimentibus, exemplo piæ antiquitatis, utamur. (1) Negare autem simpliciter non vult, posse utique Theologiam tractari & studiosæ Juventuti tradi, etiamsi methodo Aristotelicæ, vel scholis usitatæ, aut potius Scholasticæ, non includatur. Tertio & 4 examinat Poireti sententiam de fœdere operum, ostenditque contra eundem (α) fœdus illud operum, quod dicitur Deus cum Adamo iniisse, nequaquam esse confictum: (β) in statu integritatis homines adspirasse ad vitam æternam veluti bonum ex debito & jure, non quidem rigorosius ita dicto, sed per condescensum aliquem divinum & concessionem sic appellato, impertiendum. 5 Demonstrat, *B. Dorscheum*, quando justitiam divinam commutativam cum homine in statu integritatis persistente intercedere potuisse in *Theologia Zachar.* scribit, id intellexisse secundum abstractum quendam & universaliorum conceptum, purificatum ab omni imperfectione, fundatum in fœdere divino rigoroso. 6 De Theologia Morali ejusdemque defectibus nec non de religione differit, atque egregie demonstrat, quod hujus unitatem Satanas (α) per immoderatum religiones uniendi studium (β) nimium naturalium virium æstimum (γ) contemptum scientiæ & solam operum commendationem (δ) libertatis in sentiendo immoderatam affectationem (ε) hyperbolicas dubitationes (ζ) spiritum fanaticum (η) infrenem Philologiam, quæ fere omnia, imo ipsum principium & fundamentum religionis, sacram Scripturam, taxat, (θ) dominium corruptæ rationis, convellere nitatur. 7 Inquiri in revelationem supernaturalem, probatque, eadem haud parum detrahi, partim cum ad genus & ordinem naturalium deprimatur; partim cum revelationis certitudini certitudo e ratione hausta æquiparatur. 8 Rejicit hypotheses *Huetii in demonstratione Evangelica* docentis, ea, quæ Mathematicam certitudinem habent, nihilominus obscura, fallacia & intuta: quæ omni-



um majori consensu admittuntur, pro clarioribus & certioribus habenda esse; quoniam istæ hypotheser, sicuti omnem Philosophiam ejusque certitudinem in fundo destruunt, & ad inquisitionem plurium suffragiorum veritatem adstringunt, ita viam ad fidem ignorantia, *Röhler-Glauben* / egregie struunt, ut sufficiat credere, quod Ecclesia credit, quicquid sit de rationibus religionis & fidei. 9 Evincit, ab Enthusiasticis & Quakeris extra verbum internam revelationem male fingi. 10 Inspirationis divinæ indolem tradit, ac speciatim sententiam, quam Dupinius in *Dissert. preliminar. super Bibl. l. 1 c. 2* fovet, sub examen revocat. 11 Refutat Scholasticos, quorum nonnulli docent, Deum falsa dicere posse & testari per se & per alios. 12 Veritates Theologicas definit, atque in eas, quæ explicite & quæ implicite tantum in Scriptura sacra continentur, dividit. 13 Egregie admodum locum *Matth. XXII, 32* illustrat, ac sub finem monet, e Christi discursu quidem recte concludi, non tantum illud verbum Dei esse, quod explicite in Scriptura sacra continetur, sed & quod per consequentiam inde eruitur; nequam tamen illum discursum eo adhiberi posse, ut inde ostendatur, præcise aliquam propositionem meræ rationis idoneam esse ad effectum conclusionis theologicæ, cum propositio illa: *Deus non est Deus mortuorum, sed vivorum*, non sit rationis, nec a Christo respiciatur ut talis, sed sensus illius & veritas unice ad revelationis lumen redeat. 14 Docet e præmissis, quarum una revelationis, altera vero rationis est, fluere conclusionem theologicam. 15 Disquirat, quinam sit character, ex quo veritates theologicæ necessariæ a minus necessariis dignosci queant, luculenterque demonstrat, veritatem non inde posse judicari necessariam ad salutem, si a Deo sit vel expresse proposita, vel virtualiter manifestata per ejusmodi consequentiam, quæ a quolibet mentis compote, quique viribus intellectus sui recte potest uti, deprehendi queat. 16 Fundamenta vera veritatis theologicæ necessitatem cognoscendi erudite proponit, & 17 specimine singulari ex *1 Tim. II, 4* desumpto egregie illustrat. 18 De vero & formali conceptu hæreseos agit, traditque solidam methodum, cujus ope fundamenta e Scripturis sacris ad de-



designandam hæresin indagari queant. *Parte posteriori* in gravissimo argumento de vi argumentorum pro divinitate Scripturæ ex professo *Huetii* hypothesein in *Demonstrat. Evangel. & Alnetanis Questionibus* indagat, e latibulis Pontificiis protrahit, Patrumque sententias vindicat, ut pateat, cautius ipsum a nonnullis commendari debuisse, quam factum est. Inde ad nobile argumentum de sensu mystico Scripturæ sacrae procedit: tum de terminis in mysterio Trinitatis aliisque doctrinae sacrae capitibus adhibendis diffuse disputat, nostrorumque Theologorum sententiam a Socinianorum mente differentem adversus Arnoldum & similes accurate vindicat: post hæc de notitia naturali collationem cum ingeniosissimo *Lockio* instituit: sollicitius vero & prolixius in *Poireti* sententiam de notitia Dei experimentalis inquirat, eaque occasione universam ideam doctrinae Poiretianae primaque ejus fundamenta in ipsius operibus passim sparsa summo studio colligit, & per classes argumentorum confutat, ita ut nullum sit dubium, quemlibet, qui opera ipsa non legit, hinc tamen de nexu demonstrativo, quem Poiretus intendit, recte judicare posse.

B. JO. CONRADI DANNHAUERI, SS. THEOL.  
D. in Acad. Argent. Prof. Ord. & in summo Templo  
Ecclesiastæ, CHRISTEIDIS sive DRAMATIS SACRI  
Actus secundus; ex MSCto Codice editus a JO.  
FRIDERICO WANDALINO.

Hafniæ, ex typographeo Reg. Maj. & Univers. 1708, in 4.

Alph. 1 plag. 17½.

Utra Seculi dimidium elapsum est, ex quo Ecclesiasticam temporum a Christi in coelos ascensione elapsorum historiam condere instituit celeberrimi nominis Theologus, B. Dannhauerus, cujus studio res in Ecclesia gestæ trium priorum Seculorum A. 1646 Argentorati prodierunt, sub *Dramatis sacri* schemate, quod ultra *Actum primum* continuatum publicæ luci sistere Auctori, utut is per quatuor adhuc lustra postmodum fu-

per-



pervixerit, forte ob labores, quibus distentus fuit, alios, integrum haud fuit, nec obstetricantem curam D. Balthasaris Bebelii, ejus ex asse hæredis, & in Dannhauerianis monumentis evulgandis haudquaquam in se temere quid desiderari passi, ad hoc officium piis Dannhaueri manibus præstandum accingere se potuisse compertum est, quo nunc denique functum ex parte videmus doctissimum Wandalinum, Avi *Johannis*, dudum inter famigeratissimos Theologos connumerati, Patrisque hodie superstitis, *Jo. Friderici*, Theologi apud Hafnienses primarii, æmulum felicissimum, Philosophiæ & Theologiæ in Regia Universitate Hafniensi Professore designatum. Adeptus ille fuit *Christeidos*, quo nomine Drama illud suum Dannhauero insignire placuit, *secundum Actum* ex avita Bibliotheca, permissuque, imo suasu, Parentis optimi, publicæ *κειμήλιον* hoc utilitati consecrare totus gestiit. Ut igitur, quid exin haurire liceat, omnes, qui in oculis manibusque Dannhauerum gerere consueverunt, distinctius cognoscant, summam secundæ Partis libri tot plausibus olim excepti strictim referemus.

Complectitur ea sortem Ecclesiæ iterum, ut prior illa, trisecularem, & inde a Constantini M. amplissimis victoriis, in quibus prima desierat, usque ad Heraclii Imperatoris triumphum pergit, remque omnem *Phænomenis quatuordecim* inclusam exhibet.

*Primum* Phænomenon faciem Ecclesiæ Christi in secunda Seculorum triade ita adumbrat, ut hanc pulcherrima Ecclesiæ *Persicæ, Indicæ, Ibericæ, Saracenicæ, Anglo-Saxonicaeque*, & aliarum plurium accessione, Judæorum etiam insigni multitudine auctam ante omnia observet. *Unitatem* hinc ejusdem laudat, atque *sanctitatem*, ut gloria verbi prædicati & sacramentorum administratione nixam, sic & virtutum splendore morumque probitate haud mediocriter coruscant, quo e censu sigillatim ardentem in precibus zelum fuisse dum memorat, de *Litanis* inter alia non nihil commentatur. *Codicum* insuper *sacrorum* arctam istis seculis *custodiam* familiarem facit, & de variis *Bibliorum translationibus*, Latinaque imprimis, disserit. Loca congregationum *Basilicas* tum fuisse ait & *Templa* publicis encaeniis



niis confecrata, de quorum simplicitate plura in medium testi-  
 monia producit. *Secundum* Hierarchiam Oeconomicam scruta-  
 tur, ubi præter observatam *nuptiarum* honestatem *institutionis*  
 quoque in Scholis pariter ac Templis factæ curam explicat, &  
*catechizandi* fervens *studium* extollit. *Tertium* Phænomenon  
 Hierarchiæ Politicæ sacrum est, ubi imprimis benigni *Ecclesiæ*  
*Patroni nutritiique* tam intra quam extra Romanum Impe-  
 rium celebrantur. *Quartum* ad Hierarchiam pergit Ecclesiasti-  
 cam & in Apostolorum locum successisse notat statarios Eccle-  
 siarum *Presules, Episcopos & Presbyteros*, quorum constitu-  
 tionem pariter ac functionem considerat, & eos, qui in Cathe-  
 dra vel *Romana*, vel *Alexandrina*, vel *Antiochena*, vel *Hiero-*  
*solymitana*, sparta sua aut laudabiliter aut secus functi fuerint,  
 justo ordine recenset. *Quintum* Phænomenon orthodoxæ Ec-  
 clesiæ characterem & symbolum in hac triseculari Periodo præ-  
 cipuum constituit *Nicenum*, in Concilio Constantinopolitano  
 postea illustratum auctumque, cui *Athanasianum* illud, non qui-  
 dem ab Athanasio autore confectum, attamen ejus doctrinæ  
 ac phrasi per omnia consentaneum, sero demum accesserit,  
 prout nec *Chalcedonense* symbolum, factique in *Nestorium Ana-*  
*thematismi* silentio prætermittuntur. *Sextum* Sacramentorum  
 binarium huic ævo numerum asserit, & præter alia, *Pædo-bapti-*  
*smum & Gyneco-baptismum* usitatum, sed *Campanarum bapti-*  
*smum* prædamnatum fuisse docet. Sacramentum Coenæ *sacri-*  
*ficii* quidem nomen obtinuisse monet, at *missaticum Sacrificium*  
 nec volam habuisse addit, nec vestigium, nedum *sacrificium pro*  
*mortuis*, aut *missam privatam*. Antiquatam insuper sacramen-  
 ti *repositionem*, & *transsubstantiationem* damnatam, celebratam  
*sub utraque communionem*, & assertam *indignorum manducatio-*  
*nem* allegat. *Septimum* varia, quæ tunc invaluerint, recenset  
 schismata & scandala, quorsum referas *perfectionis studium*,  
 malum non intentione, sed mediorem electione; *orationem*  
*pro defunctis*; *processionem* a Chrysostomo contra Arianos insti-  
 tutam; *sacrorum lipsanorum curam*, quæ post in *sceletolatriam*  
 defecerit; *pallii investituram*; *γαμουσιότης*; & plura id genus.  
 Quin & de *purgatorii* origine, de *Monastice sequiori*, de *ἀγιο-*  
 λα:



*λατρεία & σαυρολατρεία*, quin & de *Antichristo nato*, pueri, adolescente uberius dispicit. *Octavum* varias designat hæreses, quæ tunc aut repullulaverint, uti *Chilistica*, *Novatiana* & *Manichæa*, aut primitus exortæ fuerint, quarum quidem præcipuas dicit *Arianam*, *Macedonianam*, *Nestorianam*, *Eutybianam*, *Donatisticam* & *Pelagianam*; Prædestinatianos, Arianos, Massalianos, Audæanos seu Anthropomorphitas, Priscillianistas, Circumcelliones, aliosque in classem sectarum minorum, ceu vocat, gentium rejicit. *Nonum* duritiem *Judaicam* divinæ nemesi nondum cedentem miratur, at variis tamen nationi huic immisissis calamitatibus factum adstruit, ut nonnulli Ebræi sceptro Christi se ultro devoverint. *Decimum* Ecclesiam bellis Romano-Ethnico, Juliano-Apostatico, Persico-Barbarico, Gothicoque Barbaro, variarum gentium flagellis armato, infestam afflictamque introducit. *Undecimum* demonstrat, ut malis intestinis Ecclesia opposuerit *disciplinam* severiorem, *testimoniaque veritatis*, hæresi ac infidelitati *συνασπισμὸν Doctorum*, *disputandi* peritiam usumque, *Synodos* item ac *pænas*; & Gentilismo denique *leges & arma*. *Duodecimum* Comitiam sacra seu *Concilia* tri-seculari illo ævo habita contemplatur, quorum A quasi & Ω fuisse innuit Augustum seu Principem summum; Senatam constitisse ex Ecclesiæ non solis Prælati, sed aliis quoque huic negotio idoneis, pro norma ac magistra Scripturam assumentibus. E reliquorum vero Conciliorum turba quatuor illa, *Nicenum*, *Constantinopolitanum*, *Ephesinum* & *Chalcedonense* imprimis celebrat. *Decimum tertium* varios illorum temporum *Martyres* enumerat. *Decimum quartum triumphum* amplificat Regis Jesu Christi, utpote qui Gentilismum subegerit, hæreses compescuerit, Judaismo omnem spem revicturæ gloriæ ademerit, Apostatas prostraverit, Barbarosque cicuravit. Universis his Phænomenis *Phantasma* unicum Mythologicum subjungitur, quod *chimericis Sanctis*, *visisque*, *miraculis* & *gestis fictis*, ac *piis fraudibus* refertum est.

Ceterum singula, quæ hæcenus attulimus, apparatu quidem multo concisiori, ac in primo Actu observare licet, deducuntur, ut operis multo amplioris lineamenta tantum heic in char-



chartam conjecta fere credideris. Non displicitura tamen hæc Lectoribus cordatis autumamus, a quibus *Theologiam* Dannhaueri *Casualem*, *Politicamque Biblicam*, Lipsana itidem post Autoris demum mortem e summorum Virorum museis nuper edita, minime contemni, experientia docente, intelligimus. Optandumque adeo, ut *Actus* quoque *tertius* hujus *Dramatis*, quem apud Viduam Bebelianam adhuc latere intelleximus, mox Editorem aliquem idoneum nanciscatur.

*JUS IMPERIALE SEU CÆSAREUM NOVISSIMUM FERDINANDEUM ac LEOPOLDINUM in tres partes divisum, ex novello Imperii Recessu de anno 1654, deinde ex Ordinatione Consilii Aulici Imperialis ac denique ex Capitulatione Cesarea Leopoldina desumptum atque secundum ordinem alphabeticum collectum; Autore JOANNE JACOBO A GOPPOLDT, Sacra Cesarea Majestatis Actuali Consiliario Aulico Imperiali.*

Gissæ, typis & impensis Henningi Mulleri, 1708, in 8.

Plag. 13,

**L**ibellus hic ad exemplum Juris Cameralis, a Petro Denaisio secundum alphabeti literas digesti ac anno 1604 primum editi, judice Editore, compositus ac ab ipso, ob defectum exemplarium, Gissæ recusus est. De cetero ejus argumentum ex titulo satis intelligitur. Placuit scilicet Generosissimo Autori contenta legum novissimarum ad rationes Lexici cujusdam Juridici revocare, quod quidem ita executus est, ut juxta ordinem alphabeticum de rebus, quas excerpere visum est, breves propositiones conficeret, easque in imperandi modo proponeret, cujus rei aliquot dabimus specimina. In Parte prima sub verbo *Acta* hæc leguntur: „Acta per judicem, a quo edita, judici „ad quem insinuantur. Acta prioris instantiæ partes seu earum „procuratores aut advocati omnia ac singula in copiis penes se „conservanto. Acta prioris instantiæ vel saltem instrumenta



„appellationis una cum documento eorum requisitionis pro ju-  
 „stificatione formalium, in causis appellationum in primo termi-  
 „no producuntor.„ Sub verbo *Commissio* præter alia hæc ha-  
 „bentur: „Commissionem petere ac Commissarios nominare actor  
 „in causis probationum intentionis suæ in secundo, vel obtenta a  
 „reo primi termini prorogatione, in tertio termino tenetor.„ In  
 Parte secunda sub verbo *Agentes* hæc extant: „Nemo ad agen-  
 „dum, procurandum aut sollicitandum, apud Consilium Auli-  
 „cum Imperiale, priusquam id ab ejus Præside & Vice-Cancel-  
 „lario decenter petierit, & a duobus Consiliariis, quos idem Præ-  
 „ses deputavit, de natalibus, patria, vita ante acta & locis, ubi  
 „literis vel praxi operam dedit, ad hæc de peritia juris commu-  
 „nis, constitutionum Imperii consuetudinumque & praxi debi-  
 „tam fidem fecerit, admittitor.„ Titulus *Fiscalis* hæc exhibet:  
 „Duo ex Consiliariis, ad officium Fiscalatus deputantor, ac Fisca-  
 „lis antequam actionem quandam instituat, seu scriptum quod-  
 „dam contra quem exhibeat, horum consilio utitor, qui post-  
 „modum in ejusmodi causis a voto abstineto.„ In Parte ter-  
 tia sub rubrica *Accise* hæc conspiciuntur: „Sub prætextu acci-  
 „farum, *Umbgelds/Niederlag/Stand und Marktgelds/Por-  
 „ten/Brücken/und Pflastergelds* & similibus, hucusque de-  
 „facto inducta & desuper arresta usurpata, reapse vero nova  
 „vectigalia & telonia importantia, ubivis locorum abrogantor,  
 „& adversus transgressores per Fiscalem Cæsareum rigoroſe pro-  
 „ceditor. Adjiciemus adhuc rubricam *Bannum Imperii*, sub  
 qua hæc proponuntur: „Nullus Electorum, Principum aut  
 „Statuum vel alius in posterum inauditus ac sine præscitu, con-  
 „silio & consensu Electorum, facti non participum, in Bannum  
 „& Rebannum declarator, sed desuper ordinarius processus ob-  
 „servator. Facto adeo notorio & publico stante, atque viola-  
 „tore pacis in suo facinoris proposito perseverante, ut processu  
 „opus non foret, ita nihilominus Electoribus desinteressatis,  
 „ante realem banni declarationem, communicator, neque sine  
 „expresso eorundem consensu banni declaratio publicator.„



L. CHRIST. FRID. GARMANNI, MEDICI  
 R. E. S. Provinc. Pbyf. Chemnicensis, Academici Curiosi,  
 de Miraculis Mortuorum Libri tres, quibus præmissa Dis-  
 sertatio de Cadavere & Miraculis in genere. Opus Pby-  
 sico-Medicum, curiosis Observationibus, Experimentis,  
 aliisque rebus, quæ ad elegantiores literas spectant, ex-  
 ornatum, diu desideratum & expetitur, beato Autoris  
 obitu interveniente, editum a L. IMMANUELE HEN-  
 RICO GARMANNNO, Autoris Fil. Poliatro  
 Sneebergensi; cum Indicibus ne-  
 cessariis.

Dresdæ & Lipsiæ, sumptibus Johannis Christophori Zimmer-  
 manni, 1709, in 4.

Alph. 8 pl. 18.

**A**Nte annos jam quadraginta fere primum aspexit lucem  
 publicam Garmanni de Miraculis Mortuorum Tractatus,  
 mancus tunc quidem, ac Libro secundo ac tertio privatus, alpha-  
 beto unico vix ac ne vix quidem constans, quem jam indefesso  
 B. Autoris studio & curis secundis mirum quantum auctum,  
 primumque adeo specimen plusquam octies superatum videmus.  
 Notissimum quidem apud Medicos Garmanni nomen, utpote,  
 quod jam ab illo tempore, quo Ephemerides Nat. Cur. Germ.  
 inclaruerunt, clarum atque famigeratissimum fieri cœpit: neque  
 enim solum Observationibus suis Medicis illam Curiosorum  
 Academiam egregie illustravit, sed & primum fere inter Academi-  
 cos Germanos foetum, ad mentem Nat. Curiosorum elaboratum,  
 præsens nostrum opus puta, edidit, quod & secundo primæ  
 Decuriæ anno insertum, præsentis quasi prodromum, constat.  
 Totum opus, uti jam apparet in publico, posthumum, ex Dissertatione  
 Procœmiali bipartita, & tribus ipsius tractationis Libris  
 componitur. Procœmii sectio prima, de Cadavere agit, secunda  
 de Miraculis in genere. Libri primi ipsius tractationis undecim  
 sunt Tituli. I agit de Capillorum in cadaveribus augmento, II  
 de Nasi insititii sympathia, III de Cadaveribus porcorum man-



dentium instar in cryptis feralibus sonantibus, IV de Faciei mutatione in cadaveribus, V de miris quibusdam circa Os & Faciem phænomenis, VI de Dentium singularibus, VII de Cordis augmento & in igne duratione, VIII de Abdominis ruptura & viscerum egestione, IX de Partu Cadaverum, X de Unguium, Cornuum & Ossium incremento, XI de Penis in cadaveribus erectione. Libri Secundi, qui una cum tertio & Dissertatione Procœmiali, huic novæ operis editioni accessit, decem sunt Tituli. I de Maculis Cadaverum, II de Contagio, III de Levitate & Gravitate, IV de Frigiditate, Rigiditate, Caliditate ac Mollitie, V de Motu, VI de Sudore aquoso & cruento, VII de Cruentatione, VIII de Fragrantia, IX de Luce, X de Spectris. Libri tertii ambitus quatuor absolvitur Titulis, quorum I de Cadaverum putredine, II de Cadaverum incorruptibilitate & Mumis, III de Cadaverum Petrefactione, IV de Cadaverum Resurrectione ac Resuscitatione differit. Agmen claudunt quatuor Indices, quorum I Dissertationes, II Loca, S. Scripturæ explicata, III Autores, IV Res memorabiles in genere sistit. Hic totius operis conspectus. Modum tractandi quod attinet, miscellaneam sectatur doctrinam Cl. Autor. Invenient Theologi, Jureconsulti, Politici, Oeconomi, Mechanici, Poetæ, Autorum classicorum Interpretes, quod in usum haud contemnendum convertere queant. Quamvis enim præcipuus Autori scopus sit Naturæ mira in cadaveribus pandere phænomena, eaque ad Physices & Medicæ Artis regulas ac trutinam expendere, ac perpetuis observationibus & parallelis historiis illustrare, non tamen perpetuo Artis hujus immoratur sacris, sed latius evagatur, atque indirecta via lucem thesi fœnerari solet. Hinc tam frequentes Autorum citationes, stupendam librorum notitiam innuentes: hinc digressiones eousque extensæ, ut sæpius Medicum cum cadaveribus suis ac miraculis longissime abesse, vel ecstasin pati existimaveris. Unico Tituli cujusdam summario patescere potest, quanta sit Autoris in tractando ubertas. Exempli loco sit *Libri Secundi Titulus I de Maculis Cadaverum* inscriptus, qua occasione differit de Stigmatibus variis: de Signo Crucis, quo Christianorum veterum frontes



notabantur : de Ignominia ac Servitutis notis servis quondam ac Christianis iniustis : de iisdem aeternae captivitatis testimoniis apud Turcas : de Diabolo stigmatizante Magos : de Caute-riis Medicorum, Scarificatione & V. Sect. de Hominibus & Imaginibus foetui inscriptis : de Maculis in morbis, peste, febre maligna : de Maculis scorbuticis in morituris, in mortuis, in peste extinctis ; de Signis peste, violenta morte, a venenis extinctorum : de Cadaveribus venenatorum, an aperienda ? de Corrosivis venenorum vices supplantibus : de Venenis vasa Porcellana & stomachum maculantibus : de Venenis in corpore generabilibus : de Venenis inspiratis : de erectis a vaporibus putridis : de Fulminatis : de Syncopticis, Apoplecticis & Epilepticis : de Βλησῖς veterum : de Maculis ante mortem disparentibus, post mortem iterum apparentibus, & harum causis : de Crucibus in vestimentis & cadaveribus : de Maculis embryonum naturalibus & Magicis : de Maculis ab Insectis venenatis : de Maculis internis a plagis externis non semper conspicuis : de Labiis vulnerum a morsibus venenatis : de capitis apertione non negligenda, ubi de plaga inflata constat, licet nullis apparentibus maculis externis : de singularibus Incantatorum notis. Videmus hoc unico specimine, quam curiose vagabundus sit pro re nata Cl. Autor, quam variae, & multae lectionis, ita ut Polyhistorum se in hoc opere non minus, quam in Oologia sua curiosa, praestet, Contr. Vict. Schneiderum, Christ. Langium, Joh. Dan. Majorem, Georg. Francum, illustres Medicos Polyhistorum, egregie secutus, quorum choro jure meritoque accensetur, paremque cum his famam & honores tuebitur in secula duraturos. Beati Autoris Filius, praesentis operis Editor strenuus, si, quam in Praefatione de *Halitus Humani salubritate & noxa* Dissertationem, opus nostri Autoris itidem posthumum, promittit, pari benevolentia publico largietur, de Medica non minus quam universa Republica Literaria optime meritorus est.

DE L'INDECENCE AUX HOMMES D'ACCOUCHER les Femmes &c.



i. e.

*DE INDECORO VIRORUM OBSTETRICAN-  
di officio, & de Obligatione Matrum lactandi Infantes  
proprios; qua occasione per rationes ex Phisicis, doctri-  
na Morali & Arte Medica demonstratur, nec propriam  
matrum, nec infantum vitam periclitari, si puerpere  
virorum obstetricantium & foeminarum  
nutricum auxilio valedi-  
cant.*

Parisiis, apud Jacobum Stephanum, 1708, 12.

Plag. 12.

**Q**Uamvis negandum haud sit, & nutricum apud puerperas  
auxilium, & obstetricandi officium a viris hac arte peritis  
in partu difficili administratum, locum invenire aliquando &  
usum habere laudabilem, non minor tamen in utroque hoc  
auxilio observatur etiam abusus, apud delicatas cumprimis ac  
timidiusculas foeminas. Hinc laudandum maximopere Clariss.  
Auctoris nostri institutum, quo sepositis omnibus praconceptis  
opinionibus, in utriusque necessitatem inquirat, & hoc quidem  
Matronarum quarundam pietate & modestia conspicuarum in-  
stinctu, quae sufficientem hac de re instructionem, pro salvan-  
da conscientia sua, desiderarunt.

Totum opusculum est bipartitum: & in priori quidem parte  
*de indecoro Virorum obstetricandi officio* agit Cl. Auctor, atque ante  
omnia in originem artis obstetricandi, quatenus a Viris jam ad-  
ministratur, inquirat, ac satis evidenter ex ipsa antiquitate de-  
monstrat, quod nec a Paganis, licet barbaris etiam, approbata  
fuerit unquam perversa haec & naturae repugnans consuetudo.  
De populo Israelitico autem, divinarum legum fideli quondam  
custode, notissimum esse existimat, apud hunc nullum alium  
quam foeminarum obstetricum usum fuisse toleratum. Pergit  
demonstrando, quod nec S. Scriptura nec Patres quicquam pro ex-  
cusanda moderna circa hanc artem consuetudine habeant, quod  
Principes & Magistratus nunquam privilegiis eandem confir-  
marint,



marinat, quod nunquam corpus vel societas certa ex ejusmodi viris obstetricantibus formata fuerit. Præterea sub examen vocantur rationes illæ omnes, quæ pro toleranda hac professione allegantur, atque ad easdem apposite respondetur, non minus ac ad argumenta illa, quæ incapacitatem, ignorantiam quasi connatam & defectum scientiarum in sexu sequiori concernunt. Ex quibus denique colligitur, carere posse sine insigni damno Rempublicam viris obstetricantibus, fœminas solas huic officio sufficere, utpote quod illarum capacitatem non transcendat, a viris cupidine lucri ipsis ereptum, atque eadem injustitia ab iisdem adhuc continuatum fuerit. Non negat de cetero Cl. Autor, Chirurghi experti auxiliatrices manus aliquando esse necessarias, tunc scilicet, cum matris juxta atque infantis vita sine operatione Chirurgica salvari nequeat; sed prout exempla illa sint rariora, ita ut ex mille puerperis vix una in partu suo tam duram experiatur sortem, hanc exceptionem nullum parere perversæ consuetudini patrocinium existimat.

Altera Dissertatio, uti jam monitum, de *Matrum obligatione lactandi infantes proprios* agit. Sincere hic proponuntur, quæ ipsam naturam a fœmina matre facta postulare cernimus, i. e. & hoc, quod natura pro hac intentione ipsi tribuit, & illud, quod recens natus a matre jure meritoque expectat. Quoad Physicas rationes, quæ hac occasione allegantur, peculiari perspicuitate ex Mechanica naturali ipsæ proferuntur, ita ut quivis, illiteratus etiam, assequi facile eas possit. Abstinet autem Clar. Autor, quantum fieri potest, ab omni impuritate, quæ castas aures lædere valeat, ac differit de puerperio & conjugii sacris eum in modum, ut nec scrupulosissimi inveniant, quod reprehendere possint. Prolixior interim in allegandis rationibus illis est, quas ex Morali doctrina & regulis Christianismi petit: proponit exempla sanctarum & piarum uti & Principum matrum, quæ infantes proprios lactare honori duxerint: explicat insignem illum usum, quem fœminæ matres monitis his auscultantes indubitato reportabunt, partim ex amore & perpetua obligatione, quam imprimunt infantibus suis atque maritis, partim ex honore, qui ab omnibus bonis ipsis de-



feretur Reipublicæ nomine, quippe quæ a naturali hac atque ordinaria infantum educatione mirum quantum usus trahet ac commodi. Interim non usque adeo rigidus est censura sua. Cl. Autor in puerperas, ut illas in univèrsam omnes ad dictum lactandi officium obstringat; excipit enim merito infirmas ac valetudinarias, quibus & vires & materia ad eam rem deficiant.

## COURS D' OPERATIONS DE CHIRURGIE.

i. e.

*CURSUS OPERATIONUM CHIRURGICARUM, IN Horto Regio demonstratarum a Dno. DIONIS, defunctæ quondam Conjugis Delphini, nunc autem Ducissæ Burgundia: Chirurgus primario, nec non Jurato Parisiensi.*

Bruxellis, apud Fratres t<sup>r</sup> Serstevens & Antonium Claudinot,  
1708, in 8 ch. maj.

Alphab. i plag. 18 $\frac{1}{2}$ , Tabb. æn. 61.

**N**Ovendecim jam effluxerunt anni, quod Autor noster Corporis humani Anatomiam Parisiis (nempe A. 1690) imprimi curaverit; quia hæc tamen editio plane non, tertia vero A. 1695 & versio Latina Genevæ A. 1696 adornata, paulo tardius ad manus nostras pervenit, in Supplementorum demum Tomo quarto, cujus Sectio prima quam primum prodibit, a nobis recensetur. Anatomem autem, seu basin Chirurgiæ, Chirurgia præsens excepit, Parisiis itidem A. 1707 primum, mox anno elapso Bruxellis typis exscripta, atque non minus, quam Anatomia, tum in horto Regio Parisino ab A. 1673 ad A. 1680 publice proposita, tum X Demonstrationibus comprehensa, recentioribus nihilominus observationibus aucta. In prima videlicet totidem Demonstrationum, Chirurgia Chirurgicisque operationibus, cum instrumentorum, turundarum, plumaecolorum, emplastrorum, compressarum & fasciarum apparatu, in genere declaratis, in specie Suturae interscis-



sæ, circumglomeratæ ac siccæ administratio reliquis operationibus cunctis præmittitur. Quales namque quomodo speciatim in abdomine rite debeant institui, v. g. ligatura umbilici in infante recens nato, gastroraphia, sutura intestinorum pelionum more, in hernia umbilicali & ventrali, paracentesis, partus cæsareus, lithotomia, catheterismus, punctio perinæi, in partibus genitalibus utriusque sexus, parturientibus, hernia inguinis ac scroti, nec non in affectibus ani, in II, III & IV Demonstratione hinc edocetur. Tum operationes pectoris, v. g. in empyemate, fistulis thoracis, morbis mammarum, gibbositate, vena jugulari & broncho, in Demonstratione V, in VI autem medella fracturarum cranii, trepanatio, variæque operationes in oculorum malis; quemadmodum Chirurgi subsidia in nasi, labiorum, gingivarum, dentium, linguæ, uvulæ, tonsillarum, faucium, auricularum & glandularum dispositione morbosa, cum venæ sectione capitis, in Demonstratione VII designantur. Ast quæ artibus competant operæ, e. g. venæ sectio, incisio aneurysmatis, tendinum sutura, restitutio digitorum cohærentium, incurvatorum, vel panaritio affectorum, ut & digiti extirpatio, in Demonstratione VIII, crurisque amputatio, artificialis vero repositio, tractatio varicum, venæ sectio pedis, depravatæ hujus figuræ immutatio, callique & clavi pedis, itemque unguium carnem lædentium, remotio, in Demonstratione IX porro explanantur. Tandem rerum peregrinarum extractio, setaceum, apertio abscessuum, carbunculi, anthracis & tumorum tunicatorum chirurgia, cauteriorum, cucurbitularum, hirundinum & vesicatoriorum applicatio, suggillationis item & verrucarum auxilia chirurgica, cum cadaverum incisione ac balsamatione, in Demonstratione X pertractantur. Pertractantur autem tot operationes eum in modum, ut non solum singulis Figuræ appositæ, quæ apparatus convenientem illustrent, & affectus morbi di, qui operam Chirurgi efflagitent, præmittantur, sed & præter remedia alia, observationes, ex propria potissimum Auctoris experientia 46 annorum depromptæ, aliquando interpolantur vel adjungantur. Sic exomphalon haud a peritonæi dilatatione, sed sola ejus ruptione produci, frequenti ejus-



- p. 111. modi tumorum inspectione anatomica, qua omni peritonæo interius destituti apparuerunt, evincitur. Sic inter alios asciticos, paracentesi restitutos, aliquis sistitur, cujus abdomen vigesies quinquies acu triangulari cannulata (*trocant*) punctum, plurimum quam viginti sex sextariorum seri effluxum concesserit. Ne prolixius adducamus, quæ de Bubonocèle in utroque sexu feliciter facta, cum intestini etiam adhærescentis a scroto separatione; de amputatione mammæ cancrifæ, nec filo acu trajecto, nec tenaculo, sed sola manu sinistra, adstipulante; de puellæ a gravi ossis bregmatis & temporum comminutione per trepanum duodecies applicatum restitutione; de hydrocephali externi medela per duas scarificationes longitudinales, capiti posterius & inferius inflictas; de curatione anthracis per incisionem commemorantur. Ex iis autem, quæ de Empyricis subinde curiosius annotantur, imprimis Fratris Jacobi historia restaret innuenda, nisi Domini Mery in ejusdem lithotomiam judicium nostrorum Actorum Mensi Octobri A. 1700 p. 460 jamdum insertum prostaret.
- 243.
- 325.
- 350.
- 364.
- 571.
- 167.

*RUARDI ANDALÆ, PHILOSOPHIÆ DOCTORIS ET  
Professoris, Exercitationes Academice in Philosophiam  
primam & naturalem, in quibus Philosophia Renati des  
Cartes clare & perspicue explicatur, valide confir-  
matur, nec non solide vindicatur.*

Franequeræ, ex officina Wibii Bleck, 1709, in 4.  
Constat Alph. 3 plag. 9.

**Q**uem sibi Cl. Autor in hoc opere finem proposuerit, ex titulo satis manifestum est. Placuit nimirum, dogmata, quæ in Meditationibus & Principiis Philosophiæ *Cartesii* continentur, ad captum tyronum explanare: ita ut gratiam iniisse censendus sit apud omnes, qui *Cartesiana* Philosophiæ cognoscendæ studio feruntur. Quoniam vero *Cartesii* placita ea esse judicat, a quibus non opus sit ut recedatur; ideo recentiorum quorundam Philosophorum ea deserentium opiniones hinc inde examinat & refutat. Ita quæ profundissimus Geometra, *Isaacus New-*



*Newtonus*, contra vortices *Cartesianos* in doctissimo opere Principiorum Philosophiæ Naturalis Mathematicorum proposuit, intellectui, naturæ corporis fluidi & phænomenis Astronomicis, æquabili nempe Planetarum motui adversari ait, totamque ejus demonstrationem falsa hypothese niti ex schemate *Newtoniano* colligit, hincque falsam & contradictoriam ejus sententiam pronunciat. Imprimis vero *Clericum* frequentissime atrociter notat. Physicam ejus ædificio comparat, quod fundamento careat & ordine plane inverso extructum sit, ideo quod de principiis Physicæ demum in parte ultima agit, eaque ignota esse contendit. Ipsum materias, quas tractat, non meditari asserit, sed modo quædam ex hoc, modo ex illo Autore exscribere, licet diversissimas sequatur hypotheses: unde tot in ejus Philosophia reperiri contendit contradictiones. Sed mittamus ea, quæ paulo acerbius in Viros præclaros dicta sunt, ne dudum promeritæ ipsorum laudi officere velle videamur, & structuram potius ædificii Autoris intueamur. Præmissa Dissertatione inaugurali de Physicæ præstantia, utilitate & jucunditate, Parte prima operis principia Metaphysicæ *Cartesiana* explicat: ubi indole dubitationis generalis exposita & primo principio cognitionis, *Cogito, ergo sum*, stabilito, ad existentiam Numinis tam a priori ex conceptu entis perfectissimi, quam a posteriori ex idea Dei innata, ex consideratione primæ originis mentis, ex ejus conservatione & conscientia asserendam progreditur, tandemque de clara & distincta perceptione, tanquam criterio veri, de causis & remediis errorum, de notionum simplicium clara & distincta perceptione & de triplici distinctione, reali, modali & rationis, disserit. Parte secunda Physicam generalem interpretatur, rerum naturalium principia recensens, in existentiam corporum inquirens, essentiam corporis in genere in nuda extensione fundans, plenitudinem universi defendens, atomorum existentiam & divisibilitatem materiæ in infinitum impugnans, mundi finitudinem cum ejus unitate adstruens, formas corporum particularium & motus naturam atque regulas examinans, quasdam corporum affectiones, duritiem nempe, fluiditatem, humiditatem, siccitatem declarans, veritatumque Physicarum certitudinem pro-



pugnans. Pars tertia Astronomiæ partem Physicam complectitur, de cœlorum atque stellarum, natura & affectionibus agens, quatenus sine Geometria & reliquis subsidiis Mathematicis cognosci possunt. Additur censura Astrologiæ judiciariæ & hypotheseos de incolis Planetarum. Pars quarta Terram, quam incolimus, contemplatur. Præmissa nimirum doctrina de motu globulorum seu secundi elementi *Cartesiani*, de gravitate & de calore, Telluris genesis tradit & mox ejus partes constitutivas, aerem, aquam & terram, stricte sic dictam considerat. Hinc in specie de origine fontium & fluminum, de aquis mineralibus, de terræ motu & montibus ignivomis, de igne, de magnete & ferro tractat, sensuumque tam internorum, quam externorum consideratione colophonem operi imponit. Eundem adeo ordinem observat, quo usus est *Cartesius* in Meditationibus suis & Principiis Philosophiæ, eandemque rerum seriem pertractat, quas illi attingere visum fuit.

*ÆQUATIONUM QUARUNDAM POTES-  
tatis tertiæ, quintæ, septimæ, nonæ & superiorum ad  
infinitum usque pergendo in terminis finitis, ad instar  
Regularum pro cubicis, quæ vocantur Cardani, Resolu-  
tio Analytica per ABRAHAMUM DE  
MOIVRE.*

Excerpta ex Transact. Anglic. A. 1707, N. 309 p. 2368  
& seqq.

**S**It  $n$  numerus quicunque,  $y$  quantitas incognita, sive æqua-  
tionis radix quæsitæ, sitque  $a$  quantitas quævis omnino co-  
gnita, sive ut vocant, homogeneum comparationis: atque ho-  
rum inter se relatio exprimat per æquationem  $ny +$   
 $\frac{nn-1}{2.3} ny^3 + \frac{nn-1}{3.3} \frac{nn-9}{4.5} ny^5 + \frac{nn-1}{2.3} \frac{nn-9}{4.5} \frac{nn-25}{6.7} ny^7$  &c.  
 $= a.$  Ex hujus seriei natura manifestum est, quod, si  $n$  su-  
matur numerus aliquis impar (integer scilicet, nec refert, utrum  
sit affirmativus vel negativus) tunc series sponte sua terminabi-  
tur, & æquatio fit una ex supra præfinitis, cujus Radix est



$$(1) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{1 + aa}} - \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{1 + aa}}$$

$$\text{vel } (2) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{1 + aa}} - \frac{1}{2} \sqrt[n]{-a + \sqrt[n]{1 + aa}}$$

$$\text{vel } (3) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{-a + \sqrt[n]{1 + aa}} - \frac{1}{2} \sqrt[n]{-a + \sqrt[n]{1 + aa}}$$

$$\text{vel } (4) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{-a + \sqrt[n]{1 + aa}} - \frac{1}{2} \sqrt[n]{-a + \sqrt[n]{1 + aa}}$$

E. gr. Sit hujus æquationis potestatis quintæ  $5y + 20y^3 + 16y^5 = 4$  radix invenienda, quo in casu erit  $n = 5$  &  $a = 4$ . Ra-

dix juxta formam primam erit  $y = \frac{1}{2} \sqrt[5]{4 + \sqrt[5]{17}} - \frac{1}{2} \sqrt[5]{4 + \sqrt[5]{17}}$ , quæ in numeris vulgaribus expeditissime explicari potest ad hunc modum. Est  $\sqrt[5]{17 + 4} = 8.1231$ , cujus logarithmus  $0.9097164$  & hujus pars quinta  $0.1819433$ . Huic respon-

dens numerus est  $r. 5203 = \sqrt[5]{4 + \sqrt[5]{17}}$ . Ipsius vero  $0.1819433$  complementum Arithmeticum est  $9.8180567$ , cui

respondet numerus  $0.6577 = 1 : \sqrt[5]{4 + \sqrt[5]{17}}$ . Igitur horum numerorum semidifferentia  $0.4313 = y$ . Hic venit observandum, quod loco radice generalis non incommode sumere-

tur  $y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{2a} - \frac{1}{2} \sqrt[n]{2a}$ , si quando numerus  $a$  respectu unitatis sit satis magnus, ut si æquatio fuerit  $5y + 20y^3 + 16y^5 = 682$ , erit  $\text{Log. } 2a = 3.1348143$ , cujus pars quinta  $0.6269628$ , & huic respondens numerus  $4.236$ . Complementi autem Arithmetici  $9.3730372$  numerus est  $0.236$ , & horum numerorum semidifferentia  $2 = y$ .

Atqui præterea, si in æquatione præcedenti signa alternatim sint affirmantia & negantia, vel quod eodem redit, si series obvenerit hujusmodi  $ny + \frac{1 - nn}{2.3} ny^3 + \frac{1 - nn}{2.3}$ ,

$$\frac{9 - nn}{4.5} ny^5 + \frac{1 - nn}{2.3}, \frac{9 - nn}{4.5}, \frac{25 - nn}{6.7} ny^7 \text{ \&c.} = a, \text{ erit}$$

hujus radix



$$(1) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{aa-1}} + \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{aa-1}}$$

$$\text{vel } (2) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{aa-1}} + \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{aa-1}}$$

$$\text{vel } (3) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{a - \sqrt[n]{aa-1}} + \frac{1}{2} \sqrt[n]{a - \sqrt[n]{aa-1}}$$

$$\text{vel } (4) y = \frac{1}{2} \sqrt[n]{a - \sqrt[n]{aa-1}} + \frac{1}{2} \sqrt[n]{a + \sqrt[n]{aa-1}}$$

Hic autem notandum, quod si  $\frac{n-1}{2}$  numerus extiterit impar,

radicis inventæ signum in ei contrarium permutandum est. Proponatur æquatio  $sy - 20y^3 + 16y^5 = 6$ . Unde  $n = 5$  &

$a = 6$ . Erit radix  $\frac{1}{2} \sqrt[5]{6 + \sqrt[5]{35}} + \frac{1}{2} \sqrt[5]{6 + \sqrt[5]{35}}$ . Vel quoniam  $6 + \sqrt[5]{35} = 11.916$ , erit hujus logarithmus  $1.0761304$  & ejus pars quinta  $0.2152561$ , complementum vero Arithmeticum  $9.7847439$ . Horum logarithmorum numeri sunt  $1.6415$  &  $0.6091$  respective, quorum semisumma  $1.1253 = y$ . Verum si acciderit, ut  $a$  sit minor unitate, tunc radicis forma secunda, ut quæ proposito est magis conveniens præ reliquis seligenda est. Sic si æquatio fuerit  $sy - 20y^3 + 16y^5 = 61.64$ ,

erit  $y = \frac{1}{2} \sqrt[5]{\frac{51}{64} + \sqrt[5]{-\frac{375}{4096}}} + \frac{1}{2} \sqrt[5]{\frac{51}{64} - \sqrt[5]{-\frac{375}{4096}}}$ . Et quidem si binomialium radix quintana ullo pacto extrahi queat, prodibit radix proba & possibilis, etsi expressio ipsa impossibilitatem mentiatur. Binomialis vero  $\frac{51}{64} + \sqrt[5]{-\frac{375}{4096}}$  radix quintana est  $\frac{1}{4} + \frac{1}{4} \sqrt[5]{-15}$ , & binomialis  $\frac{51}{64} - \sqrt[5]{-\frac{375}{4096}}$  radix itidem quintana est  $\frac{1}{4} - \frac{1}{4} \sqrt[5]{-15}$ , quorum binomialium summa  $\frac{1}{4} = y$ . Si autem extractio ista vel non peragi posset, vel etiam difficilior videretur, res ubique confici potest per Tabulam sinuum naturalium ad modum sequentem. Ad radium  $1$  sit  $a = \frac{51}{64} = 0.9512$  sinus arcus cujusdam, qui proinde erit  $72^\circ 2'3$ , cujus pars quinta (eo quod  $n = 5$ ) est  $14^\circ 2'8$ , hujus Sinus  $0.24981 = \frac{1}{4}$  proxime. Nec secus procedendum in æquationibus graduum superiorum.



THE GENERAL-GAUGER, OR THE PRINCIPLES  
and Practice of gauging Beer, Wine and Malt.

hoc est,

*PITHOMETRA PERFECTUS, SEU PRINCIPIA ET  
praxis investigandi soliditatem cerevisiæ, vini & po-  
lenta; Autore JOHANNE DOUGHARTY, Ma-  
theseos Cultore.*

Londini, apud Jacobum Knapton, 1707, in 8.

Constat plag. 16.

**P**ropositum est Autori artem dimetiendi dolia ita exponere,  
ut eam ex suis principiis deducat, & ad captum practicum  
accommodet. Quare cum Arithmetica decimalem, hoc est,  
quæ fractionibus decimalibus utitur, huic instituto maxime  
commodam judicet, ab eadem tractationem suam orditur,  
progrediens ad extractionem radicis cubicæ & quadratæ,  
& ad explicationem problematum planimetricorum ac ste-  
reometricorum, quorum usus in pithometria esse solet.  
His principiis expositis, ipsam tandem doliorum dimensio-  
nem explanat, non modo instar conorum truncatorum,  
sed & instar frustorum Conoidum Parabolicorum & Hy-  
perbolicorum atque Sphæroidum consideratorum. Singula  
problemata exemplis specialibus illustrat & typum exemplo-  
rum integrum apponit. Problema de dimetiendo dolio non  
pleno minime attingit, cujus solutionem ob difficultatem nemo  
huc usque aggressus est. Quanquam enim *Keplerus* sub finem  
Stereometriæ suæ quædam huc spectantia tradiderit, nec tamen  
ipse sibi, nec aliis satisfecit.

Beschreibung der Grafen von Blanckenburg.

hoc est,

*JOHANNIS GEORGII LEUCKFELDI RELATIO  
Genealogico-Historica de Comitibus Blancken-  
burgensibus.*



Francofurti & Lipsiæ, apud Theodor. Phil. Calvisium, 1708, 4.  
 Constat. plag. 16.

**A**Ntiquitates *Walckenredenses* atque *Pældenses*, antea nobis memoratas, excipiunt *Blanckenburgenses*, quæ *Blanckenburgensium Comitum* Genealogiam historicam ad seculum usque a nato Christo decimum quartum, quo familia ista est extincta, exhibet, subjunctis quinque Tabulis Genealogicis de Generosissima familia Nobilium de *Oldershausen*. Occurrunt hic varia notatu non indigna. Initio statim agitur de *Sylvæ Hercyniæ* (*Hark-Waldes*) nomine, ejusdem olim amplitudine, incolis aliisque, ubi notatur, eam dici *Hark/Hart*/item *Hark-Wald & Hart-Berg*. Græcis atque Latinis audiebat *Bacenis & Semana*, *Sylvæ Hercyniæ* vel *Saltus Hercynius*, quam denominationem *Melanchthon & Peucerus* a *Cheruscis*, populis antiquis, petiere. Raymundus Martianus nomen illud derivasse fertur a monte Hercyno, qui tamen nusquam comparet; aliis alia sentientibus. Pag. 10 & seqq. instituitur disquisitio: quando & a quibus territorium *Blanckenburgense* primum inhabitatum fuerit? Comitatus iste (p. 16) olim vocabatur *Hartingow & Hartgow*; num vero arx *Blanckenburgensis* a Saxonibus ethnicis, an eorum successoribus Christianis, fuerit extracta, non satis liquet. Antiquissimi quidem & certissimi tractus hujus possessores fuisse perhibentur Saxoniarum Duces. P. 20 monet Autor, probe discernendos esse Comites *Blanckenburgenses* a Nobilibus ejusdem nominis. P. 24 & 30 Comitum *Reinhardi & Hugonis de S. Victore* vel *Hermanni* vitæ aliquantum recensentur prolixius. P. 77 & seqq. subjiciuntur *Addenda* quædam & *Diplomata* ad Antiquitates *Blanckenburgenses* spectantia. Quibus ita pertractatis subnectitur brevis quædam Dissertatio de Cæsarea quondam urbe Palatina *Wallbusa*, in qua Otto I aliique Imperatores Romani sedem suam sæpius constituerunt.

elogia Germanorum quorundam Theologorum Seculi XVI & XVII.

elogia Philologorum quorundam Hebræorum.



*ELOGIA PRÆCOCIUM QUORUNDAM ERUDITORUM  
aliorumque Virorum Doctorum.*

*Collectore GEORGIO HENRICO GOETZIO, Ecclesia  
Lubec. Superint.*

Lubecæ, apud Jo. Wiedemeierum, 1708, in 8.

Constant Alph. 1 plag. 9.

**V**estigia eorum, qui hactenus Eruditorum vitas summo, quo decet, studio descriptas collegerunt, collectasque publici juris fecerunt, commemoratis insimul eorum scriptis, iudiciisque Doctorum de iisdem aliorum superadditis, imposterum pressurus summe Reverendus D. Goetzius, diligentiae dexteritatisque suæ, quæ nulli antecessorum palmam facile concedet, tria jam specimina maxime illustria intra anni unius dimidium luci publicæ exposuit.

Primo enim edidit *Elogia Germanorum quorundam Theologorum Seculi XVI & XVII.* Equidem haud ignoravit, esse jam in eo Rev. H. Pippingium nostrum, ut post absolutam Memoriarum Theologorum Clarissimorum renovatæ Centuriam primam mox ad alteram eodem studio progrediatur. At enim hujus se turbare circulos haud quaquam velle profitetur, quin potius calcaria eidem addit, serena excitatione, ut plures Dei servos fideles, quorum numerum haud exiguum sit initurus, ordine exhibeat commemoretque. Decadem de cetero Theologorum peculiarem heic constipavit, in qua comparent: *Lucas Lossius*, Rector Lunæburgensis, Theologi eximii gloriam præter laudes administrati per 50 annos officii scholastici consecutus; *D. Simon Pauli*, Superintendens ac Professor Rostochiensis; quorum uterque ad seculum XVI referendus est. Reliqui Seculo nuper elapso XVII supremum diem obierunt, utpote *D. Cornelius Beccerus*, Pastor & Professor Lipsiensis; *D. Val. Schachtius*, Pastor & Professor Rostochiensis; *M. Georgius Staupelius*, Superintendens Lubecensis; *M. Lucas Pollio*, Ecclesiastes Lipsiensis; *D. Godofredus Cundisius*, Professor Jenensis; *D. Fridericus Jessenius*, Pastor Kiloniensis; *M. Godofredus Goesius*, Presbyterii Hamburgensis Senior; & *D. Rudolphus Capellus*, Professor Hamburgensis. Appendicis in vicem pro liberalitate



sua erga doctos e cimeliis suis literariis adjunxit Editor celeberrimus duas Exercitationes, unam Michaelis Siricii A. 1662 Rostochii ventilatam, in qua *Andreas Bodenstein Carolostadius a puriore Ecclesia devius* ostenditur, erroresque ejusdem recensentur & deteguntur; alteramque a Josua Arndio A. 1651 Wittebergæ conscriptam de *erroribus Claudii Salmasii in Theologia.*

Theologos hos exceperunt paulo post *decem Philologi Hebraei*, qui vel in Academiis, vel in Gymnasiis, aut publice, aut privatim Linguas Orientales magna cum laude professi fuerunt. Ad Academicos Doctores spectant M. *Christophorus Hammerus* & M. *Johannes Frischmuthus*, uterque Professor Jenensis; M. *Andreas Sennertus*, Professor Wittebergensis; M. *Daniel Hasenmullerus*, Kiloniensis; M. *Johannes Leusdenius*, Ultrajectinus; L. *Valentinus Friderici*, Lipsiensis, & *Nicolaus de Maschkow*, Gryphiswaldensis. In Gymnasiis, ac Hamburgensi imprimis, floruerunt D. *Ægidius Gutbirius*, cujus vitæ cursum, paucissimis, imo uni tantum ac alteri vix notum, in literas retulit celeberrimus Polyhistor, Joh. Alb. Fabricius; & L. *Eberhardus Anckelmannus*. Iis, qui privatim operam suam locarunt aliis, nunc quidem accensuit M. *Gabrielem Reusselium*, Facult. Philosoph. in Academia Jenensi Adjunctum & Medicinæ Doctorandum, incomparabili viro, Jobo Ludolfo, perquam gratum, dignumque abs eodem habitum, cujus scripta ipse diligentius perquireret. Elogio Anckelmanni Oratio ipsius inauguralis varia eruditione referta e MSto subnectitur.

Denique successit Decas adhuc alia, quæ *præcocium quorundam Eruditorum aliorumque Virorum doctorum* Elogia completitur. Et priorum quidem illorum classem constituunt hi tres: *Gustavus ab Helmsfeld*, Consiliarius Regius Suecicus; M. *Jo. Jac. Thurmius*, Augusta Vindelicus, S. S. Theologiæ Cultor, & *Elias Schedius*, Poeta atque U. J. Candidatus. His de præcocibus disserendi ansam sibi suppeditatam innuit Oratione inaugurali de præcocibus Eruditis, a Viro clarissimo, M. Jo. Christophoro Wolfio, Lycei Flensburgensis Con-Rectore, habita & nuper admodum publicata. Altera in classe sistuntur, *Sethus Calvisius*, Chronologus & Mu-



& Musicus Lipsiensis; *Adamus Theodorus Siberus*, Eloquentiæ Professor Wittebergensis; *M. Jo. Friderici*, Linguae utriusque & Historiarum Professor Lipsiensis; *D. Frid. Hortlederus*, Consiliarius Saxo-Vinariensis; *D. Jacobus Gerschovius*, Lingu. Orient. & Poes. Professor Gryphiswaldensis; *L. Phil. Mullerus*, Professor Mathematicum Lipsiensis; & *Henningus* denique *Wittenus*, in Athenæo Rigensi Eloquentiæ & Historiarum Professor. Et hujus certe postremi tanto minus dememinisse potuit, quanto commodius Decadem hanc haberi posse censet pro decima, quæ ad complendam integram Centuriam *Εννεαδέ* Decadum Wittenianarum Memoriam Philosophorum, Poetarum, Oratorum, Historicorum & Philologorum renovantium, superaddatur, Ac ut illis etiam, qui Witteniano opere destituuntur, compertum sit, de quibus Autoribus in illo actum fuerit, Indicem scriptorum a Wittenno laudatorum huic suæ Decadi annexuit. Quin & alteram Centuriam Philosophorum Clarissimorum se imposte- rum editurum esse promittit.

*MICHAELIS Gottlieb HANSCHII, COL-  
legii B. Mariae Virginis in Academia Lipsiensi Collegia-  
ti, de Opere Kepleriano ἀνευδοσίω, cui Hipparchi nomen  
est, ad omnes Astronomia Consultos ceterosque,  
qui siderum scientia delectantur,  
Epistola.*

Lipsiæ, apud Hæredes Lanckisii, 1709, in 4.

Const. plag. 1.

**D**Udum monuit *Hevelius* in præfatione ad Tomum primum Machinæ cœlestis Gedani 1673 editum f. 35, *Kepleri* diversissima scripta lucem nondum vidisse, sibi que ipsi applaudit, quod universa Viri summi Manuscripta cum omnibus ejus Epistolis ad præstantissimos ævi illius Mathematicos datis horumque ad ipsas responcionibus in manus ipsius inciderint. Et in literis ad celeberrimum nostrum *Pfauzium* A. 1681 d. 20 Dec. exaratis indicium divinæ providentiæ singulare ex eo agnoscit, quod fune-



stum illud incendium, quo potissimam fortunarum *Hevelianarum* partem una cum instructissima ejus Bibliotheca Mathematica & omnibus operum ab ipso editorum exemplaribus periisse in Actis A. 1685 p. 141 innuimus, MS. Keplerianis ne minimum quidem damni intulerit, sed omnia integra flammis feralibus subducta fuerint. Inter ea vero principem locum obtinet *Hipparchus* (quem vocat *Keplerus*) foetus tantopere parenti suo dilectus, quemadmodum passim ex scriptis *Keplerianis* apparet. Ceterum qui genium Autoris vel ex epistola dedicatoria ad Libros 5, 6 & 7 Epitomes Astronomiæ *Copernicane* perspexerunt, nobiscum non diffitebuntur, vel ideo editionem *Hipparchi* sui ipsum indies distulisse, quod præ ceteris scriptis charus haberetur, adeoque nonnisi maxime comtus in publicum prodire debere censeretur. Sed delituit hactenus scriptum desideratissimum primo in scriniis hæredum *Kepleri*, postmodum inter cimelia *Heveliana* asservatum: nunc tandem soluta hæredibus *Hevelianis* certa pecuniæ summa cum reliquis MS *Keplerianis* omnibus laudatisque paulo ante Epistolis ad *Cl. Hanschium*, Artium in Academia nostra Magistrum, transit. Is igitur cum publicum sibi non magis devincire posse arbitretur, quam si Astronomos *Hipparcho Kepleriano* diutius carere non permittat; iisdem operis hujus editionem, quam parat, publice significare decrevit. Apponit integrum operis titulum, qui ita habet: *Demonstrationes multe & pulcherrime de magnitudinibus & intervallis trium corporum Solis, Lunæ & Telluris, ubi plus fere admirationis meretur ingenium humanum ad cognitionem operum Dei viam moliens, quam opera ipsa nature per se bruta.* Et præterea refert, illud in duas Partes dividi, quarum prior fundamenta Optica eorum, quæ ad doctrinam Eclipsium accuratius examinandam necessaria, demonstrans, inter alia de figura umbræ, dimensione refractionum, parallaxibus, dispersione lucis siderum in Lunam & Terram, in specie lucis Solaris in Lunam, Lunæ in Terram & Terræ in Lunam agat; posterior eclipsium doctrinam exhibens, Ptolemaicæ methodi periculis, dispendiis & erroribus ostensis, ac Sciæmetriæ theorematibus demonstratis, multa notatu digna de diametris Solis & Lu-



næ observandis, de motu Lunæ diurno & horario in conjunctionibus & oppositionibus inveniendis, de motu & angulo latitudinis una cum Lunæ parallaxi nova methodo inquirendis, observatione hujus anguli citra maximæ latitudinis considerationem, umbræ semidiametro varie inquirenda, Solis parallaxi, altitudine & proportione trium illorum corporum varie detegendis, commodis denique inde in Geographiam & reliquas scientias redundantibus proferat, adjecto multarum Eclipsium tam Solarium, quam Lunarium juxta *Keplerianam* hypothesein examine. Ipse *Keplerus* in ea, quam superius citavimus, epistola dedicatoria affirmat, se causas physicas ad Lunam pertinentes in Commentariis Martis adumbratas in *Hipparcho* suo ulterius excoluisse.

## NOVA LITTERARIA EX HISPANIA.

**M**Adriti sub finem anni 1707 inter publicas & solennes processiones, quibus & gravissimi Inquisitionis Generalis Assessores & plures Viri primaria dignitate conspicui interfuere, magna pompa publicatus est *Index expurgatorius librorum prohibitorum & expurgandorum, pro Catholicis Hispaniarum Regnis Philippi V, Regis Catholici, de Consilio Supremi Senatus Inquisitionis Generalis*, in fol. In eum Indicem Autores plures relati sunt a Senatu Inquisitionis, qui in prioribus editionibus nondum comparebant. Observatum tamen est a nonnullis, Cl. Papebrochii Opera nondum in eum Indicem relata fuisse, quod idem Senatus ante editionem illius nihil adhuc de illis decrevisset. Prodiit & ibidem superiori anno *Chronologia Sacra, origen de la Religion de los PP. Clerigos Reglares Menores, su Instituto, Gracias que los sumos Pontifices la han concedido, Elogios que de ella han escrito los Autores, Vida de sus venerables Fundadores, Notitia de las mas principales fundaciones suyas. Escriviola el Padre M. Diego de Villafranca. Tomo primero*, in fol. Valentia insignis Mathematicus, Thomas Vincentius Tosca, Presbyter Congreg. Orat. S. Phil. Neri, opus ingens Mathematicum aliquot Voluminibus editurus est, cujus operis Tomus I ante annum



num prodiit sub tit. *Compendio Mathematico, en que se contienen todas las materias principales de la Ciencias que tratan de la Cantidad*, in 8. Continentur hic Elementa Geometriæ in genere, tum Arithmeticæ & Geometriæ Practicæ: jamque sub prelo est ejusdem Autoris tractatus de Algebra una cum Analyfi Musices, quem excipient Sectiones Conicæ, Optica, Trigonometria, Astronomia aliæque partes Matheſeos.

---

LIBRI NOVI.

*Dictionnaire Universel, Geographique & Historique, contenant la Description des Royaumes &c. la situation, l'estendue, les limites, les distances de chaque Pays; la Religion, les Mœurs, les Coustumes, le Commerce, &c. Par M. Corneille, de l'Academie Franç. & de celle des Inscriptions & des Medailles. Trois Tomes. A Paris, chez Jean Baptiste Coignard, 1708, fol.*

*Atlas Historique, ou Nouvelle Introduction à l'Histoire, à la Chronologie & à la Geographie Ancienne & Moderne, représentée dans de nouvelles Cartes, par M. C. avec des Dissertations sur l'Histoire de chaque Etat, par M. Gueudeville, Tome II, premiere Partie, qui comprend l'Allemagne, la Prusse, la Hongrie & la Bobeme; & seconde Partie, qui comprend la Grande Bretagne, l'Irlande, la Suisse, la Savoye, la Lorraine & la Republique de Venise. A Amsterdam, chez les freres Châtelain, 1708, fol.*

*Jo. Baptistæ Gramayæ Antiquitates Belgicæ emendatiores, & auctæ Antiquitatibus Bredanis nunc primum editis. Accedunt huic editioni Nicolai de Guyse Mons Hannoniæ & Davidis Lindani Teneræmonda. Lovanii, apud Ægidium Denique, Bruxellis, apud Fratres Tſerſevens, 1708, fol.*

---

ERRATA.

Pag. 1 lin. 13 lege *antiquitates*: pag. 6 lin. 27 l. *Adelphii*: pag. 17 lin. 27 l. *quos figuratos*: pag. 18 lin. 22 l. *defecatam & summe edulcoratam*.

\*

\*

\*



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Aprilis, Anno M DCC IX.*

*VENERABILIS HILDEBERTI, PRIMO  
Cenomanensis Episcopi, deinde Turonensis Archi-Episco-  
pi, Opera tam edita, quam inedita. Accesserunt MAR-  
BODI, Redonensis Episcopi, Hildeberti supparis Opu-  
scula; labore & studio D. ANTONII BEAU-  
GENDRE, Presbyteri & Monachi Ordinis  
sancti Benedictini e Congregatione  
S. Mauri.*

Parisiis, apud Laurentium le Conte, 1708, in fol.

Alphab. II.

Prostat Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch.

**Q**ui Hildeberti, Cenomanensis vulgo appellati, (eo, quod Episcopi Cenomanensis munere diu functus fuit, quod tamen cum Turonensis Archi-Episcopi provincia post commutavit,) Opera singula & universa e Bibliothecis, ubi hætenus delituerunt, eruerent, inque unum Volumen constipata Orbi erudito exhibere, studuerint, per tot annorum, imo seculorum, decursum pauci admodum, aut plane nulli, reperti fuerunt. Provinciam ergo istam sibi sumpsit strenueque ornavit, utut octogenarius interea evaserit, Reverendus *Antonius Beaugendre*, qui tantam scriptorum majorum minorumque ab Hildeberto profectorum copiam nunc exhibet, quantam ante ipsum nemo collegisse deprehenditur. Equidem antesignanos & duces se habuisse profitetur collectores *Bibliothecarum*, quæ vocantur, *Patrum*, quorum

T

stu-



studio haud paucas Hildeberti Epistolas debeamus, prout & tres ejusdem Sermones ibi compareant. Præterea & *Lucam Dacherium* decem Hildeberti Epistolas Spicilegii sui Tomo quarto, aliasque quatuordecim Appendici ad ultimum Tomum inseruisse, & *Jacobum Homeyium* in Supplemento Patrum quædam ejus Opuscula in lucem protulisse notat. Ut taceamus, quæ apud *Surium*, *Wolfgangum Lazium*, *Barthium*, *Bollandum*, aliosque se reperisse fragmenta innuit. Nescivisse tamen videtur, quod jam A. 1637 & *Andreas* noster *Rivinus* nonnulla Hildeberti Opera e MStis in aptricum protraxerit, e cujus apparatu *Christianus Daumius* Sermonem illum, qui in hac editione centesimus est, & p. 723 seq. legitur, repetiit, & Divorum Patrum Veterumque Ecclesiæ Doctorum aliquot, qui oratione soluta scripserunt, Homiliis ac meditationibus in Festum natiuitatis Jesu Christi abs se A. 1670 Cygneæ junctim evulgatis p. 209 s. inseruit.

Antequam vero in recensenda doctissimi Editoris nostri industria ulterius progrediamur, juvabit, vitam Hildeberti ex ejus scriptis & veterum monumentis ab ipso adornatam carptim delibare. Ortum scilicet accepit Hildebertus a mediocri fortunæ parentibus in castro Lavarzinensi seu Laverdini, ad montem aureum in agro Vindocino, A. C. 1057. A puero disciplinis bonisque artibus institutus, magistroque usus fuit Berengario, tunc eruditionis laude præ ceteris insigni. Primos adolescentiæ annos emensus ad Cœnobium Cluniacense accessisse fertur, monasticumque statum complexus fuisse a Scriptoribus quibusdam non ignobilibus perhibetur, sed ab aliis vicissim negatur. Inde eum Hoellus, Episcopus Cenomanensis, eruditionis ejus fama permotus, Cenomanensibus Scholis præfecit, & A. 1092, cum ætatis annum ageret trigessimum quintum, in Archi-Diaconum adlegit, quod munus per annos quinque administravit, nec tamen (uti contra Ivonem Carnotensem Baroniumque famam ejus tueri conatur Noster,) post acceptum honorem illum vitam solutiorem exereuit. Defuncto Hoello Episcopo in ejus locum A. 1097 successit, non sine magna quidem partium dissensione in Præsulem ordinatus, prout & post



illud tempus plurimas factiones sibi adversantes superare necesse habuit. Consulum imprimis Cenomanensium contumeliis impetitus Romam iter capessivit, tum ut apud Pontificem solatii quidpiam inveniret, tum ut ejus nutu Episcopatu se abdicaret, Cluniacumque repeteret, reliquum vitæ tempus in monasticis exercitiis transacturus, quanquam non Romæ, sed Savi- niaci Papam Paschalem II invenerit. Hic autem viri indole, doctrina, industria animarumque cura permotus, non solum a proposito Pontificatum deponendi eum deterruit, sed & expresso scriptis mandato ad Ecclesiam curasque pastorales remisit. Cenomanum igitur vel invitus rediit, ubi constituta sic satis pace mox denuo conflictandum ipsi fuit cum Henrico quodam, priscorum hæreticorum deliramenta non pauca renovante. Quo vix superato & expulso novas expertus est molestias. Technis etenim Rotroci, Comitis Mauritanensis, ejusque matris, & dapiferi, Humberti, circumventus duro præter omnem opinionem carceri se mancipatum vidit, sed mutata rerum facie post tempus aliquod e vinculis iterum dimissus ad pristinam Ecclesiæ gubernationem rediit. Ubi omnibus ac singulis in ejus commodum rite laudabiliterque constitutis A. 1125 Gilberto, Turonensi Archi-Episcopo, e vivis sublato, in ejus locum, licet fere septuagenarius & renitens, suffectus est. Tum vero non Ecclesiasticas modo res composuit, sed populorum etiam oneri levando omnem operam navavit. Sed quo minus Ludovici VI, seu Crassi, Francorum Regis, odium incurreret, evitare nullus potuit, paulo post tamen reconciliatum illum sibi met persensit. Denique post frequentiores variarum ægritudinum molestias placide obdormivit decimo octavo mensis Decembris, A. C. 1134. Quæ aliaque ut prolixè refert noster Beaugendre, ita majorem enarratorum abs se in fidem ea subjicit, quæ antiquus Autor gestorum Episcoporum Cenomanensium apud Mabillonium, Tomo III Analectorum p. 303 seqq de Hildeberto tradidit, una cum notis, quibus istam Hildeberti historiam dilucidavit & amplificavit *Phil. Loyauté*, Parisiensis in Parlamenti suprema curia Patronus celeberrimus.



Sed nunc, quo ordine, quave forma Hildeberti scripta hoc in volumine se excipiant, a nobis indicandum est. Primum locum *Epistola* ejusdem obtinent, quarum cum antea *tres* tantum atque *octoginta* numeratae fuerint, Noster, triginta & novem additis, *centum viginti & unam* publici juris facit. Et singulas sane ad tredecim MStorum optimae notae Codicum fidem recensuit, varias lectiones observavit, argumenta plura enodavit, quo tempore dictatae, & ad quos directae fuerint, annotavit, notisque eas, ubicunque visum fuit, eruditis solerter instruxit. Subsequuntur deinde *Sermones* Hildeberti *centum & quadraginta*, cum antea tres tantum in variis editionibus Bibliothecae Patrum reperirentur. Hos excipiunt varia ejus Opuscula soluto sermone composita, quorum agmen ducit *Vita S. Radegundis, Reginae*, quam Nostro e schedis suis promte transmisit R. P. Mabillonius, qui ejus Praefationem dederat Tomo III Analectorum, eo consilio, ut, si quando se offerret occasio, integram illam vitam ederet. Comitem haec habet *Vitam S. Hugonis, Abbatis Cluniacensis*, in Bibliotheca Cluniacensi jam tum edita, & apud Surium quoque ad diem 29 Aprilis reperiunda. Excipit hanc liber *de querimonia, sive de conflictu carnis & spiritus*, partim prosa, partim metro ad imitationem Boetianae consolationis Philosophiae conscriptus, & haecenus nondum editus. Tractatus item *de utili & honesto*, quatuor libris distinctus, & nonnisi e variis Senecae, Ciceronis, Taciti, & aliorum veteris Scholae Philosophorum scriptis adornatus, pariterque haecenus ineditus. Qualis etiam est *Tractatus Theologicus*, quem medium inter alia indubitata Hildeberti opera reperit in MSto Monasterii B. Mariae de Lyra, Ordinis & Congregationis S. Mauri, sexcentorum circiter annorum, ex quo non omnino temere conjici posse censet, Scholasticos Theologos, ipsumque Robertum Pullum & Petrum Lombardum, & argumentum & methodum doctrinae suae inde deprompsisse. Quae sequuntur, sunt: *Brevis Tractatus de Sacramento Altaris*; *Liber brevis de expositione Missae*, e quo initium expositionis Missae a Melchiore Hittrorio Coloniae A. 1568 e vetustis, quos tamen haud nominet, Codicibus, editae, desumptum fuisse



manifestum putat; versus *de Mysterio Missæ*; liber *de sacra Eucharistia*; opusculaque alia metrica & *Carmina miscellanea* quamplurima, maximamque partem nunc demum prima vice e MStis edita, in quibus strictam syllabarum mensuram non semper ita scrupulose sectatus Hildebertus quod fuerit, ignoscendum ipsi ob sententiarum gravitatem materiæque pondus postulat. Ceterum cum supra memoratum D. Loyauté olim illustrandis Hildeberti Epistolis operam navare cœpisse, sero nimis relatum sibi fuisse queratur, tres Epistolas ex ejus Codice erutas cum eruditis notis ad decem & octo Hildeberti Epistolas, cum aliis tribus a Cl. Baluzio concessis, & tribus denique e S. Vincentii & Ebronensis Monasterii tabulariis impetratis, Appendici reservavit. Neque sic tamen omnia Hildeberti opera extare fatetur, quin potius ejus *Historiam miraculorum Exoniensis Ecclesiæ*, *Statutaque Synodalia pro Diœcesi Cenomanensi*, quorum aliqua fragmenta olim Jo. Baptista Thiersius citaverit, se nullo impetrare labore potuisse majorem in modum dolet.

Cum vero Hildeberti lucubrationes ad MStos Codices supra quadraginta expendens, nonnullas deprehenderit intermixtas, quæ *Marbodi*, Episcopi Redonensis, Hildeberti supparis, essent, vicissimque opuscula Marbodi discutere & ab Hildebertinis secernere necessitas sæpe flagitarit, in eam se inductum refert sententiam, qua nunc Marbodum Hildeberto datum esse comitem, Eruditi haud indigne ferent.

Egit ille Marbodus primum Scholarum Ecclesiæ Andegavensis publicarum Magistrum ab A. 1067 ad 1081, & post Archidiaconi officium in ista Ecclesia per annos non unos adimpletum, A. 1096, jubente Urbano II Pontifice, in ipso Concilio Turonensi solenni ritu consecratus fuit Ecclesiæ Redonensis Episcopus. Huic dignitati posteaquam per annos plures præfuit, abdicato postremum sponte Pontificatu, in monasterium S. Albini Andegavensis secessit, ibidemque monachum sub regula S. Benedicti professus aliquandiu vixit, donec III Id. Septembris A. 1123, annos natus octoginta circiter & octo, supremum diem obiit.



Opusculorum ejus tantam se observasse Cl. Beaugendre dicit raritatem, ut vix ac ne vix quidem ex instructioribus Galliae Bibliothecis unicum exemplum nancisci potuerit editionis Redonis vulgatae A. 1524 antiquo caractere, qui Lectoris oculos elegantioribus assuetos facile offendere potuerit. Voluit proinde & ad detegenda illa, quae nunquam ante apparuerant, & ad vetera ista majori nitore donanda, suam lubentissime conferre operam, hisque Marbodi non minus atque istis Hildeberti opusculis notas suas, quantum e variis seculi istius historiis & eventibus, aut etiam probabilioribus conjecturis assequi datum fuit, adjicere.

DICTIONNAIRE UNIVERSEL GEOGRAPHIQUE & Historique.

i. e.

DICTIONARIUM UNIVERSALE HISTORICO-Geographicum; Autore DN. CORNEILLE, Academia Gallicana, nec non Inscriptionum & Numismatum Socio.

TOMI III.

Parisiis, apud Jo. Baptistam Coignard, 1708, f.

Alph. 28.

Prostat Lipsiae, apud Jo. Fridericum Gleditsch.

**C**eleberrimum Corneliorum fratrum, Petri & Francisci Thomae, in Poesi dramatica, tragoedia maxime, nomen est, quorum ut ille parem vix habuit, ita huic secunda in eo genere gloria relicta fuit, nisi forte Racinio ob raram aulaeque magis accommodatam elegantiam medium inter utrumque locum concedere malis. Utriusque dramata omnia Parisiis 1706, 12. decem Voluminibus junctim recusa sunt. Post mortem Petri Fr. Thomas frater in Academiam Gallicanam velut haereditario jure receptus est, quam in hunc diem, quamvis octogenario major, (natus enim est die 20 Augusti A. 1625) & quod mireris, oculorum luce propemodum orbatus, egregie ornat. Atque is quidem



dem quindecim annorum labore assiduo Geographicum hoc, quod præ manibus est, opus concinnavit, in quo ita Imperia, Regna, provincias, urbes, castella, maria, flumina, insulas, montes, valles & similia descripsit, ut & situm, limitesque & locorum distantias, tum cultum, mores, commercia populorum, aliaque singularia, quæ hic illic gesta in historiis memorantur, exposuerit. Itaque & consuluit passim hodieporica aliosque optimæ notæ libros impressos, & plura quoque adhibuit hæcenus nondum in vulgus edita, qualia sunt Valdomii Adversaria Geographica, Langladii Diarium Itineris Italici, Anonymi Commentarii de variis urbibus anno 1701 & sequentibus collecti, & similia. Cùmque, ut modo inuimus, historiarum cupidis bene consulere voluerit doctissimus Autor, hinc sub titulo *Roma*, Imperatores Romanos & Constantinopolitanos, sub *Imperii* titulo Germanicos omnes concinno ordine recenset, quam rationem in reliquorum Regnorum & Principatum descriptione, pariter observat; urbium vero celebriorum, ut Lutetiæ, Lugduni Galliæ, Londini, Amstelodami, delineationes amplissimas inserit; utque his etiam satisfaciat, qui historiam literariam amant, subinde urbium descriptionibus breves ut Pontificum ita & Eruditorum, qui illinc orti sunt, vitas subnectit. Ulti vero in recensendis superioris ætatis Eruditis Morerium fere solum aut Peraltum sequitur, ita recentiores, quos hi nondum attigere, eos maxime, qui Academiis Gallicis adscripti fuere, propria industria addidisse nobis visus est. Ex his itaque, ne specimen nobis desit, nonnullos producamus.

Albigentium civitatem patriam habuere Michael T. I p. 59.  
 le Cler & Claudius Boyer, uterque Poeta, uterque Academiae Francicæ socius, quorum ille Tassii versione Gallica & tragediis nonnullis, hic pluribus dramatis, imprimis tragedia de Juditha, inclaruit, ille A. 1692, hic 1698 decessit. Ambiani præter Petrum Eremitam, Jacobum Sylvium, Joannem Riolanum, Vincentium Vetturium & Jacobum Rohaultum, Carolus du Fresne, Dominus du Cange, natus est A. 1610, ubi & Thesaurarii munus usque ad A. 1668 gessit, quo tempore ob pestem patriæ gravem Lutetiam commovit, ibique ad Bibliothec-



- cas optimas admissus, Glossaria aliaque opera doctissima vulgavit. At cum in eo esset, ut Chronicon Paschale ederet, decessit ibidem die 23 Oct. A. 1688. Bellovacum præter Antonium Loiselium, celebrem causarum Patronum, qui octogenario major Parisiis A. 1614 die 24 Aprilis obiit, illustravit Joannes Foy, qui Vaillantii nomen a propinquo evergeta adoptavit. Is cum Medicinæ primum operam dedisset, ea postea missa, totum se rei nummaria dedit, eoque variis itineribus Romam, Constantinopolin & usque adeo in Ægyptum factis, Museum Regium pluribus nummis locupletavit, quod & idem in ordinem redegit; natus fuit die 24 Maji anni 1632, & editis plurimis scriptis doctissimis vitam finiit Parisiis A. 1706 die 23 Octobris. Claudium Fabrium Vaugelasium, quem Pelissonius in Hist. Academiae Franc. Camberio natum asseruerat, Burgo in Bressia vindicat Noster, in reliquis Pelissonium sequitur. Carnuti Andreas Felibien A. 1619 & Petrus Nicolle 1625 in lucem nati sunt. Ille Vitis Pictorum aliisque scriptis clarus, & Historiographus Regius A. 1666 & Custos Antiquitatum 1673 factus, cum Academiam Inscriptionum & Numismatum aliquandiu ornasset, diem obiit 11 Jun. A. 1695: hic Theologia morali clarissimus & Arnaldo peramicus eodem anno die 16 Nov. vivere desiit. Portum Gratia Georgius Scuderus ejusque soror Magdalena, Sappho Gallica vulgo dicta, nobilitarunt; uterque poeticis scriptis fabulisque Romanensibus famam meruit, & Georgius quidem A. 1668, Magdalena nonagesimo quarto ætatis anno sub initium hujus seculi e vita discessit. Lugdunum præter alios edidit Isaacum de Benserade, qui aulae pergratus in eo Poeseos genere, quod Galli *Ballades* vocant, primus excelluit; sed extinctus est die 15 Oct. A. 1691. Lutetia Parisiorum præter Viros plures eruditos, Poetriam protulit elegantia & castitate carminis, imprimis Bucolici, percelebrem, Antoniam de la Garde, Deshullerio militiae gloria illustri nuptam, quæ die 17 Febr. A. 1694 e vivis excessit, relicta filia virgine, quæ & ipsa Poesi ita excellit, ut (quemadmodum Poemata testantur T. II p. 175) Academiae Gallicanae judicio præmium ante alios Poetas retulerit A. 1687. Ut enim hoc obiter hac occasione moneamus, utriusque



Poemata & alias, & nuper admodum hoc ipso anno 1709 au-  
ctiora, Amstelodami in 8 prodierunt, hoc titulo: *Poesies de*  
*Madame & de Mademoiselle Deshoulieres.* Rhotomago,  
quæ & Autoris nostri patria, plures oriundi sunt eruditi, ut Pe-  
trus Bardin, Samuel Bochartus, & magnus ille Petrus Corneil-  
le, Auctoris germanus, de quibus cum alii quoque egerint, ni-  
hil addimus.

p. 301.

His obiter enotatis, non ingratum fuerit ea brevissimis  
addere, quæ Autor de Academiis, seu Societatibus eruditis, ex-  
tra Lutetiam celebratis, habet. Nimirum illustris est Arelati

T. I p. 194.

Academia Regia Scientiarum & Linguarum, quæ Regio diplo-  
mate firmata A. 1668 viginti primum Socios habuit, nobili o-  
mnes profapia ortos, quibus tamen decem postea novo Regis  
mandato accessere. Habet & Augusta Sueffionum Academi-

T. III p. 479.

am humaniorum literarum (*de belles lettres*) quam pariter  
Rex A. 1674 privilegiis munivit; huic multum deberi Cl. Au-  
tor existimat, quod tam politis hodie moribus sint Sueffiones.

Denique de Tolosanis Floralibus (*Fête des Jeux de Floraux*)

624.

accuratius referre operæ pretium fuerit. Horum institutio-  
nem inde ab A. 1324 repetunt, quo Septemviri elegantioribus li-  
teris dediti publica Epistola Poetas vicinos omnes invitarunt, ut  
calendis Maji illius anni Tolosæ comparentes carmine certarent,  
statuta ei, qui vinceret, in præmium viola aurea. Probavit

mox institutum magistratus, qui constitutis Cancellario ac Se-  
cretario, & censura Septemviris, qui exinde *Mainteneurs* dicti,  
relicta, Floralia hæc publico sumtu quotannis continuari præce-

pit, addiditque postea violæ secundi & tertii præmii loco ro-  
sam sylvestrem (*l'eglantine*) & caltham (*le soucy*). Hinc fœ-  
mina nobilis Clementia Isaura circa annum 1540 Florales ludos

(*les Jeux floraux*) prima & tertia Maji die celebrandos insti-  
tuit, & legata eam in rem maxima bonorum parte una cum  
ædibus magnificis, quæ his ludis perpetuo consecratæ sunt,

jussit quatuor quotannis flores, nimirum violam, rosam sylve-  
strem, caltham & ocellum (*l'oeillet*) victoribus dispensari. De-  
nique Rex modernus A. 1694 Floralia hæc Academiæ privilegiis

auxit, cujus Socios ordinarios triginta quinque esse voluit, præ-  
miis



miis etiam paulum immutatis; quippe hodie amaranthus ex auro, tum ex argento viola, rosa sylvestris & caltha distribuuntur.

Ceterum quod de aliis Gallis observatum est, ut cum Germanica attingerent, non usquequaque ab erroribus vacaverint, id facile de Nostro quoque testabuntur, qui opus istud haud perfunctorie perlustrabunt. Ita fallitur cum Audiffreto, non indocto alias Geographo, quem cum D'Avity frequentius sequitur, ubi Halam Saxonum in circulo Misnensi, speciatim Lipsiensi, sitam hodie Saxoniae Ducibus e familia, ut vocat, Saxo-Halensi subesse credit, quæ falsa esse, nostri facile intelligunt; ut taceamus Mauritioburgum, ut vocant, nequaquam arcem hodie munimentis fortissimis ad tuendam eam urbem instructam, sed aulam potius referre summorum Principum hospitio aptam.

T. II p. 160.

*SECULARIA SACRA ACADEMIÆ REGIÆ  
Viadrine.*

Francof. ad Viadrum, apud J. Schrey & J. C. Hartmann, fol.  
Alph. 4 pl. 17 Tabb. æn. 7.

*NOTITIA UNIVERSITATIS FRANCO-  
furtanæ, una cum iconibus.*

Ibidem, apud eosdem, 1707, fol.  
Alph. 3 pl. 17 Tabb. æn. 35.

*Kurze Beschreibung der alten löblichen Stadt  
Frankfurt an der Oder ꝛc.*

1. e.

*WOLFGANGI JOBSTI, MED. D. ET PHYS.  
Prof. Chronicon urbis Francofurti ad Viadrum. Edi-  
tio tertia, cui plurima accedunt, quæ urbem ejusque  
vicinum tractum illustrant; auctore JO.*

*CHRISTOPHORO BECK-  
MANNO, D.*

Ibidem, apud eosdem, 1706, fol.  
Alph. 1 pl. 21 Tabb. æn. 8.



CATALOGUS BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ  
 Universitatis Francofurtanæ, edente JO. CHRIS-  
 TOPHORO BECMANNO.

Ibidem, apud eosdem, 1706, fol.

Alph. 3 pl. 10.

**P**rostant modo una quatuor hæc Volumina, quæ præcipue curæ Viri celeberrimi, *Joannis Christophori Becmanni*, SS. Theol. D. & Prof. Publ. debentur. Triennium est, ex quo Academia Regia Viadrina post exacta duo secula natalem tertium sub augustis auspiciis Potentissimi Regis Borussiae Regnique ejusdem & Electoratus Brandenburgici Hæredis Serenissimi, Rectoris Academiae Magnificentissimi, inter Serenissimorum Augustæ Brandenburgicæ Domus Heroum Heroinarumque exoptatissimam præsentiam, plaususque tum Brandenburgicarum, tum exterarum Academiarum devota pietate celebravit. Hujus itaque celebritatis memoriam ut ad posteros propagaret Academia, omnem ejus historiam consignavit, & quæcunque eam in rem vel publice pronunciata vel privatim scriptis oblata aut ab exteris affectum testantibus transmissa fuere, vulgavit; unde nihil pompæ aut magnificentiæ festo huic defuisse, facile unusquisque intelliget. Postquam enim & Rex & Regius Princeps Academiae desideriis, quæ non minus per Oratores quam literas exposuerat, annuisset, designatis etiam summis in aula Duumviris, qui ritus & ceremonias formarent, literæ invitatoriæ ad omnes Germaniæ Academiæ Augustanæ confessioni addictas, ex Pontificiis ad Colonensem & Pragensem, exterisque celebriores, Oxoniensem, Cantabrigiensem, Upsaliensem, Hafniensem, tum Belgii Lycæa omnia, & Basileensem quoque Academiam, missæ sunt. Demum anno M DCC VI die XXIV Aprilis Rex cum Regia familia, urbem portas plateasque mandato Regio pulere exornatam, per arcus imprimis duos triumphales splendidissimos, quorum alterum Academicus, alterum Civicus Senatus extruxerat, magna pompa invehctus est, comitantibus,



qui extra urbem exceperant, Studiosis juvenibus & Senatu oppidano, quibus Professores omnium ordinum in ipso aditu Collegii majoris, postquam submissa salutatione defuncti essent, sese adjunxerunt. Prolixum foret omnem pompæ apparatus recensere, quem multo illustriorem civium maxime liberalitas reddiderat, ut taceamus, ipsos etiam ex pagis Academicis colonos novo nec indecoro habitu in ea festivitate fuisse conspicuos. Hinc die XXVI Aprilis, qui Academiae natalis erat, in templum processum est, ubi D. Samuel Strimesius, Theol. P. P. mane concionem secularem Germanicam & a meridie D. Tido Henricus de Lith, Eloqu. Professor, Orationem Latinam dixit, demumque Strimesius ab Academiae Receptoratu abiens fasces Henrico Simoni Plesmanno Hist. & Pol. Professore publice tradidit, Rege ac Regio Principe gratiose annuentibus. Ardebant nocte insequente ignes artificiales non modico sumptu parati, qui ingeniosis undique lemmatibus coruscabant; postero vero die omnium Facultatum Candidatis, præsente pariter Rege & familia Regia, supremi honores publice distributi sunt, & vespere accensa lumina, quibus ædes passim ornatae & refertæ erant. His factis, Rex demum cum omni comitatu die XXIIIX discessit. Uti vero passim plures Virorum eruditorum atque Academicarum congratulationes ad Universitatem delatae sunt, quas in hoc Volumine studiose collectas deprehendas, ita grata imprimis mente Anglorum propensam erga se voluntatem deprecatur Academia, quandoquidem & Cantabrigienses quatuor Professorii ordinis Viros ad ipsam solennitatem delegarunt, quibus socium etiam addiderunt Cl. Ludolphum Kusterum, & Oxonienses eundem diem XXVI Aprilis, instituta solenni Panegyri, festive celebrarunt.

Notitiam Universitatis Francofurtanæ jam tum ante triginta annos ediderat Celeb. *Becmannus*, at cum ex eo tempore plura collegerit, quæ ad eam Academicam pertinerent, Historiam totam reconcinnare quodammodo coepit, & passim addidit notatu digniora. Nam & ubi initia, privilegia item & jura, ordinemque & Statuta Universitatis descripsit, subinde aliqua



seruit, & insuper totam seriem Rectorum, nec non Professorum singularum Facultatum, quousque e monumentis publicis eruere licuit, tum vitas variorum Professorum, qui scriptis aliisque meritis Academiam illustrarunt, pertexuit, addito sub finem Auctario, quo Historiam Inaugurationis Universitatis a primo ejus Professore Publico Vigilantio Axungia jam tum A. 1507 vulgatam, aliaque documenta, quæ suis locis commode inferi non poterant, complexus est. Dignissima hic lectu sunt, quæ de Conrado Wimpina, Alexandro Alesio, Andrea Musculo, Abdia Prætorio, Urbano Pierio, Christophoro Pelargo, (cujus & literæ Græcæ ad Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum cum hujus responsoriis hic exhibentur,) Johanne & Conrado Bergiis, Cyriaco Herdesiano, Christiano Carpzovio, celeberrimæ familiæ satore, Joanne Brunnemanno, Friderico & Godofredo de Jena, Samuele Strykio, Publico Vigilantio, Georgio Sabino, Christophoro, Georgio & Joanne Neandris, Christiano Rasio aliisque afferuntur, e quibus ipsos Lectores curiosiora haurire variosque simul icones Professorum, imprimis hodie superstium, contemplari quam specimina hic plura decerpere malimus.

Nec e Chronico multa delibare opus est, quod a Wolfgango Jobsto jam olim editum *Becmannus* pluribus subinde accessionibus auxit. Elegantissima hic imprimis delineatio exhibetur Fossæ celebratissimæ, quam *Novam Fossam* vulgo vocant; qua mediante Viadrum & Sprea indeque Mare Germanicum & Balthicum maxima commerciorum utilitate feliciter junguntur. Nam cum idem antea Reges Bohemiæ & Electores Brandenburgici frustra tentassent, FRIDERICUS WILHELMUS demum ab A. 1662 ad 1668 perfecit, ducta ex lacu, quæ prope Mulrosam conspicitur, duplici fossa, ad Spream altera, altera ad Viadrum. Protenditur tota fossa tribus miliaribus, latitudinem vero habet quinque virgarum Rhenanarum, & sex pedum profunditatem. Hac magno inde compendio usi Uratislavienses Hamburgum usque merces suas navibus detulere; quoque minores deinde sustentandæ fossæ sumptus fieri necesse esset, modernus Rex Potentissimus FRI-



DERICUS I cataractas (*Schleusen* vocamus) e ligneis lapideas construi jussit, quales quatuor A. 1699, 1701 & 1702, additis elegantissimis inscriptionibus, excitatæ sunt.

Denique recensum hic sistimus Catalogum instructissimæ Bibliothecæ publicæ Universitatis Francofurtanæ, quem ad feriem Alphabeti accurate admodum digestum jam tum A. 1676 in 4 vulgaverat Celeb. Autor.

## HISTOIRE DU RENOUVELLEMENT DE l'Academie Royale des Sciences &c.

i. c.

*HISTORIA RESTAURATIONIS ACADE-  
miæ Scientiarum Regiæ, & Elogia Sociorum Academia,  
qui ex eo restaurationis tempore mortui sunt; Autore  
DN. DE FONTENELLE, Secretario perpetuo  
Academia.*

Parisiis, apud Jo. Boudot, 1708, 12.

Alph. 1 pl. 4.

**C**hristianissimi Regis auspiciis e doctissimis Galliæ Viris A. 1666 quædam constituta est Societas, quæ secreta rimaretur naturæ, & in explicandis rebus Physicis, Medicis, Chymicis, Mathematicis operam suam collocaret, cujus Historiam non minima ejus pars neque ornamentum vulgare Jo. Baptista du Hamel ab A. 1666 ad A. 1697 Libris IV contexuit. Ejus vero ut splendidior foret facies, post factam pacem Rysvicensem, summi Regis Ministri de Pontchartrain consiliis & industria Celeb. Abbatis Bignonii singulari præstitum est, & prodierunt leges exinde Regiæ firmatæ autoritate, ad quas institutum suum omnemque contentionis & laborum seriem componerent atque efformarent. Ita ergo cum ante hos decem annos nova quasi surrexerit & lætius cœperit prominere, non inanem se operam adhibiturum censuit celeberrimus Vir, Dominus de Fontenelle, istius Regiæ Societatis Secretarius perpetuus, si, quotquot ex eo tempore diem suum obierunt, eorum celebraret merita & pro tan-



tis in rem literariam beneficiis, quicquid monumentorum ingenii post se reliquerunt, peculiaribus Elogiis efferret. Siftitur exinde post Præfationem de Utilitate Mathematicum atque Physicæ, Historiamque restaurationis Academiæ istius, quam ita dicunt, cui leges & statuta adjecta sunt, celeberrimorum Virorum Dodecas, quorum ea reperimus nomina: Burdelinus, Tavrius, Tuillierius, Viviani, Hospitalius Marchio, Bernoullius, Amontons, du Hamel, Regis, Vaubanius Campi Mareschallus, Gallelius Abbas, Dodartus. Nos ex ipsis Elogiis sequentia decerpemus. Claudius Burdelinus, qui Pharmaceutriæ & Chymicæ maxime animum adjunxit, famosam illam & Gallis tantopere probatam venas secandi methodum non admodum æstimavit, neque statuit adhibendam, nisi in apoplexia, & citra ejus tamen auxilium multos acutos morbos abegit. Daniel Tavry celebris Medicus præcocibus ingeniis meretur annumerari, quippe qui non multo post nonum ætatis annum thesaurum quandam Logicam disputando adstruxit, anno decimo quinto Andegavi Medicinæ Doctor renunciatus est, & decimo octavo Anatomiam edidit rationatricem. Vincentius Viviani, Nobilis Florentinus, artium Mathematicarum & maxime Geometriæ callentissimus, Galilæo aliquandiu adhæsit, & cum ætate pro-  
 vecta cæcus hic esset factus, Lectoris apud ipsum functus est munere, tanto hunc doctorem suum prosequens amore, ut, ubicunque nomen suum scriberet, discipulum etiam Galilæi se profiteretur. Idem cum e Regis Christianissimi munificentia  
 annuam pecuniam acciperet, eadem domum quandam sibi Florentiæ coemit, dirutamque extruxit eleganter iterum, & fronti ejusdem verba hæc: *Aedes a Deo data* inscripsit, respiciens ad istam Regis liberalitatem titulumque simul, quem recens natus sortitus erat, cum a Deo datus diceretur. Simili grati animi significatione Galilæi sui bustum novæ domus hujus portæ, omnem vero vitæ ejus historiam ejusdem parietibus appingi fecit. Dicitur Viviani in Præfatione libri: *Geometrica divinatio de maximis & minimis* insignes ævi sui Geometras cum primis celebrare, & inter illos Illustrum nostrum Leibnitium Phœnicem ingeniorum & alterum salutare Galilæum. Jacobus Ber-

p. 71.

74, 75.

85.

110.

111.

148.



- Bernoullius, illud Helvetiæ decus, a Patre ad sacrarum literarum studium destinabatur, sed suæ naturæ quodam instinctu ad Mathesin animum applicabat, & proinde emblemate peculiari eam velificationis suæ mutationem expressurus Phaetontem paterni currus aurigam pingebat, cui adscripta legebantur verba: *Versor inter astra vel invito quoque Parente.* Amontonium A. 1695 usum horologiorum, quæ per aquam horas dimetiuntur, velut postliminio reducere voluit, ut quæ navigantibus commodiora, atque evulgavit ideo singularem librum; *Observationes & experimenta Physica circa novarum clepsydram constructionem.*
200. Jo. Baptista du Hamel non Philosophus magis & Mathematicus fuit acutus, quam Latini sermonis elegantia callens, unde librum de jure Regina Gallia in Brabantiam, qui A. 1667 prodiit, e Gallico Latinum facere jussus est, sicut & ex-
202. inde A. 1668 Aquisgranum una ductus fuit, ut Legato Regis Christianissimi in famosa illa pacis conclusione adesset, styloque suo subserviret; cujus liber *Philosophia vetus & nova* apud ipsos Chineses usurpari cœpit, a Missionariis e Gallia eo delatis potissimum adhibitus.
208. Petri Silvani Regis Systema Philosophicum tantopere probavit Escalonæ Dux, nuperus apud Neapolitanos Pro-Rex, ut cum A. 1694 in acri prælio ad Sambrocam fluvium suis impedimentis exutus esset, misso ad Ducem Noallium, victoris exercitus summum Prætozem, nuntio non nisi J. Cæsaris Commentarios & istum Regis librum sibi peteret reddi.
276. Summus Campi Mareschallus Vaubanius triginta & tres primus communivit urbes, obsidionibus præfedit quinquaginta & tribus, centumque & quadraginta interfuit præliis.
314. Dionysius Dodartus, ut proprio disceret experimento, quantum per transpirationem in Medicorum decantatam scholis humano corpori cederet, A. 1677 initio solennis jejunii quadragesimalis 116 librarum uniusque uncia pondo semet deprehendit adæquare, cumque deinde non nisi leguminibus vesceretur & præter aquam & panem ad victum nihil adhiberet, sub ipsum Paschatos Festum ad libras 107 & 12 uncias se decrevisse intellexit, amissa intra dies quadraginta & sex decima quarta substantiæ suæ parte. Singularia ejusmodi plurima inserta sunt Celeberrimorum Virorum



rum Elogiis, quorum unicuique librorum, quos vulgarunt, Catalogus subjectus insuper comparet.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE  
des Sciences, Année M DCC VII.

hoc est,

*HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIEN-  
tiarum A. M DCCVII cum Commentariis Ma-  
thematicis & Physicis.*

Parisiis, apud Johannem Boudot, 1708, 4.

Alph. 4 plag. 7 & Tabb. æn. 13.

Prostat Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch.

**Q**Uæ circa lumen ex mutuo corporum in tenebris affric-  
tuum expertus est Cl. *Bernoullius*, sub initium Historiæ  
recensentur. Notavit vero, quod corporum se mutuo fri-  
cantium minimum alterutrum pellucidum esse debeat,  
ut lumen cum affrictu plerumque desinens per id vi-  
deri queat, quodque superficies utriusque plana & polita, ipsa  
vero corpora dura esse debeant. Ostendit imprimis, quæ de  
adamante in tenebris lucente tanquam singularia quondam pro-  
didit *Boyle*, non omni solum adamanti, sed aliis etiam corpori-  
bus quam plurimis convenire. Adduntur experimenta, quæ  
in eundem finem occasione *Bernoullianorum* instituit *Cassinus*  
junior, qui & alia nonnulla de operatione sclopetorum dedit,  
illis satis nota, quibus frequens illorum usus existit. Ceterum  
cum & ipse, & (uti novimus) ante ipsum alii experti fuerint,  
si plus pulveris pyrii supra globum, quam infra ipsum extet, eje-  
cti nullas esse vires; *Fontenellius* suspicatur, hoc artificio ad  
alios decipiendum abusos esse, qui arcanum contra sclopeto-  
rum ictum corpus muniendi comprobasse feruntur. Memo-  
ratu dignum judicamus, quod Musicus quidam, cum in febrim  
acutam atque delirium incidisset, inter Musicæ auditum ab utro-  
que malo liber extiterit, eaque per 10 dies ac noctes integras  
continuata sanitatem pristinam recuperaverit. Observata quo-  
que a non nemine per microscopia dicitur sanguinis in pede



aranæ circulatio, quam se videre non potuisse testatus est alias *Leeuwenhæk*. Aranearum varias species prolixè describit *Hornbergius*, & ex literis *Leibnitianis* ad illustrissimum *Bigonium*, datis commemoratur, d. 6 Martii A. 1707 inter horam septimam & decimam vespertinam *Berolini* & in locis urbi vicinis visum fuisse lumen quoddam Boreale, simile quodammodo ei, de quo *Gassendus* in *Vita Peirescii* differuit. Duo scilicet arcus luminosi in plaga septentrionali conspiciebantur, quorum alter altero magis elevabatur. Concavitates Horizonti obvertebantur, chordis eidem parallelis. Superior interruptus apparebat, per utrumque vero radii luminis pyrobolorum instar ascendebant rursusque disparebant.

In *Anatomicis Littre*, præter observationes de singulari, tum aortæ aneurysmate, tum hydrope peritonæi, glandulæ imprimis pituitariæ naturalem conformationem usumque exacte prius exponit, quam statum ejusdem præternaturalem in viro aliquo a se annotatum dilucidat. Glandulam videlicet, quam pituitariam vocant, quamque nonnullæ fibræ carneæ ac multi nervuli paris sexti & rami anterioris paris quinti, arteriolaræ retis mirabilis & venulæ stipant, e duplici substantia coagmentari, cinerea altera, altera rubicunda: cineream pauciolem & molliorem intra sellam ossis sphænoidei posterius hæerere in parva duræ meningis fossa, quæ non solum per aliquot foraminula cum dictæ meningis sinu, pone processus clinoides posteriores locato, communicet, sed & sub se sinum aliquem transversalem habeat, vesiculisque humore albo repletis constare; rubicundam vero copiosiolem & firmiorem reliquum sellæ occupare atque vesiculas multo minores subtilioremque & candidiorem humorem continentes recondere; vesiculas tamen utriusque substantiæ foraminulis multis in cavitatem intermediam communem hiare, per quorum minora aliquid a vesiculis rubicundæ portionis evacuetur, per majora vero aliquid a vesiculis cinereæ recipiatur. Lympham namque tenuem, in glandulosis vesiculis substantiæ rubicundæ secretam, & immediate, & mediate, mediante cavitate communi, ad vesiculas substantiæ cinereæ deferri; lympham vero cum aere in glandulis plexus choroidei sequestratam a ventriculis cerebri per infundibulum



in cavitatem communem ibidem infundi, ut cum lymphâ priori, partim hic, partim in vesiculis portionis cinereæ majoris attenuationis ergo commixta per venas & sinum transversalem & ovalem, superiori sellæ meningi insculptum, amandetur, sicque primum sanguis ille, cui glandula pituitaria immergitur, deinde etiam omnis, qui per duos sinus inferiores sellæ sphænoideæ refluit, floridior ac fluidior reddatur. *Dodartus* organa, vocis formationi dicata, pergit evolvere; dum *Mery* autem & *de la Hire* cataractæ a glaucomate differentiam observationibus edocere nituntur, prior pelliculam humoris aquei sive cataractam, si minus iridi adhærescat, per vulnus tunicæ corneæ inferius inflictum, commodius totam posse educi, quam via ordinaria tantum deprimi, reputat, eo quod humorem crystallinum, glaucomate affectum, nec humori vitreo amplius adnexum, per incisam corneam promte viderit extractum, vulnusque satis cito cum restitutione humoris aquei, qui simul effluerat, denuo consolidatum. Circa stupendum utriusque ovarii tumorem, a *Gandolpho*, Medico Massiliensi, in foemina 26 annorum observatum & explanatum, lymphatica maxime vasa adeo distendebantur, ut eorum nonnulla arteriis ampliora, lymphatica vero sinistri ovarii in duas glandulas, & dextri in quatuor, minus adhuc notas, desinentia apparerent.

In *Chymicis Lemery*, urinæ vaccæ usu interno in variis morbis chronicis per experientiam propriam comprobato, analysin ejusdem chymicam æque, ac aquæ mulsæ confectionem & resolutionem, suppeditat. In argillæ & olei lini, item in olei vitrioli & olei terebinthinæ miscela ignis interventu aliquid ferri de novo produci, *Godofredus* prolixè defendit, simulque principiorum in metallis & vegetabilibus convenientiam ostendit, etiamsi aliud ferrum, quam quod concretis dictis jamjam inexistat, sic erui neget *Lemery* filius. Qui ipse partim inter metalla ignobilia solum ferrum in spiritu nitri solutum, a certa olei tartari per deliquium quantitate effusa, circa vitrum superius in arbusculi formam excrescere annotat, partim vitrioli differentiam atramentique colorem nigrum a solis particulis martialibus resultare, dum acidum vitrioli a gallis similibusve con-



cretis terreis vel alcalibus sulphureis absorbetur, declarat. Vitrum auri, vitro caustico majore factum, terræ ejus atque sulphuri deberi, postquam mercurius avolavit, neutiquam vero cineri carbonis, supra quem talis vitrificatio instituitur, *Homburgius* eo magis tuetur, quo minus simile vitrum super argentum fiat eodem modo fufum. Cum oleum omne, quod essentialiale dicunt, in phlegma, sale volatili urinoso imprægnatum, atque multam terram resolvi, sicque notabilis ejusmodi oleorum discrepantia haud detegi queat, *Godofredus* junior idcirco cum salibus omnis generis & spiritu vini illa potius commiscens, in oleo destillato thymi & succini easdem colorum mutationes, diversas vero in oleo terebinthinæ, menthæ, lavendulæ, salviæ, juniperi &c. observat prioresque ad similes vegetabilium colores applicat.

In *Botanicis* fungos non minus, ac alias plantas, ex femine nasci, quod tamen sterco potissimum equinum loco matricis aptæ requirat, *Tournefort* ipsa eorundem cultura consueta reddit probabile. De succo plantarum nutritio *Reuealmus* varias suggerit observationes; quemadmodum *Marchant* rosam monstrosam describit. In Hispania nova plantam titulo *Chancelagua* circa Banamam uberius, quam alibi, provenire, quæ fere instar centaurii amara, in aqua calida infusa odorem aromaticum, cum balsami Peruviani odore quodammodo convenientem, de se spargat, cum eadem vero hausta pleuritidi, catarrho suffocativo, rheumatismo, febribus malignis, arthritidi, aliisque morbis, multa transpiratione sanguinisque depuratione curandis, specificè succurrat, ex literis *de Pas*, Medici Hispanici, refertur.

Ex iis, quæ de viribus centralibus prolixè hæctenus tradidit, *Varignonius* demonstrat, *Gallileanam* de gravium descensu hypothèsin cum altera de motu Telluris diurno minime concordare. Per illam enim vim gravitatis constantem esse debere; per hanc vero variabilem. Ex conditione tamen formulæ *Varignonianæ*, quæ pro variabili affertur, concludit, *Fonrenellius*, in iis altitudinibus, in quibus experientias sumere datum est, vim gravitatis pro constante citra errorem sensibilem



lem haberi posse. Methodum generalem determinandi naturam curvarum per curvæ cujuscunque super alia quacunque curva factam devolutionem genitarum proponit *Nicole*. Dumdum Pascalius invenit, si super plano quadrantis circuli eleventur omnes sinus in punctis suorum arcuum, inde formari superficiem cylindricam quadrato radii circuli æqualem. Num simile quid in sectionibus Conicis fieri queat, tentavit *de la Hire*, deditque superficies (quas vocat) cylindricas super basibus Parabolicis, Ellipticis & Hyperbolicis formatas perfecte quadrabiles: Sunt superficies corporum, quæ *Gregorius a S. Vincentio* unguilas vocavit, & res ex eis pendet, quæ de superficiebus solidorum rotatione Curvæ descriptorum jam habentur.

Multæ recensentur observationes Astronomicæ, quarum præcipuas hic in compendio commemorari operæ pretium judicamus. Notum est ab anno 1670 usque ad 1675 in satellite Jovis primo detectam esse quandam motus inæqualitatem ante non animadvertam. Subinde scilicet tardius ex umbra egrediebatur, quam calculus ferebat; interdum calculus cælo exacte respondebat. Circumstantiis phænomeni adductus *Ræmerus* causam in successivam luminis propagationem conjecit, cum unanimi fere Mathematicorum & Physicorum applausu. Enimvero *Maraldi* ex multis tam *Cassinianis*, quam propriis observationibus evincere conatur, hypothesein istam esse quibusdam phænomenis adversam. Ostendit enim, quod, si successiva luminis propagatio sit inæqualitatis memoratæ causa, eadem in reliquis quoque Satellitibus locum habere debeat: id quod tamen experientiæ repugnat. Præterea urget, quod stante hypothese *Ræmeri*, eclipses primi Satellitis a Perihelio usque ad Aphelium Solis retardari & ab Aphelio usque ad Perihelium ipsius accelerari debeant, atque respectu Eclipsium prope Perihelium observatarum ceteræ circa Aphelium notatæ inæqualitate laborare debeant, quæ sit inæqualitatis a configuratione Jovis cum Sole pendentis subquadrupla: quod tamen denuo experientiæ minime convenit. In obscuratione totali Lunæ, quæ die 17 Aprilis A. 1707 contigit, Luna constanter apparuit rubicunda, & circa centrum umbræ terrestri maculam nigram



advertit *de la Hire*, quæ nec figuram, nec locum mutavit. Qui juxta Tabulas *Rudolphinas* & *Labirianas* in Sole apparere debebat d. 5 Maji ejusdem anni Mercurius expectationem Astro-  
nomorum deludit, ita ut *de la Hire* filius miretur, computum juxta Tabulas parentis institutum fefellisse, cum loca Mercurii ante & post diem prædictum ex iisdem computata cum observatis optime convenerint. Suspiciatur vero computum *Halleji* in his Actis A. 1693 p. 64 exhibitum fuisse exactum. *Maraldi* & *Cassini* notabiles in Satellitibus Jovis maculas deprehenderunt. Scilicet d. 26 Martii 1707 per telescopium 34 pedum h. 6 vespertina 50 visa est macula in disco Jovis, quæ motu æquabili & sine magnitudinis apparentis mutatione discum Jovis peragrabat, vix autem disparuerat, cum ad ipsum illum limbum, ubi macula egrediebatur, quartus Satelles appareret, qui per Tabulas discum Jovis trajecerat. Concludit ergo *Maraldi* ex his & aliis a motu quatuor Satellitum atque Jovis desumptis circumstantiis maculam in Satellite hæsisse. Similem maculam in disco Jovis per telescopium 17 pedum detexit, cum d. 4 Aprilis Satelles tertius eundem trajiceret. Ejusdem Satellitis ingressum in discum Jovis & egressum ex eodem d. 11 Aprilis observavit, sed nihil in Jovis facie maculosi per omne tempus, quo in eo hæsit, detegere potuit. Monet interdum Satellites in limbo Jovis tum sub ingressum, tum sub egressum facularum instar apparere, & *Cassinum* diversis temporibus aliis in omnibus 4 Satellitibus per discum Jovis trajicientibus simile phænomenon vidisse. Ceterum maculis Satellitum tribuendum judicat, quod magnitudo eorundem apparens variet, ubi tamen nulla variationis causa in distantiam a Sole, vel a Jove, vel a Tellure conjici queat: quodque umbra Satellitis quarti circa Quadraturas Jovis cum Sole interdum major ipso Satellite in disco Jovis appareat. Similem magnitudinis variationem in fixis subinde notari, & Satellites Jovis imminui, dum in umbram ejus ingrediuntur, autor est. Edidit hoc anno idiomate patrio *Villemot*, Theologiæ Doctor & Pastor in Suburbiis Lugdunensibus, libellum sub titulo *Novi Systematis Mundi, seu explicationis novæ motus Planetarum*, qui maxime ingeniosus prædicatur.



tur. Inter alia legem *Keplerianam* de motu Planetarum a priori demonstrare satagit. *Bornie* ut ostendat, principalia Auctoris theoremata esse corollaria theoriæ virium centralium satis cognitæ, quædam de viribus centralibus commentatur. D. 28 Nov. 1707 *Cassini* atque *Maraldi* Cometam observarunt in Capricorno atque Antinoo. Nudis oculis instar stellæ secundæ magnitudinis apparebat; per telescopium vero 12 pedum satis clara, sed male terminata & nebula cincta conspiciebatur, absque cauda tamen & coma. Motu a meridie versus Septentrionem ferebatur.

Suas de Systemate Musico meditationes in Actis A. 1706 p. 270 & 271 indicatas continuat *Sauveur*. Omnia circa theoriam projectionis hæctenus inventa simplicius demonstrat *Guisnée*, quam a *Blondello* aliisque factum. De proportione crassitie tuborum plumbeorum & cupreorum, per quos aqua deduci solet, ad pondus hujus proportione primus egit *Ræmerus* in peculiari opusculo, quod inter Opera Mathematica & Physica Academiae Regiæ Scientiarum in Actis A. 1695 p. 126 & seqq. commendata extat, ipsumque secutus est *Mariotte* in suo de motu aquarum Tractatu. Ast insignes hosce Viros a vero aberrasse contendit *Parent*, & idcirco ex alio fundamento aliam regulam elicere conatur. De motu variato, hoc est, quomodocunque vel accelerato, vel retardato, more suo præclara dedit *Varignonius*, prolixiora tamen, quam quæ huc commode transcribi possint. Reducit autem cum *Gallileo* investigationem spatiorum dato tempore celeritate juxta rationem datam variata descriptorum ad Quadraturas Curvarum, atque adeo hac occasione exemplis nonnullis reductionem formularum non summabilium ad summabiles illustrat. Quoniam vero a resistentia medii abstrahit, quam tamen in praxi negligere non licet, ne nimis a vero aberremus, ideo quoque in peculiari schediasmate post *Leibnitium*, *Newtonum*, *Hugenium* & *Wallisium* hanc materiam prolixè pertractat, tradens regulam generalem, unde non modo ea, quæ a Geometris laudatis proposita sunt, sed & alia ipsis nondum considerata deducit. *Chevalier* rationem reddere studet phænomenorum circa cuniculos subter-



raneos longa experientia *Dn. de Vauban* animadverforum & cum ipso ab eodem communicatorum, atque ex theoria tradita cautelas pro eorundem constructione deducit. In actionem itaque pulveris pyrii inquit, quam ab elatere aeris inclusi petit & ad calculum revocat, supponens, elaterem aeris per calorem aquæ ebullientis parte sui tertia augeri, per ipsam autem ignis actionem in ratione centupla intendi. Phænomena autem, quorum solutionem ex his principiis molitur, sequentia sunt: 1 effectus cuniculorum semper edi versus partem debiliorem, seu minus resistentem, ut adeo minime pendeat a cellæ subterraneæ dispositione, quemadmodum falso sibi persuadeant eorundem fossiores: 2 quantitatem pulveris pyrii proportionandam esse ponderi excutiendo, destinari autem debere uni pedi cubico terræ congestiæ 9 aut 10, terræ solidæ vel arenæ 11 aut 12, argillæ 15 aut 16, muri recens structi 15 aut 20, muri veteris 25 aut 30 libras: 3 terra a pulvere pyrio incenso ejecta, aperturam cuniculorum esse conum, cujus basis diameter est dupla altitudinis a centro illorum sumptæ, siquidem onus excutiendum quantitati pulveris pyrii proportionatum fuerit; alias enim 4 cella subterranea, in qua pulvis condebatur, haud majorem fore: 5 pulverem incensum non modo excutere onus impositum, sed & disjicere, quæ ad latera posita sunt, tanto quidem magis, quo minus resistunt. Hinc solvit problema Pyrotechnicum de determinanda quantitate pulveris pyrii cuniculo immittendi in dato quolibet casu, ut præstantissimum edat effectum. Scilicet cum detur altitudo oneris excutiendi, per principia Stereometrica invenitur soliditas Coni, cujus basis istius dupla existit: quæ multiplicata per numerum librarum uni pedi cubico respondentem, producit quantitatem pulveris pyrii desideratam. Tandem quæ in Actis A. 1707 p. 494 coram Societate Regia Londinensi A. 1663 & 1664 instituta commemoravimus experimenta circa vires ad frangendum ligna requisitas; eadem iterata a *Parentio* in Commentariis leguntur.

Funestus extitit Academiae Regiæ Scientiarum Annus 1707: quatuor enim amisit Socios rebus mortalibus exemptos, nempe d. 11 Januarii *Petrum Silvanum Regis*, d. 30 Martii Ma-



reschallum *de Vauban*, d. 19 Aprilis *Johannem Gallois*, Abbatem, & d. 5 Novembris *Dionysium Dodart*. Primus ex nobili familia oriundus lucem adspexit anno 1632 & præceptore usus *Robaultio* acerrimus Philosophiæ *Cartesiana* defensor extitit. Maximam id ipsi famam apud conterraneos suos peperit: mox vero etiam apud externos inclaruit, cum systema suum Philosophiæ *Cartesiana* (de quo dictum est in Actis A. 1692 p. 135, 179) ederet. A. 1691 approbante *Belio* defendit *Cartesium* contra *Huetium*, & 1704 opus de usu rationis & fidei, seu concordia rationis & fidei in 4 sermone patrio edidit. A. 1699 in Academiam Scientiarum receptus est. Famam Philosophia dedit, opes negavit. Ex nobili quoque stirpe d. 1 Maji A. 1633 ortus est *de Vauban*, cujus præclare gesta & inventa in arte muniendi notiora sunt, quam ut hic commemorari debeant. Post pacem *Rysvicensem* consiliis politicis de salutis publicæ incremento excogitandis vacavit & XII volumina iisdem replevit, quæ sub *Oriorum* titulo MS. latent. Dubio procul ex illorum numero est, quod Anno superiore p. 234 recensuimus; unde colligere datur, quam egregia in illis opusculis contineantur. A. 1704 Regi obtulisse dicitur ingens MSC. secreta praxeos offensivæ revelans, quam artis militaris partem unus omnium optime explicare poterat. *Gallois* d. 14 Junii 1632 Parisiis natus, Patre *Ambrosio Gallois*, Parliamenti Advocato. A. 1665 Diarium Eruditorum primus conscribere coepit. A. 1668 *Colbertus* ipsi locum in Academia Scientiarum immo A. 1673 in mensa & curru suo concessit, quo anno & in Academiam Gallicam receptus est. Mortuo deinde anno 1683 *Colberto*, Bibliothecarius Regius factus est, missa Abbatia non satis pingui; sed cum & hoc munere excideret, Professionem Græcam in Collegio Regio obtinuit cum stipendio extraordinario. A. 1699 vices Geometriæ in Academia Scientiarum implere coepit: sed nimio antiquitatis amore ductus novam infinitorum Analysis impugnavit, cujus tamen usum prorsus admirandum ex tot egregiis Geometrarum recentiorum inventis satis perspicere poterat. Librorum helluo ultra 12000 volumina congeffit. *Dodartus* denique anno 1634 in lucem editus est in ipsa Parisiorum urbe. A Patre, utut illiterato, studiis addictus A. 1660 Licentiatus Medi-



cinæ factus & 1673 in Academiam Scientiarum admissus est. Praxi Medica excelluit, unde & Regi atque Principibus charus extitit. Historiæ plantarum imprimis incubuit & *Sanctorii* de transpiratione insensibili experimenta repetiit, experientia imprimis 33 annorum doctus in juventute transpirationem esse vehementiorem, quam ætate jam provecta. De singulari vero experimento, quod tempore jejunii quadragesimalis A. 1677 fecit, jam supra p. 160 a nobis dictum est.

CURIOSITEZ DE LA NATURE ET DE  
L'Art sur la Vegetation.

h. e.

*CURIOSITATES NATURÆ ET ARTIS DE  
Vegetatione, seu Agricultura & Horticultura perfecta;  
Autore Abbate DE VALLEMONT.*

Parisiis, apud Claudium Cellier, & Bruxellis, apud Joannem  
Leonardum, 1708, 8.

Alph. 1 plag. 9.

**E**Ncomio vitæ rusticæ absoluto, ad Anatomiam Plantarum exponendam progreditur Autor, in compendio proponens, quicquid *Malpighius*, *Grew*, *Leeuwenhœk*, *Hooke*, *Rayus* & *Redi* de hoc argumento invenerunt. Theoriarum explicatarum usum in agricultura & horticultura hinc inde monstrat. Sic cum in truncis arborum inæqualitatem circulorum (quos annos appellare solent) considerasset, eorundemque in ligno Hebeno, quod ex zona torrida ad nos defertur, æqualitate inductus causam in inæqualitatem caloris ventorum ex diversis plagis spirantium conjecisset; ne circulatio succi nutritii turbetur, arbores ea lege transplantari jubet, ut singulæ partes versus eadem plagas dirigantur, quas ante transplantationem respiciebant. Similiter ubi mirabilia succi nutritii ejusque circulationem exposuit, de eo ex arboribus per terebrationem, ex plantis per punctiorem in usus vitæ humanæ ab ipso annotatos colligendo ex Transactionibus Anglicanis accurate commentatur.

Agit



Agit etiam de inverfa arborum plantatione a *Leeuwenbaekio* & aliis cum fuccu in tiliis tentata, ad fucci nutritii circulationem confirmandam. Generali huic de plantis tractationi Specialiorem de frumento, floribus, arboribus earundemque fructibus subnectit, ex qua ingentia in genus humanum emolumenta redundarent, si fatis comperta haberentur. Proponit certe varias methodos frumenti proventum ad miraculum usque multiplicandi, quas & rationi & experientiae conformes esse contendit. Totum artificium in eo consistit, ut liquor semini, antequam terrae committatur, macerando inserviens paretur. Ex multis methodis eam commemorabimus, quam Autor praestantissimam judicat. 1 Colligantur ossa animalium, pennae, pelles, coria, ciborum reliquiae, chirothecae usu detritae, calcei, cornua & ungulae bestiarum, & quaecunque salibus abundant. Separatim asserventur, quae mollia sunt; separatim minus mollia; separatim denique dura. Singulis, ubi sufficiens adfuerit copia, aqua pluvialis aut (si ea defecerit) ex flumine apportata affundatur. Quinto die a mollibus, septimo a minus mollibus ante infusionem concisis, nono autem a duris utcunque confractis aqua separetur ac foetore insuper habito sollicitè custodiatur. Hanc Autor *aquam preparatam* vocat. 2 Plantae omnis generis cum floribus ac seminibus comburantur & ex cineribus per evaporationem salia extrahantur. 3 Singulae librae salis petrae singulis jugeribus destinatae in 12 sextariis aquae (qualis in area subdiali confluere solet) dissolvantur, ipsique dissoluto pauculum salis ex plantis extracti injiciatur. Hunc liquorem Autor *materiam universalem* appellat, quia nitrum pro vero spiritu universali mundi elementaris habet. 4 Dodecim sextarii aquae praeparatae cum totidem sextariis materiae universalis commisceantur, quantumque uni jugeri sufficit semen lente immittatur, ut grana innatantia utpote ad vegetationem inutilia eximi queant. Liquor vero super semine duobus digitis extare debet: quare interdum opus est, ut aquae in area subdiali confluentis sufficiens copia affundatur, quae si defuerit, similis parabitur, si aquae communi fimus equinus immergatur. Ceterum binis quibusque horis elapsis vertenda sunt semina:



elapsis vero 12 aut subinde pluribus, ubi valide intumescant, rursus eximenda, sacco immittenda & exiguo horarum intervallo post tandem terræ committenda. Opus vero esse monet nonnisi subtriplo feminis alias requisiti, & liquorem residuum ad aliud semen foecundandum adhiberi posse. Eundem liquorem arboribus ac floribus, immo non multo absimilem ipsis animantibus applicari suadet, experimento in equo facto. Quemadmodum vero commoda hinc enatura recenset, ita non minus portenta providentiæ divinæ in ordinaria plantarum multiplicatione obvía prædicat. Salis petræ in animalium & plantarum foecundatione usum insignem multis commendat, & ope liquoris nitrosi *Albertum M.* effecisse arbitratur, ut plantæ in media hieme germinarent & fructus proferrent. Novam quoque methodum tradit arbores propagandi. Scilicet tubo vitreo aqua impleto furculum immisit, radiis solaribus exposuit, sæpiusque per diem, ubi aqua incaluerat, recentem infudit, donec tandem radices ageret. Prima radicula cum appareret, aquæ pauculum terræ admiscuit, instar limi isti adhærentis. Sicque intra paucas hebdomades arborem novam terræ committere potuit. Primus hoc experimentum fecit *Lignon* anno 1703. Commodam vero hanc occasionem nactus Autor observationes *Ghiarefchi* de vegetabilibus absque terræ adminiculo producendis ex Actis nostris A. 1688 p. 483 & seqq. commemorat. Varia exponit secreta florum, plantarum & fructuum molem augendi, maximam partem ex *Verulamii* scriptis & *Ferrarii* Flora desumpta, atque propria experientia edoctus notat, si plantæ cucumerum paucis a germinatione diebus refecentur, & caulis reliquæ terra cooperiantur; plantam proximo demum vere rursus apparere ac efflorescere. Addit, si semina aqua mellita, aut saccherata, vel etiam lacte macerentur, grati fructus fore saporis; aut flores extraordinariam acquirere magnitudinem, si lixivium ex cineribus similium plantarum præparatum radicibus frequenter adspargatur. Carpit adeo morem agricolarum cineres quarumlibet plantarum promiscue per agros spargentes, cum probe explorandum esse censeat, utrum salia plantarum semini agris committendo convenient, nec ne. Nobis quidem constat, quod



quod brachia e quercu avulsa & in agro sterili combusta tantam eidem fertilitatem conciliarint, ut fertilissimis præferendus judicaretur. Reperies præterea in hoc opere perquam curioso methodum flores insuetis coloribus tingendi gratisque odoribus instruendi. Reperies calendarium hortense, lusus naturæ extraordinarios in vegetatione plantarum & duplicem methodum arborem *Dianæ*, quæ vegetatio metallica est, Chymicis nota, producendi. Nullum itaque superesse potest dubium, quin rubro respondeat nigrum. Id modo superesse arbitramur, ut rerum naturalium scrutatores experimenta ista examini subjiciant & quem experti fuerint successum, cum publico communicent. Ceterum notamus hunc Vallemontii librum Parisiis primum A. 1705 prodiisse, dignumque visum fuisse Viro doctissimo, Ferdinando Ludovico de Bresler, gravissimo apud Ura-tislavienses Senatori, quem in Germanicum idioma translatum, nulla quidem nominis sui mentione facta, nuper sub titulo: *Des Herrn Abts von Vallemont Merckwürdigkeiten der Natur und der Kunst in Zeugung / Fortpflanzung und Vermehrung der Gewächse / Uratisl. 1708, 4* ederet. Quæ versio non uno nomine commendanda, quandoquidem & typi figurarumque elegantia præstat, quibus præter eas, quæ in editione prima Gallica occurrunt, pulchræ delineationes horti splendidissimi Krichensis Silesiaci, quem Illustriss. Comes de Neidhard multo sumptu adornavit, accessere, & addita est sub finem versio libelli Gallici utilissimi, qui sub tit. *L' Art ou la Maniere particuliere & seure de tailler les arbres fruitiers*, Amst. 1697 in lucem prodiit.

G. F. M. **DES UNTERIRDISCHEN**  
Sachsens seltsamer Wunder der Natur  
Erster Theil.

i. e.

**GOTTLIEB FRIDERICI MYLII MEMORABILIAM**  
*Saxonie Subterraneæ Pars I.*

Lipsiæ, apud Fridericum Groschuff, 1709, 4.

Plag. 14 figur. Tabb. 13.

Y 3

Quæ



**Q**uæ in visceribus Angliæ, Helvetiæ ac territorii Norimbergensis diu latuerunt, solerti demum opera *Luidii, Scheuchzeri, Langii & Beieri* nostris in Actis leguntur feliciter eruta. Cum vero & Saxonia nostra talibus abundet, constituit Autor doctissimus, ea imprimis Saxonix Subterranea, quæ omnibus haud perspecta habentur, quorumque non minus atque exoticorum similium insignem copiam curiose adhuc collegit, cum publico communicare. Et quemadmodum pro Lapidum pictorum, Lapidum figuratorum, ac Terrarum, Salium, Bituminum & Mineralium diversitate omnem laborem tribus absolute partibus præsumit, ita *primam* harum, pictis lapidibus consecratum, ex *Relationibus X* coagmentatam nitidisque figuris exornatam, prodromi vice nunc sistit. In *I & II Relatione*, ubi ærifodinarum Islebiensium ortum, progressum & statum præsentem, nec non quadraginta novem stratorum genera, in nonnullis earundem ante lapidem ærosam fissilem reperiunda, designavit, tres ejusmodi lapides, figura certorum piscium, cum squammis, vel elevatis, vel coloratis, eleganter notatos, quantumque spicas ostendentem, in medium affert. Horum vero ultimo delineationem similis lapidis, piscem itidem repræsentantis, ex *Rumphii Museo*, A. 1706 sub principium mensis Februarii a nobis recensito, haud alio fine præmittit, quam ut mirandas ejusmodi lapidum figuras mero naturæ lusui eo minus deberi patefeat, quo magis tales non solum in Saxonia, sed & in Hassia, Hercynia, ipsaque Amboina reperiantur. Num pisces tamen, colore rubicundo impressi lapidi calcario albo, qui in Marchia media non procul a Rupino effoditur, piscium ipsorum, ab exsiccatione stagni relictorum, veræ, uti fama vulgi celebrantur, existant reliquix, in medio relinquit, utpote iis hætenus destitutus. In *Relatione III* alium lapidem fissilem, qui in quibusdam metallifodinis Mannebacensibus, a Dn. *Friederico Heyne* A. 1691 detectis & in schemate adjecto adumbratis, occurrit, tam in se, quam ratione figurarum inhærentium, considerat. In se namque lapidem istum, quia ventis & tempestatibus resolvitur, pro arenosa reputat terra, tanto magis tractu temporis petrificata, quanto nigrius aliquando appareat,



argenti, vitrioli, sulphuris, auri &c. haud experte. Quoad picturas autem, quibus dictus lapis superbit, quamvis figuræ herbarum omnium frequentissimæ cernantur, earumque plura quam triginta genera numerentur, subinde ita impressa, ut herbae in lapidis fissi parte altera præmineant, in altera vero instar moduli excaventur, Noster nihilominus, præter regionem, in ejusmodi lapide præclare obviam, non nisi undecim herbas, Fumariam videlicet, Capillum Veneris, Equisetum duplex majus, Arundinem, Filicem, Polygonum fœm. Filicem ramosam, Buxum, Securidacam maj. Equisetum minus atque fructum peregrinum exprimi curavit. De successu vero infelici conqueritur experimenti sæpius a se instituti, quo a laudato fodinarum inventore ipsæ herbarum figuræ in aceti superficie regerminare perhibentur, si lapidi ejusmodi calcinato & pulverisato acetum destillatum affundatur vitrumque immotum aliquamdiu relinquatur. Hinc in *Relatione IV* paucos lapides, qui conchis signantur, & ab iisdem fodinis Mannebacensibus æque ac ab Hungaria suppeditantur, plures autem herbis ornatos & in Anglia, Silesia inferiore, Hungaria & Comitatu Stolbergensi repositos, ita addit, ut Ophiten quoque sive Alabastrum nostrum Zeblicium sub finem describat. In *Relatione V* ad lapides, dimidio trans Cygneam milliari ad montem occurrentes, progressum facit, qui species margæ diversimode induratæ videantur, ac intra se alios lapides recondant, amygdalarum, fabarum & pisorum figuram habentes, aptosque a vaporibus subterraneis rursus consumi. Tum in *Relatione VII* legere est, quanta opera fodinæ Ilmenavienses etiamnum colantur, & quam curiose picti lapides eruantur, quorum alii effigiem, e. g. Servatoris nostri, S. Mariæ filiolum ulnis gestantis, Gallinæ, arcæ Noachi, Mosis, corporis cruci affixi, spicæque gerentes, saltem nominantur, alii vero cum impressione v. g. piscium ac arborum, & harum, vel ex cupro, vel maximam partem sine cupro, pictarum pictorumque, operi miniato haud cedentium, una delineantur, non omissis lapidibus similibus, qui circa Jenam & in fodinis pariter Bottendorffiensibus atque Sangerhusanis, alibive deprehenduntur. Lapis enim calcarius albus circa Swinfur-

tum,



tum, aliusque marmoreus albus non procul ab Alba Sebusiana (Kronweissenburg) enati monstrantur, a reliquis in eo recedentes magisque cum marmore Florentino congruentes, quod arbusculum depictum in sola superficie haud hæreat, sed per totam eorum crassitiem penetrèt; quorum ultimus potissimum miraculosus naturæ lusus umbræ intuitu, simul repræsentatæ, censetur. Neque Dentridæ sive lapides, in quibus arbores depinguntur, circa Sulam desunt, in *Relatione VIII* cum aliis confinibus fossilibus & lapidibus figuratis commemorati: tum Conchitæ & Strombitæ, prope Querfurtum reperiundi, in *Relatione IX* indigitantur & delineantur. Tandem *Relatio X* Conchiten Anglicum, lapidem gallinæ imagine notatum atque ex fodinis Ilmenaviensibus in Ducali Pinacotheca Weimariensi asservatum, lapidem alium fissum, utrinque capite virili cum prolixo capillamento condecoratum, duoque succini frustra, interius fruticem ac hominem nubibus incumbentem repræsentantia, exhibet spectanda, in vario Saxonæ Alabastro & Marmore finiens.

De cetero ex tot elegantissimis Figuris, quibus præsens ornatur scriptum, duos insequentes, ac in *Relatione III* prostantes, Lectoris in gratiam transcribi curavimus, quarum

TAB. VI.

Fig. 1.

Figura 1 Lapidem fissilem ostendit, in ea fodina Mannebacensi repertum, cui S. Andreæ nomen, atque Regione insignitum.

- a superficiem designat, quæ margaritarum colorem æmulatur,
- b montium partem supremam lucidam, infimam vero obscure fuscam,
- c frutices coloris nigri,
- d loca obscure penitus fusca, nec adeo distincta.

Fig. 2.

Figura 2 similem exprimit lapidem fructu peregrino, satis tamen ei minimo ac perquam venenato affini, quem arbor Ahovai in India ferre solet.






Fig. 2.



Fig. 1.




Fig. 3 M




Fig. 4.







DE ARTHRITIDE ANOMALA SIVE INTERNA  
 Dissertatio; Auctore *GUILIELMO MUSGRAVE*,  
 Med. Doct. Incl. Med. Londinensium Collegii & Regia Societatis Socio.

Exoniæ, sumptibus Philippi Bishop, 1707, 8.

Constat Alphab. i  $\frac{1}{2}$ .

**Q**UÆ differentia sit juxta Clarissimi Musgravii sententiam inter Arthritidem primigeniam & symptomaticam, abunde explicatum dedimus, cum in Actis nostris Anno 1704 Mense Junio pag. 250 ejus Dissertationem de Arthritide Symptomatica recenseremus. In eo tamen convenit utraque Arthritis, quod paroxysmos producat artus infestantes, idoneos idcirco, rectos & regulares nuncupandos. Quoniam vero alios adhuc insultus facit utraque, & interdum trunci partes has illasve petit, sedes & regiones intrat alienas, easque mulctat sæpe gravissime; hos errores, has obliquitates & anomalias hoc in tractatu exponere sustinuit Vir clarissimus. Anomalia hæc ita numero multiplex est, ut raro ullam in trunco regionem ea prorsus immunem, nullam fere, quam non aliquando ingrediatur, animo liceat comprehendere: ut trunco quot partes sint organicæ, tot prope modum Arthriticæ sint earum anomalix. Imo tam diversæ a se sunt hæc, ut, malorum quotquot undique corpus humanum infestent, eorum omnium vix ullum magis aut æque πολύτερον καὶ πολύμορφον observare liceat. Hinc ventriculo nausea, intestinis tormina, renibus nephritis, pectori asthma, pulmōni tussis, faucibus angina, cerebro apoplexia, nervis paralyfis &c. accedit. Præterea Arthritis anomala morbus non immerito lethalis habetur, uti recta salutaris, raro enim hæc ægrum interimit, nisi anomala prius facta. Quapropter quos in trunco ad-  
 eat locos Arthritis, quibus in corporibus, quæ quærat diverti-  
 eula, quæ latibula, quos generatim, quos speciatim mæandros,  
 anfractus, & obliquitates amet, quibus de causis eas incipiat,  
 qua velocitate percurrat, quo eventu terminet; quodnam item



anomalæ cujuslibet *αιδο*, quæ accidentia, qualis a morbo partibus affectæ proprio differentia sit, qua demum arte, præcipue quam peculiari & privata quælibet oppugnari & præcaveri debeat, ingenue tradit. Causarum Arthritidem anomalam inducentium aliæ internæ sunt & procatarticae, ubique locum obtinentes, aliæ externæ, frequentes quidem minime, tamen constantes & perpetuæ: ad illas partim refertur ipsum miasma arthriticum vel in sanguinis sinu inclusum, vel ad corporis extremitates amandatum, quod tamen percussu proclive est, & intrunci organicam partem aliquam facile repellitur; partim ipsarum partium imbecillitas & atonia major vel minor, naturalis vel acquisita. Inter externas accusantur emplastra, cataplasmata *δυσκοιμισια*, frigus & quicquid materiam vel a *τοις* *εξωθεν* repellens vel iis affigi prohibens ad interiora illam intrudit. Medendi indicatio generalis est, ut Arthritide anomala affecta pars quam citissime, quam tutissime levetur, quod fit materiam in ea depositam partim e corpore evocando, partim in artus transferendo. Prius fit modo venæ sectione, modo catharsi, modo diaphoresi, modo epispasticis, modo apophlegmatismis, modo errhinis, prout pars affecta unaquæque tulerit. Solis tamen his evocantibus non fidendum est, quin vel inde lædatur, vel non sanetur æger. Lædi enim potest, quoties perperam & imprudenter electa vel incaute & supra modum ea fuerint adhibita. Non autem sanatur æger, quia materia arthritica in corpore adhuc residua, tametsi evacuantibus retusa, quando jam maturata & ad *ακμην* evecta est, brevi se attollet, iterumque turgendo cristas eriget, neque nisi propriis excerniculis (puta glandulis articularibus) ejus fiat excretio, vel minimum ad artus oppositio, sanguini quies erit. Præmissis igitur debite evacuantibus materia in artus est transferenda. Quod tam interna quam externa præstant: inter illa diaphoretica & cardiaca cum martialibus, inter hæc emplastra epispastica, urticatio, balnea calidissima, pelles animalium recens detractæ, phænigmi &c. laudantur. Quoniam autem ferro ad extrudendam Arthritida nihil potentius invenit Clariss. Musgravius, præparatum ejus multorum annorum usu a se expertum fideliter com-



manicat. Scilicet Recipe Limaturæ ferri ℥ X. in sartagine  
 vel patella terrea vitro obducta urina madefac humana, æstivo  
 Sole vel ad ignem sicca, iterumque (spatula ferri particulas, ne  
 coalescant, bis in die agitando) irrorata, donec abeat in rubigi-  
 nem massa. Hanc in mortario ferreo contunde, dein situlæ  
 quatuor circiter congios aquæ fontanæ continenti injice, &  
 misce. Horæ post quadrantem aquam decanta, & ad siccita-  
 tem pulveris in ea natantis evapora. Quod in situla relictum  
 est humoris, similiter evapora. Pulverem in fundo crassiorem  
 urina irrorata, &c. uti prius, donec omne ferrum in pollinem  
 fuerit mutatum. Pulveres siccatos filtro chartaceo injice, &  
 aquam fontanam ferventem paulatim & per vices affunde, do-  
 nec urinoso sale penitus abluto aqua insipida profluat. Pul-  
 verem exsiccatum usui asserva. His in genere prælibatis sin-  
 gulas aggreditur Arthritidis anomalæ species, & de ventriculi  
 affectibus, colica, diarrhœa, dysenteria, abscessu intestinorum,  
 melancholia, syncope, calculo renum, asthmate, catarrho, tussi,  
 peripnevmonia, phthisi, angina, cephalalgia, vertigine, apople-  
 xia, doloribus vagis & fixis, paralyti, ophthalmia, erysipelate,  
 achoribus, epiphora, & odontalgia arthriticis peculiaribus agit  
 in capitibus, pluresque adnectit ubique historias.

*FERDINANDI ERNESTI, COMITIS AB  
 HERBERSTEIN, Problema Trigonometricum  
 ex dato Sinu Anguli simpli absque ullius quantitatis in-  
 cognita suppositione tam sinum quam tangentem  
 Anguli multipli determinare.*

**V**isis iis, quæ Clarissimi Geometræ Wolffius & de Logny  
 in his Actis Anno 1707 mense Julio circa investigationem  
 Sinus & Tangentis Anguli multipli ex datis sinu & tangente  
 anguli simpli cum Eruditis communicarunt, tentare libuit, pos-  
 sitne absque quantitatis incognitæ suppositione ex sinu anguli  
 simpli tam sinus quam tangens anguli multipli determinari?  
 Atque ut hoc ipsum præstetur, prænotandum esse deprehendi.



TAB. VI.

Fig. 3.

Datis, sinu MN alterutrius angulorum ABC.  $BAC = s$ , sinu BD summæ angulum rectum non adæquantis eorundem angulorum  $= a$ . atque adeo etiam CD sinu anguli complementi ejusdem summæ  $= b$ . posito Radio BC  $= AM = r$ . sinum alterius anguli æquari  $= bc + a\sqrt{r^2 - c^2}$ ,  $: r$ ; est enim

$$MN : AN = BD : AD$$

$$c : \sqrt{r^2 - c^2} = a : a\sqrt{r^2 - c^2} : c$$

est igitur:  $AC = bc + a\sqrt{r^2 - c^2}$ ,  $: r$

quare:

$$BC : MN = AC : \text{Sin. ABC.}$$

$$r : c = bc + a\sqrt{r^2 - c^2} : c, : bc + a\sqrt{r^2 - c^2}, : r.$$

Fig. 4.

Sit nunc Radius RF  $= RO = RI = r$ . OL sinus anguli simpli ORL  $= d$ . RL sinus anguli complementi & simul sinus summæ angulorum ORG. OGR  $= f$ . erit igitur per jam demonstrata RQ sinus anguli OGR seu RIQ  $= f^2 - d^2$ ,  $: r$  atque adeo:

$$RO : RL + OL = RL - OL : RQ.$$

habetur proinde IQ sinus anguli dupli  $= \sqrt{r^4 + 2d^2 f^2 - d^4 - f^4} : r^2$  atque hoc invento, tangens ejusdem anguli dupli, si fiat:

$$\frac{RQ}{r} : \frac{IQ}{r^2} = \frac{RF}{r} : \frac{FE}{f^2 - d^2}$$

$$\frac{f^2 - d^2}{r} : \frac{\sqrt{r^4 + 2d^2 f^2 - d^4 - f^4}}{r^2} = r : \sqrt{r^4 + 2d^2 f^2 - d^4 - f^4}$$

## GUTACHTEN UBER DIE IN Schlesien betende Kinder.

i. e.

CASPARIS NEUMANNI JUDICIUM DE  
*pueris in Silesia publice precantibus deuo  
confirmatum, &c.*

Uratlaviae, apud Christianum Bauch, 1709, 4.

Plag. 8.

**D**E pueris Silesiis, qui exeunte anno 1707 & sequente in urbibus æque ac pagis præter communem morem in precationes publicas se effundere cœperunt, religione muneris & con-



conscientia motus, sententiam pro concione, salvo tamen aliorum judicio, dixerat Caspar Neumannus, Theologus de coetu Dei optime meritus, & Ecclesiarum Scholarumque Uratislaviensium, emendatis sacris addictarum, Inspector gravissimus, eamque publicis typis exscriptam divulgaverat, cujus summam Actis nostris superioris anni mense Majo inseruimus. Interea temporis inventus fuit aliquis, qui hoc consilium suppresso nomine arrodere, & virgula censoria notare ausus fuit, edito scilicet Scrutinio Judicii Neumanniani, in quo rationem precationum istarum, quantum ad ipsum factum, diverso prorsus modo exhibet, & præterea ex Judicio, a venerando Viro de illis publicato, alienum plane & saniori nostratium Theologorum doctrinæ adversum sensum elicere conatur. Huic ergo Anonymo præsentis scripto occurritur, quod undeviginti Quæstionibus constat, in quibus intempestivum censoris studium omnibus ob oculos ponitur. Præfatio vero huic scripto præmissa continet totam fere controversiæ historiam, unde operæ pretium nos facturos existimamus, si potiora ex ea delibemus, & cum avido harum rerum Lectore communicemus.

Autor Præfationis initio repetit breviter sententiam de universo hoc negotio, a Celeberrimo Dn. Neumanno in Judicio a se edito propositam, quæ eo redit: Divinum Numen, quod per hæc tempora quidpiam prorsus peculiare de Silesia constituerit, pro sanctissimo suo consilio, haud dubie ut incolas hujus regionis speciatim & extra ordinem admoneret, insolito nec dum cognito modo pueros nonnullis in locis per castrensia Suecorum sacra, sub dio peracta, & ab illis in transitu horum visa, ita commovisse, ut simili ratione precationes suas inire constituerint, & vicini vicinorum exemplum fuerint secuti. Multa ab hominibus profecta media, temporumque rationes divinum hoc consilium adjuvissent; nec nullam spem fore, has preces multis bono exemplo fuisse: pueros tamen in tam extraordinaria precandi cupiditate puerilem animum non exuisse, & nonnullis in locis preces istas satis tumultuarie Deo adhibitas fuisse, donec alii hunc impetum prudentia sua moderarentur. Tandem in progressu hujus negotii malignum genium



partibus suis non defuisse, sed malas herbas inter frumentum latum ivisse, & hoc modo sanctiori cœtui in Silesia nocere voluisse. Necessum itaque esse, ut unicuique singulare hoc factum cordi sit, & adultiores a tenellis discant, si unquam, nunc certe tempus esse Deo humillime supplicandi: pueris vero nullam propterea vim inferendam, sed quicquid cœptis eorum precibusque recti & laudabilis insit, fovendum id fore amplificandumque, incommodis autem ceteris mansuete subveniendum, omnique confusione in tempore medendum esse.

His præmissis commemorat Autor Præfationis, in Anonymi Scrutinio tres præcipuos defectus deprehendi.

Primo enim deesse ipsi, ut homini a Silesia fortasse nimis remoto, sufficientem & solidam actorum cognitionem, quo factum sit, ut negotium hoc longe aliter animo suo comprehenderit, ac re ipsa gestum fuit. Nam (1) ita ipsum loqui de puerorum precibus horariis, ut eas Lector per universam Silesiam observatas esse credat; cum tamen solis Silesiæ inferioris terminis circumscriptæ, atque iis præcipue in locis institutæ fuerint, per quos exercitus Suecicus fuit profectus: (2) asserere ipsum, has puerorum congressiones quinque dierum spatio ubique factas fuisse; eam tamen sex menses abierint, priusquam Uratislaviæ vel institui, vel inde in alia loca diffundi cœperint: (3) persuasum eum esse, hanc religionem ultro subiisse puerorum animos, ut in aliis ejusmodi precandi modum nec viderint, nec ab ullo tale quid edocti fuerint; cum tamen multa hominum millia suis id usurpaverint oculis, primos ex pueris ita precantibus Sueonum sub dio peractas preces imitatos fuisse, & postea alios aliorum suasu & auctoritate ad similem pietatem adductos fuisse: (4) credere eundem, rem iisdem circumstantiis in uno, quibus in altero actam fuisse, & arbitrari, unum idemque esse, quicquid Uratislaviæ in magna hominum frequentia, & exiguo aliquo pago acciderit; cum tamen pueri in precationibus hisce, perinde ac adulti in suis, inconstantes admodum, dissimilesque sibi fuerint, & ardor ille precandi sensim in deterius reciderit, atque ut plurimum in maximis conventibus omnium pessime negotium hoc administratum fuerit: (5) tum pu-



putare, has preces summa cum pietate, & miro quodam silentio susceptas fuisse; cum tamen ad extremum in ludum & jocum, ne dicamus, tumultum, omnia degenerarint, in cuius rei fidem exempla haud vulgaria Quæstione Sexta & Nonna in medium adferuntur: (6) existimare quoque, pueros illos in campis more Isaci cultum Deo præstitisse; cum tamen certum sit & exploratum, eos primum quidem exemplo militum, quos præ oculis habebant, in campis, deinde vero etiam in urbibus his sacris suis defunctos fuisse: (7) inficiari & Autorem, quosdam spectatorum pecuniam precantibus pueris distribuisse; id quod tamen certum & apud omnes pervulgatum sit: (8) dubitare tandem, utrum spiritus impurus negotii hujus sanctitatem ementitis signis, miraculis & confictis apparitionibus corrumpere ac depravare intenderit; quod tamen itidem certo certius sit, & a nullo actorum perito negari possit.

Deinde conqueritur Autor Præfationis, anonymum magno veritatis damno silentio præterisse, quid Uratislavienses cum his precantibus pueris egerint, unde evenerit, ut ipsi apud externos nonnullos male audire cœperint. Rem autem esse, notissimam & vel pueris decantatam, quod publica inclyti Uratislaviensis senatus autoritate precantes isti tribus in templis intra mœnia urbis, & uno extra ea in suburbio (quorum templorum nomina recensentur) excepti, iisque ibidem de die tres horæ, arbitrato ipsorum, extra ordinem ad preces matutinas, pomeridianas & vespertinas concessæ fuerint, hac tamen lege, ut preces illorum ad directionem Sacerdotis cujusdam ordinarii in urbe, & Ludimagistri, vel Cantoris, in suburbio haberentur; ubi quidem Caput e Codice Sacro prælectum, preces fusæ, & hymni decantati fuerunt; semper tamen simul pueri, subnexo eorum, quæ audiverant, examine, Christianis moribus & præceptis informati, & postea dimissi fuerunt. Atque hæc omnia ad voluntatem precantium & consensu parentum, nec sine communi omnium fructu peracta tamdiu fuerunt, quamdiu ipsismet pueris collibitum fuit, nimirum usque ad Paschatis ferias, cum iidem sub initium statim dixerint, continuaturos se stans horis preces, usque dum notissimus ille



hymnus : Surrexit Christus hodie ; in Ecclesia caneretur. Quæ omnia Præfationis Autor in gratiam exterorum & posteritatis figillatim memorare & annotare necessarium esse duxit.

Tandem vero & illud in Anonymo reprehenditur, ipsum subdole agere, & sententiam Venerandi Dn. Neumanni in lævam partem detorquere, plurimaque aliorum, quam ipse dixerat, accipere. Quod ipsum in Quæstionibus sequentibus ad adversarium directis prolixius deducitur, in iisque illud præcipue urgetur, quod utique in actionibus hominum, etiam extraordinariis, DEUS, homo & diabolus concurrere soleant, & sic bona malis misceantur. Illum ergo, qui recte de iisdem existimare velit, necessum habere unum ab altero discernere, & suum cuique tribuere.

*GOTTFREDI VOIGTI, SS. THEOL. LIC. ET  
Rect. Scholæ Joan. Hamburg. Thysiasteriologia, sive de  
Altaribus veterum Christianorum liber posthumus, nunc  
primum editus a D. JOANNE ALBERTO FABRICIO,  
qui delineationem Thesauri Antiquitatum  
Hebraicarum & Ecclesiasticarum atque Autoris  
Vitam præmisit.*

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1709, 8.

Constat Alphab. I plag. 10.

**L**ibrum hunc jampridem promissum ac præterea in Lippeni Bibliotheca Theolog. p. 29 inter editos falso laudatum, nunc demum, post Petri Molinæi, Petri Berthaldi, Balthasaris Bebelii, Joannis Andreæ Bosii, Joannis Fabricii, Joannis Andreæ Schmidii aliorumque eruditos in hoc argumento labores, Clar. Fabricius luce publica donandum censuit. Qua illum non indignum fuisse, cum singularis industria, tum ordo perspicuus & accuratus, quo singula huc spectantia B. Autor congeffit, facile probant. Nam, ut pauca exempli causa excerpamus, Cap. I, II & III primum de nomine altaris agitur, inter cujus varias si-



gnificationes non postrema est, qua cultum divinum & religionem Christianam indicat. Unde explicatur phrasis illa apud Scriptores Ecclesiasticos de Schismaticis frequentissime usurpata, qua *altare contra altare erigere* dicuntur, p. 46, seqq. Cum autem nonnulli mensas sacras Christianorum nunquam ante Cyprianum altaria dictas esse opinentur, isti Origenis, Tertulliani aliorumque antiquiorum testimoniis refutantur p. 52 seqq. Ceterum ut altaris pariter ac *ἑσθιασθησῖς* vocabulum de Christianis sæpissime occurrit, ita contra aras atque *βωμῶς* solis fere Paganis stylo ecclesiastico tribui, observatur p. 73. Post allatam deinde Cap. IV definitionem altaris, ejusdem causæ, divisio in fixum & mobile, adjuncta atque opposita explicantur. Inter adjuncta referuntur Cap. XII ornatus ex tapetibus, cruce, floribus, & vasis sacris, speciatim quoque candelabris constans, in quibus jam olim cereos, etiam interdum, accensos fuisse probatur. Cap. XIII locus, quem plerumque, non tamen semper, in orientali sacræ ædis parte fuisse, demonstratur, inde Cap. XVII jus asyli, Cap. XIX describuntur ministri seu Diaconi, quorum triginta quinque munia recensentur. Ad opposita altarium pertinent eorum violatio, de qua Cap. XXII, abusus, invocatio sanctorum, missæ sacrificium, de quibus Cap. XXIII, & altaria denique hæreticorum atque aræ gentilium, de quibus Cap. XXIV & XXV exponitur, ubi simul, quantum hodierna Pontificiorum altaria ac Reformatorum mensæ sacræ a Veteris Ecclesiæ usu & consuetudine recedant, luculenter ob oculos ponitur.

Ceterum novam libro per se satis commendato gratiam conciliat duplex Catalogus, a Cl. Editore præmissus, insigniorum scriptorum, qui vel Hebræorum, vel Christianorum veterum ritus diligentiori studio illustrarunt, & quorum uterque non minori reipublicæ literariæ utilitate, quam a Grævio & Gronovio Romanarum Græcarumque Antiquitatum Thesauri collecti sunt, totidem voluminibus conjunctim edi posset.

DE VARIA LECTIONE ADAGII BAMMA  
Σαρκωιακόν, *Tinctura Sardinica, Dissertatio; Auctore,*

Ac

D. 70.



D. JOANNE PAULO NURRA, Carolitano J. C.  
Patriæ Ecclesiæ Canonico.

Florentiæ, apud Petrum Matini, Archiep. typogr. 1708, 4.

Plag. 7.

**A**utor Dissertationis hujus doctissimus in eo est, ut de proverbio Græco, quod ex præstantia coloris purpurei ortum est, disquirat, utrum suos natales Sardibus Lydiæ debeat, an Sardinia Italica insula? Duo enim hæc regionum diversarum nomina scriptorum aut ignorantia aut incuria frequentius confunduntur, propter affinitatem, quæ in sono est & syllabis. Unde factum, ut veteres, quod uni erat proprium, alteri tribuerent; accedit quod ab imperitis scribis vel interpolatoribus, cum *Βάρμα σαρδινιακόν* vel *σαρδωνικόν* scribere debuissent, *σαρδιανικόν* expressum fuerit. Priorem enim scribendi rationem obtinere, non ex librorum fide, quæ est lubrica, sed rei ipsius indole, quod Sardinia propria sit tinctura, quæ proverbio originem dedit, evincit Noster. Jacobus quidem Palmerius in Exercitationibus ad optimos scriptores Græcos, occasione duorum locorum Aristophanis, in quorum altero offendeat *σαρδινιακόν*, in altero *σαρδιανικόν*, priorem lectionem ad laboravit ad posterioris rationem emendare, in quo consentientes habet Salmasium & Spanhemium ad Hesychium, & Lucam Holstenium ad Stephanum de urbibus. Suffulsi eam interpretationem Palmerius his imprimis rationibus, quod tempore Aristophanis parum commercii fuerit inter Athenienses & Sardinia incolas, multum vero inter Lydos ceterosque Asiaticos & Græcos omnes, præcipue Atticos. Sed respondet Cl. Nurra, antiquorum auctoritate destituit Palmerium, potiusque ex Pausania & Stephano de urbibus constare, Athenienses deduxisse colonias in Sardiniam, quæ urbibus Græca nomina indiderint; unde Ichnusa, Sandalioes, Caralis, (cujus antiquos nummos Græca inscriptione *Καρχαλιῶν* signatos vidit Golzius) Olbia, Neapolis, Heraclea, Thespia, & alia Græca urbium Sardinia nomina. Et si detur Palmerio, tempore Aristophanis interruptum forte fuisse Græcorum cum Sardinianis commercium, hæerere tamen potuisse ex præcedentibus ada-



adagium. Alterum argumentum Palmerius petit e loco Plinii H. N. L. VII C. LVI, ubi purpuræ tingendæ artificium Lydis Sardes habitantibus tribuere videtur. Ad quod, præter ea, quod suspectam testis fidem facit, regerit, Tyrrhenos eosdem cum Lydis, juxta optimæ notæ scriptores, colonias in Sardiniam transmisisse, ut præcipue ex Strabone constet, unde & urbibus Hetruriæ & Sardinia nomina communia sint. Sic urbem Populonium, pro quo mendose Ptolemæum scripsisse Populum demonstratum est, quæ vox Tyrrhenorum lingua metallum notat, quo abundasse Sardiniam ex veterum luculentis testimoniis certum sit, nomen inde traxisse existimat. Dilutis ita rationibus Palmerii, vindicat porro Sardinia purpuram ex iis, quæ huic insulæ conveniunt. Thynni pisces sunt Sardoï maris, qui alias etiam Pelamides dicuntur & Sardæ ab insula, non vero Sar vel Sarra, ut Isidorus erravit, qui piscium horum nomen cum Tyri urbis appellatione Hebræa confudit; nec specie iidem cum Sardinis sunt, ut Gaza credidit, sed ex lacertarum vel pelamidum genere, qui verno tempore ex Oceano in Mediterraneum mare gregatim adnatant ad Sardinia littora, a quibus Sardorum nomen obtinent, præcipue quod illic capti ceteros præstantia vincant, cujus causas Auctor affert. His thynnis in deliciis sunt, præter glandes, quibus in Sardinia ripis pinguescunt, purpuræ, a quibus alliciuntur, ut Strabo observat, (cujus locum dum adducit Noster, varias Geographorum de Sardo & Tyrrhenæ mari sententias vel conciliat, vel confutat) unde in mare Sardinia vicinum confluent. Inter eos, qui purpuras Sardinia prædicant & Suidas est, qui in Βάμμα σαρδινιακόν & κυλικινόν scribit: *ἡστὸς γάρ ἐστὶ μέγιστη ἡ Σαρδά πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ, ἐν ἣ γίνονται πορφύραι διάφοραι καὶ ὀξύταται*, e quibus verbis non tantum Suidam ipsum in alio loco, sed & Plutarchum, Pollucem & Phavorinum, doctissimus Auctor corrigit. Quod vero Suidæ novam editionem sperat jam ad suam mentem correctam esse, in eo fallitur, cum ipse Clar. Kusterus Suidam hac in parte de tincturæ Sardinia origine erroris insimulare non dubitet. Sardinianis quoque tapetis multum tribuisse Varronem apud Nonnium Marcellum de ge-



nere vestimentorum observat, quem Casaubonus ad Athenæum suæ integritati restituerit, Ortelium vero notat, qui pro Sardinianis Sardoniana tapeta reponi voluit, quippe sola Sardiniana hic locum potius invenire, pluribus evincit. Clemens Alexandrinus quoque suam symbolam conferre putatur, quando in Pædagogi L. II βαμματα σαρδωνικῆ mentionem injecit. Nomen deinde, quo insignitur vel ipsa Sardinia, vel insula proxime adjacens, novum momentum addit. Autoris opinioni, quandoquidem appellatur Buccina, in quam Pontianus Papa relegatus esse narratur ab Anastasio; quod equidem nomen perperam irrepsisse jam ante monuit Cluverius pro Boaria vel Bovenna, in quo Schelstratenus eum secutus est: sed saxa esse duo immania Boariam & Bovennam Noster ostendit, in quæ Papa relegari non potuerit. Buccinam vero insulam, quam Anastasius commemorat, inter eas haud dubie esse putat, quæ in antiqua Notitia Portuum, Italico idiomate manu exarata, & in alia typis Neapolitanis edita, vocantur Buccinariæ, & illa quidem, quæ nunc alio nomine Thaolada vel Tholara vocatur, nisi malis cum Ciaconio ipsius Sardinia cognomen esse. Buccinæ vero nomen nancisci potuit a buccinis petris ibi frequentius adhærentibus, hanc enim buccinis naturam esse & res docet & Plinius. Quæ de Thaolada vel Buccina insula profert, majori quoque robore ex eo firmat Autor, quod modico intervallo distet hæc ab iis Sardinia locis, in quibus adhuc Græcorum & Carthaginensium vestigia sunt, ex quo pateat inde facilius ad Græcos hujusce purpuræ famam pervenisse, & Phœnicas ejusdem infecturæ auctores haberi potuisse. Adlegaverat Auctor pro se Ulpiani locum, in quo buccini hic meminisset, at submonitus fuit a Viro docto, in Pandectis Florentinis non extare buccinum, sed fuccinum, ac inde ea, quæ de Buccina insula scripta erant ex hoc loco, per eundem everti iterum. Ad quæ reponit Nurra, corruptum esse Florentinum Codicem hoc in loco, & prævalere vulgatos, cum lana fuco illita differat a purpura, de qua Ulpiano sermo est. In Lycophronis Alexandra v. 796 hæc leguntur:

κένδρω δυσάλβης ἑλασσῆ σαρδωνικῆς



*Insanabilis aculeo piscis Sardonisi*

ubi piscem Sardonium Tzetzes, Meursius & Canterus interpretantur de pastinaca marina, sed minus apte, ut doctissimus Nurra autumat, cum pastinaca mari cuilibet communis sit, purpura piscis Sardonico mari proprius, ejus etiam aculeus rei, de qua agitur, propius conveniat. Leges in Codice Theodosiano L. 10 tit. 20 sunt de Murilegulis, quæ minus ad Lydos referri possunt, sed pertinent ad conchylegulos Sardinia. Una ex iis Constitutionibus profertur, quæ est 12 repetita in Codice Justinian. L. 9 eod. tit. & quoniam hæc ad Principium P. P. data est, hinc colligere licet, pertinere eam ad Sardiniam, quæ illa ætate, qua data lex est, Præfectis Pr. Italiae gubernanda tradita fuit, de quo ab Autore agitur uberius. Tandem parum abest, quin omnia pro commentis habeat Nurra, quæ de Sardiniaca vel Lydorum purpura prædicantur passim a scriptoribus. Plinio namque teste purpuræ calculosæ sunt a calculo maris conchyliis apto dictæ: Lydia autem cum mediterranea sit regio, quod Appianus Alexandr. & Strabo confirmant, ubi ejus mare, Noster inquit, quæras? & in eo purpuras? & artem purpura tingendi Sardibus debitam? nisi velis cum Poeta nugari Metamorph. L. 14:

- - *Vidi factas ex æquore terras*

*Et procul a pelago conchæ jacuere marine.*

Omniem igitur fabulæ originem derivat ab urbe maritima Syrophenicum Lydda purpura celebri, ejus memoriam resuscitat Auctor anonymus a Cl. Gronovio editus, quæ confusa videtur cum Lydia ex similitudine nominis. Plurima sunt, quæ præter hæc excerpta de doctissimi Autoris ingenio & industria in conferendis & emendandis veterum libris & rerum præcipue patriarum exquisita peritia testari possunt, sed nostros excedunt limites. Interim lucubrationes de Sardinia cum profana, tum sacra, avide expectamus, quarum spem Noster facit Ill. MAGLIABECHIO, cujus benevolentia Dissertationem hanc, celeberrimo ipsius nomini consecratam, debemus.



NOVA LITTERARIA E GERMANIA  
ET BELGIO.

**K**ilonii Holfatorum sub prelo sudant Viri celeberrimi, Henrici Opitii, S. Theol. D. & P. P. *Biblia Hebraica* in 4 ex optimis impressis & MSS. Codicibus itemque Masora aliisque principiis criticis accuratissime emendata, caractere illustri expressa, notisque Hebraicis ac lemmatibus Latinis instructa, in quibus per plurimos annos desudavit Autor, & cum jam ad finem perduxerit Prophetas minores, sicque liber כתובים tantum excudendus supersit, atque opera strenue urgeatur, brevi post Festum Johannis exemplaria Kilonii, Hamburgi & Lipsiæ prostabunt. Rostochii Carolus Arndius, Lingu. Hebr. & Catech. Christ. Prof. editis variis scriptis inclytus, in *Systemate Scientiæ Literariæ Historico-Pragmatico* concinnando totus occupatur, quod tredecim Partibus absolvet, quarum prima Isagogica de ortu, progressu, lapsu & instauratione literarum, secunda Biographica de Viris eruditione claris, tertia de Religionibus totius orbis omniumque temporum, earum ortu, progressu & hodierno statu, quarta de fati scientiæ Juridicæ, Medicæ, Philosophicæ, Philologicæ, Historicæ, Poeticæ, artiumque Mechanicarum, quinta de inventis Philosophicis & Mechanicis, Bellicis, Gymnasticis, Ludicris, sexta de Societatibus & Collegiis Litterariis inde a Chaldæis ad nostram ætatem, septima de Ephemeridibus Litterariis, octava de Academiis antiquis & hodiernis, tum & de Professoribus, qui eas hodie ornant, nona de Bibliothecis, decima de Scientia Symbolica, symbolis Principum, Eruditorum &c. undecima de Scientia Nummaria, duodecima de Scientia Genealogica & decima tertia de Scientia Heraldica aget. Hamburgi ingens Germaniæ nostræ decus, Jo. Albertus Fabricius, sæpius nobis commendatus, in eo est, ut Sexti Empirici Opera omnia cum Cizensi, Uratislaviensi, Gudiano, aliisque optimæ notæ Manuscriptis diligenter conferat, & nova quodammodo versione notisque eruditissimis instruat, Lipsiæ sumtibus Jo. Friderici Gleditschii intra annum, ut speramus, elegantissimis typis proditura. Cum Be-



rolini superiore anno Potentissimi Regis FRIDERICI cum LOUYSA SOPHIA, Duce Megalopolitana, nuptiæ magna pompa celebrarentur, certatim Poetæ carminibus elegantissimis & epigrammatibus applausere, tantaque fuit summi Principis munificentia, ut nemo indonatus fuerit dimissus. Palmam tamen reliquis præripuit Vir inter nostrates apprime eruditus, Georgius Gothofredus, qui, ut est in Anagrammatibus inveniendis felicissimus, e nominibus FRIDERICUS & LOUYSA SOPHIA purissimum anagramma: *His aderit ipsius cæli favor* elicit. Quare cum & ab optimo Rege aureum munus splendidissimum & diploma obtinuisset, quo in Regiam Societatem Scientiarum, quæ Berolini floret, receptus est, Regi denuo nuper ipso Friderici die, nempe III Nonas Martii alio anagrammate applausit, quippe ex titulo Regio: FRIDERICUS PRIMUS, Dei gratia Rex Borussiae Potentissimus, tum & Marchio Brandenburgensis, ut & Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius, simul ac Elector, supremus æque & Princeps Arausionensis ideo & Neoburgensis, Duxque Megapolitanus; hæc vota composuit: *Summe debitas pro aureo munere subjectissime persolvens grates, precor; Summus det rerum Arbiter, ut perchara dies, quæ benignissimi Regis Nomini sacra, ipsi sit oppido felix! Sic multos in annos dies hic recurrat! Vivat Rex! quin ac Regina vivat!* Ibidem superiore anno die 20. Octobris apoplexia extinctus est celeberrimus Gallus, *Isaacus Jaquelot*, qui e Campania oriundus A. 1647 exul in Belgium primum se contulit & Hagæ Comitum initio, postea Berolini, Ministrum Ecclesiæ egit. Nota sunt quæ contra Atheos de existentia Dei, deque Messia contra Judæos, & de Manichæismo contra P. Bælium disputavit. Dolendum vero nondum ab eo absolutum fuisse, quod meditabatur, opus eruditum de divinitate Scripturæ Sacræ.

In Belgio Ultrajecti Titi Petronii Arbitri Satyricon excuditur, cum integris doctorum Virorum commentariis, quibus accedent Heinsii & Goesii notæ ineditæ, una cum notis Petri Burmanni, & variis figuris æneis, quem librum propediem spe-



ramus proditurum in forma quarta. Lugduni Bat. Petrus van der Aa Itinera Lusitanorum, Hispanorum, Anglorum, Gallorum, Suecorum, Danorum, Itolorum, Germanorumque inde ab anno 1246 ad 1696 in utramque Indiam instituta prelo absolvit. XXVIII Voluminibus; jamque in eo est, ut novam Itinerum a Belgis ab A. 1583 ad nostra tempora in illas oras factorum Syllogem edat, in qua plura hodieporica hactenus nondum vulgata continebuntur. Decessit Harlemi anno superiore die 28 Nov. *Antonius van Dale*. Is natus A. 1638 die 8 Nov. etsi prima ætate studium linguarum proderet singulare, a parentibus tamen mercaturæ consecratus est; cujus demum pertæsus anno circiter ætatis trigesimo ad studia velut postliminio rediit, Græcisque & Romanis antiquitatibus diligenter incubuit. Quamvis vero aliquandiu in Mennonitarum ecclesia sermones ad populum habuerit, tamen cum huic muneri se minus aptum intellexisset, Medicinæ potius operam dedit, eoque Medici ordinarii in Nosocomio Harlemensi partes ad extremum usque summa fide implevit.

---

 LIBRI NOVI.

*Philosofatorum, quæ supersunt, omnia: Vita Apollonii Libris VIII, Vita Sophistarum Libris II, Heroica, Imagines priores atque posteriores, & Epistolæ; accessere Apollonii Tyanensis Epistolæ, Eusebii Liber adversus Hieroclem, Callistrati Descript. Statuarum: omnia ex MSS. Codd. recensuit, notis perpetuis illustravit, versionem totam fere novam fecit Gottfridus Olearius. Lipsiæ, apud Thomam Fritsch, 1709, fol.*

*Medicina Theologica Chymico - Irenica & Christiano - Cabbalistica, vorgestellt in der ersten Continuation, curioser und erbaulicher Gespräche vom Golde von Mitternacht / oder von der höchsten Medicin, &c. von Joanne Philippo Maullio, St. Goarino, Medic. Doctore und Practico zu Lünen in Westphalen/xc. Wesel/bey Jacobus von Wesel, 1709, 8.*

---

Prodiit nuper Actorum Erud. Supplem. Tom. IV Sectio I, quam proxime excipiet Sectio II.

\*

\*

\*



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Maji, Anno M DCC IX.*

JO. BAPTISTÆ GRAMAYE, ANTVERPIEN-  
sis, *Antiquitates Belgicæ emendatiores, & auctæ Anti-  
quitatibus Bredanis nunc primum editis. Accedunt*

NICOLAI DE GUYSE Mons Hannonia &  
DAVIDIS LINDANI Tene-  
*monda.*

Lovanii, apud Ægidium Denique, Bruxellis, apud Fratres  
Tserstevens, 1708, fol.

Alph. 9 $\frac{1}{2}$ .

Prostant Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch.

**F**loruit initio Seculi superioris Jo. Baptista Gramajus, qui aliquandiu Eloquentiam & Jura publice professus Lovanii, post Belgii Principum Alberti & Isabellæ Historicus factus, provincias Belgicas toto triennio accuratissime lustravit, & excussis diligenter archivis, Antiquitates Brabantia, Flandriæ, Namurcenses, Mechlinienses, Cameracenses & Bredanas multo labore eruit. Hollandicam inde & Germanicam peregrinationem instituit, ac demum suscepto Italico atque Hispanico itinere, in Africam delatus, & a barbaris captus, plerasque Africae oras lustravit, quæque passim observavit, in *Africa illustrata*, qui liber magno in pretio esse solet, prodidit. Et hactenus scripta hujus Viri, quæ ad Antiquitates Belgicas spectant, quippe non uno in loco, ut Amstelodami, Lovanii, Bruxellis, Antverpiæ, Insulis, Gandavi, nec eodem tempore edita, rariora fuisse, nec comparari facile omnia potuerunt. At hic ea quæ



sparsim olim edita fuere, vel adhuc in scriniis delituere, eo ordine collecta ac disposita deprehenduntur, ut præmisso compendio Historiæ Brabantiæ, Lovanii primo, deinde Thenarum & Brabantiæ ultra Velpam, quæ olim Hasbaniæ pars, Arscoti Ducatus, Bruxellarum porro ut & Gallo-Brabantiæ, Nivellæ nimirum, Genappiæ, Gemblaci, Geldoniæ, Hanuti & Traziniaci, tum Antverpiæ, Taxandriæ, Pelandiæ, Campiniæ, Maeslandiæ, Oostervici & Postellæ, Bredæ item, Mechliniæ, post Flandriæ, h. e. Gandavi, Audenburgi, Hulsti, Alosti, Gerardimontii, Nienoviæ, Aldenardæ, Cortraci, Haerlebecæ, Deinfae, Meninæ, Brugarum, Slusæ, Ostendæ, Novi Porti, Dixmudæ & vicinarum regionum, ut & Flandriæ Francæ, Ipreti, Duaci, Namurci imprimis & Cameraci, Antiquitates exhibeantur. His commodum visum fuit Davidis Lindani, Gandavenfis, de Teneræmonda Libros tres & Nicolai de Guyse, Canonici Cameracensis, Montem Hannoniæ Metropolin adjicere; qui uterque libellus hodie rarior eodem fere, quo Gramaji scripta, tempore prodiit. Etsi vero Gramaji reliqua omnia jam antehac edita fuerint, Antiquitates tamen Bredanæ nunc primum e Bibliotheca Henrici Copes, Senatoris Sylvæducensis, in lucem prodeunt, non integræ quidem, cum diplomata nonnulla in ipso Codice desiderentur, (quædam vero ex Auberto Miræo, Christophoro Butkens aliisque suppleta sunt) dignæ tamen ob probatam Autoris fidem, quæ locum inter reliqua ejus scripta invenirent. Sed ex his specimina petere supervacaneum ducimus, cum de diligentia ac methodo Autoris jamdudum constet.

## IL DOMINIO TEMPORALE &c.

i. e.

*DOMINIUM TEMPORALE SEDIS APOSTOLICA  
in civitatem Comaclensem per decem Secula  
continuatum.*

A. 1708, fol. plag. 13.

OSSER-



## OSSERVAZIONI SOPRA UNA LETTERA &amp;c.

h. e.

OBSERVATIONES IN EPISTOLAM IN-  
*scriptam*: Il dominio temporale.

A. 1708, fol. Alph. I pl. 17.

**B**ina scripta lingua Italica de controversia Comaclensi sub  
 exitum anni superioris in Italia, ut preli ratio suadet, prodie-  
 runt. Prius a Romana parte editum specie Epistolæ ad Mini-  
 strum cujusdam Principis, ita inscribitur: *Il dominio temporale  
 della sede Apostolica sopra la città di Comacchio per lo spazio  
 continuato di dieci secoli, esposto à un Ministro d' un Principe.*  
 Scriptum contrarium, quod Imperatoris & Ducis Mutinæ jura  
 defendit, & ad Prælatum Curix Romanæ dirigitur, hunc titu-  
 lum habet: *Osservazioni sopra una Lettera intitolata: Il do-  
 minio temporale &c. difese in una Lettera à un Prelato della  
 Corte di Roma.* Ambo a viris egregie doctis composita sunt.  
 Ex Papæ parte contenditur, Comaclum, Ferrariam & totum Ex-  
 archatum ab antiquo ad Romanæ Ecclesiæ jus spectasse, nec Pi-  
 pini donationem aliud fuisse in ea re, quam restitutionem; jus  
 hoc confirmatum fuisse a Carolo M. & Imperatoribus sequen-  
 tibus, & occasionibus ita ferentibus exercitum a Pontificibus Ro-  
 manis; qui urbem Comaclensem contulerint in Principes E-  
 stenses feudi jure, tanquam comprehensam in Ferrariensi Prin-  
 cipatu: Clementem vero VIII tam Ferrariam quam Coma-  
 clum ad se revocasse post mortem Alphonfi II, anno 1597 extin-  
 cti, quod Cæsar Dux, cui Imperator Mutinæ & aliorum feudo-  
 rum Imperialium successionem concessit, natus esset ex filio  
 tantum naturali Alphonfi I; investituras autem Comacli, quas  
 Principes Estenses antea ab Imperatoribus obtinuisse dicuntur,  
 clandestinas habendas. Affirmat etiam, Estenses non nisi pri-  
 vatos fuisse usque ad seculum XIII, inter nobiles agri Patavini  
 familias, civesque urbis computandos; & omnem suam ma-  
 gnitudinem Pontificibus Romanis debere. Contra, qui Impe-  
 ratoris Ducisque jura tuetur, probat, Imperatores supremum



Dominium in ea omnia retinuisse, quæ Pontificibus donabant. Donationes, quæ jaectantur, pro bona parte apocryphas esse & male intellectas; partem notorie irritam fuisse, locis, de quibus agitur, in aliorum potestate permanentibus, a quibus ab immemoriali tempore legitime & quiete sunt possessa. In eo numero & *Comaclum* esse, quod Principes Estenses continue a multis seculis jure Imperialis feudi possederint, inde a Carolo IV & amplius: Pontifices autem Romanos neque unquam (ante Clementis VIII usurpationem) tenuisse hunc locum, neque unquam a se agnosci curasse, aut Estensibus contradixisse, quos ab Imperatoribus inde investiri non ignorabant. Increpatur etiam autor Romanus, tanquam in dignitatem & antiquam magnitudinem Domus Estensis injurius, & communi sese sententiæ, sine argumentis, & spretis probationibus contrariis opponens. Multis tandem autoritatibus rationibusque conficitur: Alphonsum I, Ducem Ferrariæ, legitimis nuptiis sibi conjunxisse Lauram, aviam Ducis Cæsaris, humili loco natam, sed multis laudibus cumulata, eoque ipso omne Pontificii juris in Ferrariam æque ac Comaclum everti fundamentum. His comprehenduntur breviter utriusque partis asserta. Sed cum controversia sit celebris & curiositate publica digna, in ipsam argumentorum discussionem nonnihil descendere placet, ubi ex Autorum persona passim loquemur.

Autor Romanus initio observat, Comaclum urbem antiquam Episcopalem Exarchis Ravennæ sedentibus, post irruptionem Longobardorum in Italiam, paruisse. Sed cum addit, Exarchatum connexum fuisse cum Ducatu Romano, & hunc a Pontifice Romano dependisse, quasi & Exarchatum ei submissum fuisse insinuaturus; atque ideo Exarchatum ab Aistulpho Rege Longobardorum occupatum, a Pipino I Pontifici fuisse restitutum: Adversarius eum meminisse jubet ex Historia, tam Episcopos Romanos quam Duces sub Exarchis Ravennatibus egisse, qui Constantinopoli ad Italiam regendam mittebantur; & mali ominis hoc Autoris Romani initium censet, qui originem juris Papalis in Ferrariam Comaclumque in manifesto errore quærat. Agnoscitur, restitutionem a Pipino factam



etiam (ubi *Castrum Comaclum* cum aliis locis nominatum dicitur) at non Pontificibus, sed Romanæ Reipublicæ, cui abstulerant Longobardi. Romam tunc regebant Episcopus, Dux militum & Magistratus urbis, qui simul omnes cum omni Romana per Italiam regione, a Græcis avulsa, Pipino ipsi suberant, quem in Patritium Romanorum loco Exarchi asciverant. Ac deinde filius ejus Carolus Magnus in idem jus successit, honore Patritii receptus a Romanis post eversum Longobardorum Regnum; exercuitque hoc titulo summam potestatem, donec tandem Imperator proclamatus est. At Romani Episcopi cum religionis autoritate usi se magis magisque elevarent, rem ita flexere, ut restitutio facta Reipublicæ a multis haberetur pro donatione Pipini in Papam collata. Concessionum Pipini & Magni Caroli Diplomata non extant, Ludovici Pii producitur, in quo *Ferraria & Comaclum* nominantur; sed P. Pagius, Franciscanus, vir doctissimus, & erga Pontifices bene animatus, non minus id supposititium putat, quam jactatam Constantini donationem. Certum interim est, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Lotharium cum filio Ludovico, & alios eorum temporum Imperatores, & Romæ & in Exarchatu & per omnes Romanas regiones, quæ jugum Græcorum excusserant, supremos Dominos egisse. Ut adeo Romanus Scriptor Imperatores Saxones aliosque, qui post Carolingos extinctos diu regnarunt, oppressæ Romanæ Ecclesiæ crimine pulsans, ab Adversario graviter reprehendatur, cum eos constet eodem, quo Carolingos, jure usos usque ad magnam rerum commutationem, quæ sub Henrico IV & Gregorio VII contigit.

Pipinum Caroli M. filium Italiæ Regem Exarchatum tenuisse, & classem Ravennæ vicinisque locis habuisse, præsidium etiam *Comaclo* imposuisse constat, ut oram illam contra Græcos tueretur. Interea tamen Archiepiscopi Ravennates potestatem subordinatam in regionem, Exarchatus nomine dictam, sibi vindicabant. Id Autor Romanus concessioni Pontificis tribuit; sed ex querelis Pontificum apparet, Archiepiscopos in



sua Provincia conatos, quod Pontifices Romæ & in suburbicariis regionibus affectabant. Pontifices non eo secius occasiones captabant resuscitandi juris, quod in Exarchatum sibi adscribebant, & Pipinianam donationem in rem suam vertebant. Itaque *Exarchatum, Ferrariam, Comaclum* in confirmationibus privilegiorum nominari curabant. Sed (ut taceamus de genuinitate eorum dubitari, quæ tanquam ab Ottone Magno & Henrico Sancto afferuntur) non major erat confirmationis effectus, quam donationis primæ, nec tertio damnum inferre poterat; cum alii dudum regiones, de quibus agebatur, tenerent ac regerent. Et bene a Jurisconsultis decisum est, cum idem duobus donatum est, præferri, qui prior possessionem accepit. Apparet Pontifices, quod recta obtinere non poterant, oblique tentasse, & cum ditiones affectatas aliis extorquere non possent, meritum sibi ac titulum juris easdem in eos conferendo quæsisse, qui jam eas habebant, & quibus facilitas hoc qualecunque jus recipiendi fuit; sive ne a Pontificibus exagitantur, sive ut titulum juris titulo adderent, tanquam superflua non nocerent. Scribitur Gregorium V Gerberto Ravennati Comaclum dedisse vel confirmasse: id quanquam suspectum videatur, verum tamen est temporibus longe posterioribus Honorium III, Gregorium IX & Alexandrum IV confirmasse loci jus Præsulibus Ravennatibus, & Honorium II etiam de Exarchatu locutum. Sed hoc omne nullius erat momenti, cum Imperatores in Exarchatu omnia agerent ferrentque pro lubitu. Tempore Johannis VIII Marinus, Comes Comaclensis, memoratur; & anno 947 Marchio Almericus (quem Pigna Historicus cum Marino Estensem facit) territorium Comaclense suum appellat. Otto Magnus Ravennam cum vicinia Adelaidi conjugii in dotem dederat, quæ etiam in Comaclo & proxima regione dominabatur. Duo Berengarii, tres Ottones, Henricus Sanctus, Conradus cum duobus Henricis successoribus, filio ac nepote, per se aut Missos suos ac judices, jurisdictionem & regalia jura per Exarchatum exercebant. Et Henricus IV confirmavit Archiepiscopo *Comitatum Comaclensem, sicut* (inquit)



*antecessores nostri concesserunt.* Fridericus I, etiam post reconciliationem cum Alexandro III, in pace Constantiæ juribus Imperii per Marchiam, Romandiolam & terras Matildis prospexit. Et filius ejus Henricus VI *Comaclum* Archiepiscopo confirmavit, *salvo jure Imperii*; cujus filius Fridericus II opidum hoc *speciale demanium Imperii* appellat.

Sed hoc Principe extincto, diuturnum interregnum, absentia Imperatorum, factiones Guelforum & Gibellinorum, omnem per Italiam rerum faciem immutarunt. Imperatores aut Reges Romanorum, plerumque longinqui, non ægre Pontificibus privilegia & diplomata concedebant, quæ sese ad antiquas donationes referebant, supposititias vel male explicatas, quod illis temporibus, quando ignorantia confusioque regnabant, facillimum erat, cum Henricus VII etiam donationem Constantini confirmavit. Plerumque in illis Concessionibus Exarchatus, Ferraria, Comaclum secundum Pontificum narrata nominabantur. Sed hoc accipiendum erat, *si preces veritate niterentur*, item *salvo tertii jure*: præterea plerumque Imperii jura excipiebantur. Ceterum urbes velut derelictæ in his turbis, cum Episcopi tenendo gubernaculi clavo pares non essent, formam Reipublicæ pro arbitrio sibi sumebant, Potestatibus ad tempus electis, id est, summis Magistratibus, a quibus regerentur. Quædam urbes etiam Dominos sibi legebant, a quibus protegerentur; servata tamen semper summa Imperatorum potestate, quorum & approbationem expetebant. Principes Estenses Guelficæ partis primarii duces habebantur, & Pontificibus contra Ecelinum, Salinguerram aliosque Gibellinos auxilio erant, & pro tantis laboribus periculisque aliquem fructum sibi ex successu damnorumque compensationem capiebant. Scriptor Romanus Marchionem Obizonem Estensem accusat, quod A. 1287 Ferrariam invitis Pontificibus sibi usurparit, & successores male quæsitam possessionem continuarint, donec Johannes XXII eam legitimam redderet titulo vicariatus concessio, sed ad tempus tantum, quem Alexander VI denique perpetuum reddiderit, & ad posteros transmittendum. Sed respondetur, Ferrarienses sese sponte in Azonis Marchionis, qui



dicti Obizonis pater fuit, potestatem tradidisse, Innocentiumque quartum, potentem & injuriæ impatientissimum, sed magnum Azonis amicum, cui plurimum tunc Roma debebat, mox Ferraria transeuntem A. 1251 nullam improbatæ rei significationem dedisse, cum Ferraria utique Gibellinis extorta fuisset; ac ne illud quidem exegisse, ut jus in eam a se agnosceretur; Vicarium Generalem Rudolphi I Ferrariæ A. 1276 jura Marchionis Obizonis confirmasse, Bonifacium VIII & Benedictum XI nihil aliud postulasse, quam ut Argenta Archiepiscopo Ravennati redderetur: sed tandem Johannem XXII extensis in immensum Pontificiorum jurium fimbriis, atque etiam administratione Romani Imperii sibi attributa, (tanquam vacante per depositionem Ludovici Bavari throno ad Pontificem ea pertineret,) cum Vicarios Imperiales passim mutaret per Italiam, etiam ab Estensibus obtinuisse, ut vicariatum ab ipso ad tempus agnoscerent, subinde renovandum. Sed non ideo illi proprio & pristino juri renunciarunt, dum jus jure cumulabant. Comacenses sese submittere Estensibus A. 1297, & urbe mox a Ravennatibus capta, ad Principes eosdem sponte rediere, seque illis in perpetuum tradidere A. 1325. Porro Carolus IV Augustus Comaceli eis investituram concessit A. 1354 & 1361, Sigismundus A. 1433; Fridericus III (aliis dictus IV) hinc Borsum Ducem investivit A. 1452, cui etiam tunc dignitatem Ducis largitus fuerat; atque ex eo Imperatores Romanorum, ex Austriaca domo orti omnes, usque ad Josephum gloriose regnantem, eandem Comaceli investituram in Ferrariæ Mutinæque Duces conferre perrexerunt.

His de Comaclo expositis, Autor defensionis Imperialis ac Mutinensis omne occupationis Pontificiæ fundamentum circa Ferrariam non minus ceteraque loca, quam Comaclum, subruere aggreditur. Papisequi contendebant, Alphonsum patrem Ducis Cæsaris illegitimum fuisse atque ideo successionis incapacem. Sed opponitur, atque initio quidem ex abundantia rationum, quamvis illegitimus fuisset, quod falsissimum, non eo minus & habiturum fuisse succedendi jus, & in filium Cæsarem transmittere potuisse. Nam Alexander VI Alphonso I



Ducatum Ferrariæ *pleno jure* (id est, liberi *Allodii*) dedit. Itaque Alphonsus II de eo disponere & testari potuit, quod etiam in favorem consobrini, Ducis nempe Cæsaris fecit; præsertim concurrente in eundem consensu & electione populi, qui tale jus antiquitus exercebat. Sed his rationibus opus non est; probatur enim, Lauram, matrem Alphonsi Principis, aviam Cæsaris Ducis, Alphonso I Duci rite nuptam fuisse. Hoc fisci Romanæ sedis advocati negarunt, sed nulla, ut debebant, probatione prolata, cum tamen pro unoquoque militet præsumptio legitimitatis. Tenuis tantum conjecturas attulere, quæ fortissimis argumentis testimoniisque eliduntur. Autores complurium operum, ante motam controversiam conscriptorum & typis editorum, diserte dixerunt, Lauram uxorem & viduam Ducis fuisse. Ita libri Historici & Genealogici, poemata, orationes, epistolæ aliæque compositiones plurimæ, ex quibus non pauca adducuntur. Autorum bona pars contemporanei & vicini fuisse; quidam etiam honorum, qui Ducissæ habebantur, testes oculati & omni exceptione majores; de qua passim loquuntur tanquam exemplari eximio pulchritudinis atque virtutis, quibus tanti Principis conjugium meruisset. Post mortem mariti habitata est viduæ Ducalis loco, collocata inter foeminas Principes, titulis honorata, qui tunc Ducissis tribuebantur; cultu & comitatu in publicum progressa, qui talem foeminam decerent, tutrix liberorum habitata, qui Principes fratres Ducis regnantis sine controversia agebant, quorum alter (pater Cæsaris) Urbinatis Ducis filiam duxit; denique omni cum pompa Ducali sepulturæ tradita, privigno Duce & Cardinale Estensi, aula, collegiis tribubusque artium funus solenne prosequentibus; insignibus etiam Ducalibus, quibus usa erat, per Ecclesias publice expositis, cum inscriptione, cui post nomen addebatur *Duc. F.* Imperator Cæsarem Ducem re discussa pro legitimo successore habuit, eique investituras Imperiales concessit: at Romana Curia nullum rationi aut justitiæ locum dedit, neque aut arbitros aut ullam juris discussionem admisit: quo posito quicquid in hac causa egit, non nisi vis fuerit.

Postremo cum Scriptori Romano elapsa sint quædam



verba, quæ gloriam totius Serenissimæ Gentis Estensis non mediocriter tangere visa sunt, acerrima ille refutatione repellitur. In medium attulerat paradoxum hoc: inchoato jam Seculo Christi tertio decimo Estenses nihil aliud quam privatos locorum quorundam Patavini tractus Dominos fuisse, in quo Ateste (non spernenda olim Romana Colonia, nunc mediocris locus) situm est, nec ditiones tunc aut territorii jura eos habuisse, omneque suum decus Romanis Pontificibus debere, ex quo Azo Estensis Marchiam Anconæ Innocentii III beneficio obtinuit, atque ex eo demum Marchionis dignitatem. Denique omnia, quæ de anteriore Estensium magnitudine circumferantur, nonnisi Johannis Baptistæ Pignæ figmenta esse, qui rerum sub Alphonso II administer, Estensium Historiam scripsit. Adversarius eo magis admirandam sibi hanc pronuntiandi audaciam videri scribit, quod rationis specie caret, ipseque Scriptor Diploma antierius, nempe Henrici VI, citat, in quo Obizo Marchio extat; & notare poterat, Marchionem Azonem filium hujus Obizonis, sese simul & Estensem & Anconitanum Marchionem appellare. Afferuntur & alia testimonia, quod ille ipse Obizo esset Marchio; itemque pater ejus Fulco, qui & Marchionis appellatione in Tabulis quibusdam anni 1123 & alibi passim honoratur. Nondum autem tunc *Marchionis* nomen nisi Principibus tribuebatur. Notatur simul, Marchionem, quem diximus, Azonem, Anconæ Marchiam etiam ab Ottone IV Augusto (non tantum a Papa) beneficiariam agnovisse; & ab hoc *consanguineum* (ut erat) fuisse appellatum; quæ appellatio tunc non ob quamlibet remotissimam cognationem tribuebatur.

Sed multo longius proceditur, Romanoque hyperaspistæ exprobratur, dissimulatam ab eo connexionem inter Domum Brunsvicensem & Estensem, linea directa a communi stipite derivatas, nimirum ab antiquo quodam Marchione Azone, nato ante Annum Domini millesimum, qui multum sequenti seculo memoratus est, & testimonio scriptoris contemporanei, demum major centenario vivis excessit; pater Guelfi Ducis Bajoariæ & Fulconis Marchionis Estensis paulo ante memorati.

Scri-



Scriptor ille tanto inexcusabilior Adversario cenfetur, quod Ill. Leib-  
 nitius utriusque gentis derivationem ex communi fonte ductam  
 illustraverat, tum edita Epistola, cum Serenissimus Mutinæ Dux  
 Principem Hanoveranam duceret, tum nuperrime insigni ope-  
 re, nomine *Scriptorum Brunsvicensia illustrantium* in publicum  
 emisso; ubi non tantum confirmavit atque emendavit, quæ Pi-  
 gna & alii de connexionione utriusque familiæ affirmaverant, sed  
 etiam personas amplius detexit, quæ connexionem fecere, alia-  
 que huc pertinentia, Historicis Attestinis prius ignorata. Osten-  
 dit enim, Azonem illum antiquum Marchionem, inter primos  
 dignitate & potentia Italiæ Principes habitum, post notum  
 omnibus cum Cunigunde Guelforum Germaniæ hærede ma-  
 trimonium, (ex qua Guelfum illum Ducem suscepit) duxisse  
 aliam Principem, hæredem nempe Comitatus Cenomannorum  
 (du Maine) in Gallia, quæ Hugonem ei Cenomannorum Co-  
 mitem, & Fulconem Marchionem peperit, stirpis in Italia pro-  
 pagatorem. Hugo autem duxit filiam Roberti Guiscardi Nor-  
 mannorum celeberrimi Principis, sororem Regis Siciliæ Roge-  
 rii, & Imperatricis cujusdam Constantinopolitanæ, quæ Augu-  
 sto Michaeli Ducæ nupserat. Porro Guelfum, Ducis Guelfi  
 prædicti filium, constat Matildem illam Magnam duxisse, eo-  
 que matrimonio effecisse, ut postea ditiones ejus pro bona  
 parte in familiam Guelficam transferrentur; at Henricum,  
 mariti Matildis fratrem, propagasse stirpem Germanicam, ejus-  
 que fillum Henricum, ducta filia Lotharii Saxonis Augusti, et-  
 iam Ducatum Saxoniam accepisse; eoque ex matrimonio natura  
 esse Henricum vulgo Leonem, Bavarorum & Saxonum Du-  
 cem, patrem Ottonis IV Augusti, indubitatum Brunsvicensium  
 Ducum progenitorem.

THE JEWISH HISTORY, FROM THE CREA-  
 tion of the World, to this present time.

hoc est,

*HISTORIA JUDAICA A CREATIONE  
 mundi usque ad nostra tempora, exhibens Compendium*



*Josephi, a Rogerio L' Estrange vulgati, & Continuatio-  
nem ex authenticis monumentis, Legibus Imperii, De-  
cretis Conciliorum, Mischna, Talmude, Maimonide,  
Benj. de Tudela, Leone de Modena, Seldeno,  
Spencero, Basnagio &c. collectam; Aucto-  
re J. CRULLIO.  
Volumina duo.*

Londini, apud S. Briscoe & reliquos, 1708, 8.

Alph. 3 pl. 5, fig. Tab. 4.

B. J. L. VII.  
c. 31.

Ant. X, 24.

II, 7.

**C**ompendiis, quæ resectis superfluis, utilia & necessaria, tantum exhibent, scientiarum augmenta multum debere, haud pauci eruditorum confitentur. Hæc inter laudandum est præsens a Cl. Crullio, vestigiis Estrangii instituro, adornatum. Cum illius ratio ex ipso titulo pateat, duas tantum Dissertationes, quas Cl. Auctor operi præmisit, delibabimus. Prior vitam & religionem Josephi persequitur, & notissimum ejus de nostro Salvatore latum testimonium expendit. Posterior chronologiam Josephi, qua in libris suis usus est, cum illa codicis Hebræi & LXX confert. In priori observat, quod Josephus, impleto de Imperatoria dignitate Vespasiano conferenda vaticinio, Vespasianum pro Messia venditaverit. In qua opinione deinde confirmatus est, cum in palatium Vesp. receptus & stipendio annuo auctus, Judæos dispersos, Hierosolymam destructam & vasa sacra in templis Jovis Capitolini & Pacis deposita cerneret. Cum vero Messiam suum absque caractere a Prophetis prædicto discessisse comperisset, mutasse sententiam & latitudinarium egisse, sententiisque sapientum de excellentia virtutis & religione divinæ naturæ convenienti subscripsisse. Inde quoque factum pergunt Noster, quod dubitaverit, utrum Judæi ab Ægyptiis, an vero hi ab illis circumcisionis ritum acceperint, Deumque sine circumcisione coli existimaverit. Sic quoque eundem in medio reliquisse, utrum Israelitæ speciali Dei providentia, an vero casu naturæ mare rubrum transierint, uti Alexandro in Pamphylia contigit. Eadem mente de descensu Dei



Dei in montem Sinai, de divina auctoritate legis Mosaicæ, de Jona a balæna absorpto, de Nebucadnezare in deserto vivente, eundem locutum esse. Hanc mentem non solum Romanos, quibuscum vivebat, formasse, sed Essæorum sectam, quam reliquis præferebat, quæque proxime ad Christianorum mores accedebat, ideoque a nostro Salvatore nullibi reprehensa est, eandem antea finxisse Cl. Auctor existimat. Quare a Josepho non alienum putat, quod de nostro Salvatore tulit, testimonium. Uti enim aliarum sectarum opiniones, prout easdem scriptas invenerat, fide dignas retulit, nec Joannis Baptistæ, nec Jacobi fratris Christi oblitus est, nullam esse putat rationem, cur ex mente Christianorum nullam Christi mentionem injecisset. Præterea ad hanc sententiam multos ex Patribus, qui Josephi locum allegarunt, accedere Noster ostendit, & ad consensum tam Græcorum omnium, quam Hebræorum codicum Josephi Gorionis a Baronio, Roberto Canuto, P. Fagio, Morosyno inspectorum provocat, qui omnes iisdem verbis Josephi locum retulerunt. In altera Dissertatione Cl. Vir in Chronologiam Josephi inquit, & annotat, quod ille quandoque codicem Hebræum, quandoque LXX senes secutus sit, quandoque vero ab utrisque recesserit. Percurrit itaque singulas a mundi Creatione usque ad XIII annum Domitiani periodos, numerosque partim ex auctoribus antiquis, qui Josephum adduxerunt, partim ex aliis Josephi locis indubiis corrigit, tandemque sequentem Chronologiæ Josephianæ ordinem construit.

Ab Adamo ad mortem Mosis	2993
ad Templi ædificationem	552
ad ejusdem destructionem per Nebucadn.	470
ad Captivitatem Babylonicam	70
ab I anno Cyri ad XII Neronis	639
ab hoc ad XIII Domitiani	28

Summa 4752.

Ne vero Chronologiæ huic Codex Hebræus obsit, subjecit appendicem, in qua Cod. Hebræum a Judæis corruptum, & imprimis periodum a Diluvio ad Abrahamum imminutam esse af-



firmat, partim ut Judæi traditionum seriem facilius deducerent, partim ut salvam servarent Eliæ traditionem, qua Messiaë annos principio quarti Millenarii incepturos esse prædicitur; partim ut Melchisedecum & Semum eundem fuisse evincerent, Pauloque contradicerent, & quæ sunt alia ejus generis plura.

*HADRIANI RELANDI ANTIQVITATES  
Sacra veterum Hebræorum breviter  
delineata.*

Trajecti Batavorum, apud Guil. Broëdelet, 1708, 8.

Plag. 19.

**M**ultis jam, & egregiis, ingenii monumentis id assecutus est Hadrianus Relandus, V. C. ut literarum, quas extulit Oriens ac perfecit, peritia & exercitatione multum eminere censeatur. Quam ne quis intra sola linguarum elementa substituisse opinetur, vel parvo hoc specimine, quod raptim quidem, uti ipse haud diffitetur, in usum studiosæ juventutis, cui hæc uberius publicis scholis exponere solet, concinnavit, luculenter ostendit, quantum studium, quamque felicem operam, in evolvendis abstrusæ illius reconditæque antiquitatis Judæorum sacrae monumentis collocarit. Opus est omne divisum in Partes IV, quarum in prima de locis sacris, secunda de personis sacris, tertia de rebus sacris, & quarta denique de temporibus sacris agitur.

Sic in prima parte Noster tum generatim differit de Terra Sancta ejusque urbibus, imprimis Hierosolymis, fluviiis & montibus illustrioribus, tum speciatim de tabernaculo, temploque primo & secundo, de quibus quidem ita agit, ut ad secundum imprimis respiciat, tum de atriis, quorum alterum *interius*, quod sacerdotibus proprium, alterum *exteriorius*, quod populo relictum & duplici spatio distinctum fuit, ita ut separatus mulieribus & viris locus relinqueretur; demumque de Synagogis earumque Rectoribus, ministris, aliisque, quæ huc referri poterant.

In recensendis Personis Sacris a Pontifice Maximo auspiciatus, ejus munus, vestitum, jura circa matrimonium ac luctum,

fuc-



successionemq; prolixius describit, docetque, Pontificis dignitatem, stante secundo templo, certissimo Messiaë advenientis indicio, nimium quantum elevatam esse & obsoletam. Quibus porro dignitatis gradibus distincti sacerdotes fuerint, ostendit, ac de sacerdotum in XXIV Ephemerias, Ephemeriarumque in VII familias divisione, vestibus item, conjugis, tonsura, ceterisque requisitis eorum disquirat, ubi & *Virorum stationis*, legumque ab iisdem observatarum, meminit, tandemque munus etiam & operas sacerdotum quotidianas explicat. Ad Levitas deinde progreditur, & de his varia observat notatu digna, cumque ex sacerdotibus & Levitis confessus judicium potissimum constarent, simul quoque de Synedrio M. agit, totamque ejus historiam exponit. Inter personas sacras, Reges quoque recenset, & quales eligendi, utque ungenti fuerint, disceptat, additque de Regibus non unctis, de jure & officio regio, ejusque autoritate. Postremo de Prophetis deque sectis post Prophetas exortis, Sadducæorum nempe, Baithosæorum, Karæorum, Pharisæorum & Essæorum, exponit, additis sub finem de Naziræis nonnullis notatu dignioribus.

De Rebus Sacris ita commentatur, ut primo de sacrificiis, ritibusque singulis sacrificiis communibus, deinde de holocaustis, de sacrificiis piacularibus, deque sacrificiis pro delicto agat, ubi variis de differentia inter *חֲטָאתֵי* & *חֲטָאתֵי* sententiis recensitis, omnem difficultatem apta Josephi Philonisque cum sacris Literis conciliatione tollit. Tum ad sacrificia salutaria pergat, quæ vel privata, vel publica, additque oblationem primogenitorum, decimas animantium & Agnum Paschalem, Festa quoque ac libamina, ceu sacrificia minus propria, primitias item, decimas, & vota considerat, sigillatim votum Jephthæ (cujus filiam non mactatam, sed perpetuæ virginitati devotam, multis argumentis confirmat) & temerariam voti Pharisæici formulam ex Matth. XV, ii accurate considerat.

In describendis Temporibus Sacris ita tandem versatur, ut nonnullis de annis & mensibus præmissis, de Festis, Paschate nimirum, Festoque Azymorum, ubi Christum eodem die, quo Judæi consueverunt, Pascha celebrasse evincit, tum de Penteco-



stilibus, deque Festo Tabernaculorum, quæ majora Festa appellabantur, de die porro expiationis, de Festo novi anni, clangore buccinæ indicto, de Noviluniis, deque Sabbatho agat, ubi & quid *σάββατον δότερον* Luc. VI notet, aliaque curiose observat; additque demum nonnulla de Anno Sabbathico, de Jubilæo, de Festo Purim, de Festo item Encæniorum, & *Ξυλοφορίας*, & denique de Jejuniiis.

*ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN  
Jobum, in quibus plurima hætenus ab Interpretibus  
male accepta ope linguæ Arabicæ & affinium illustrantur  
ab ALBERTO SCHULTENS,  
Groningano.*

Trajecti Bat. apud Guilielmum Broedelet, 1708, 8.

Plag. 15.

**D**ifficillimum, quem Sacer Codex continet, Jobi librum Cl. Schultens, Arabica imprimis lingua adjutus, hoc libello explicare annisus est, quod Hieronymi, aliorumque interpretum suffragio ille sine linguæ Arabicæ peritia haud intelligatur. Quæ opera uti fructu suo non caret, sic quoque a Cl. Relando, cui Orientalium linguarum cultores multum debere modo ostendimus, præmissa operi epistola probata & commendata est. Sed quo successu telam Noster pertexerit, ex speciminibus nonnullis patebit. Verba cap. IV v. 18 *ובמלאכיו ישים תהלה* quæ vulgo vertunt, & *in angelis suis ponit stultitiam*, vel ut alii malant, *splendorem*, (utrumque enim sensum *תהלה* admittit) Noster hoc sensu transtulit: *Deus in angelis suis animadvertit vanitatem*. Quod *ישים* animadvertit significet, ex Jes. XLI, 20 probat, & *תהלה* ex *תהלה* quod Golio teste cum *תהלה* *vanus fuit*, convenit, *vanitatem* vertit. Neque infeliciter cap. XXXVIII v. 37 verba *נבלי שמים מי ישכיר* quæ Hieronymus transtulit, *concentum cæli quis dormire faciet*, enodavit. Rejeto enim veterum Philosophorum & Platonis de concentu musico & harmonia cælorum commen-

to,



to, vocem **וּשְׁכַיִב** ex Arabica significatione Kimchii auctoritate firmata, per *effundit* exponit, & talem sensum restituit: *Utres cælorum* h. e. *nubes, quis effudit.* Manum quoque admovit, verbis cap. XL v. 17 de Behemoth dictis **יִחַפֹּץ זָכָר כְּמֵר כֶּדָר** in Vulg. versis: *Stringit caudam quasi cedrum.* Vocem **זָכָר** *caudam*, quam quidam perperam de falace interpretantur, cum Guffetio de Elephantis proboscide explicat, verboque **יִחַפֹּץ** ex **حَفِض** *inflexere*, cum Bocharto significationem restituit, ut sensus sit: *inflexit vel projicit proboscide sua ipsas cedros.* Quæ interpretatio fortasse magis arrideret, si **כְּמֵר** sicut recte exprimeret. Quare proboscide retenta, & **יִחַפֹּץ** cum LXX & Aben Esra per *erigit* explicato, forte ita verteres: *erigit proboscidem suam sicut cedrum.* Subnectit Autor Cl. specimen observationum Arabicarum in Vet. Testam. e quo illud tantum producemus, quod Autor de sensu **צֹהַר** Gen. VI, 15 in cujus explicatione a multis hæctenus aberratum est, observat. Deus Noacho injunxerat ut **צֹהַר** *faciat arca*, quam vocem quidam de *fenestra*, alii de *margarita splendente*, alii de *lumine* dictam esse putarunt. Noster Cl. Interpres vero ea voce *tectum* notari existimat, significatione apud Arabes frequenti. **ت** enim **ب** in **ط** mutato, *dorsum*, & deinde *quavis rem elatam* v. g. *tectum*, uti **גַּב** Hebræorum, denotat. Qua occasione quoque observat, quod **קֹבֵה** Num. XXV, 8 quod Luth. *einen Zuren-Winckel* vertit, cum Arabico **كَبَّة** Alkobba Hisp. Alcoba Belg. Alkove conveniat, & tectum cameratum, quo lectus circumdatur, significet.

*ANNOTATIONES PHILOLOGICÆ IN NOVUM Testamentum, ex Xenophonte collectæ a M. GEORGIO RAPHELIO, Athenæi Luneburg. Joh. Con-Rect. Cum Additamento in Vet. Testamentum. Accessit Prefatio JOANNIS FECHTII, D. qua differitur de stylo Novi Test. ejusdemque cum profanis Scriptoribus conferendi studio.*

Hamburgi, apud Christianum Liebezeit, 1709, 8.

Constat Alph. i pl. 5.

D d

In



**I**N Præfatione Theologus summus, Joannes Fechtius, enarrata controversia, olim de stylo Novi Testamenti agitata, hodie quidem ait inter utramque controvertentium partem non amplius ullum esse dissensum, nisi quod, quicquid pars una Hebraïsmorum numero computat, id altera non omne concedat, sed vero puroque Græcismo adnumeret. Indubitatum interea inter utramque esse, quicquid est extra Hebraïsmos, aliasque peregrinas, easque rariores locutiones, id non minus pure Græcum esse, quam sunt omnia profanorum Græcorum scripta, quæ ea temporis ætate exarata fuerunt. Ex quo ultro profuat, si Græca sit Novi Testamenti scriptura, eandem quoad λέξις & linguæ locutionumque genium, ex aliis Græcis scriptoribus intelligi, exponi & illustrari posse, non secus, ac Latini ex Latinis, & Græcorum scriptorum alii ex aliis per similitum phrasium modorumque loquendi collationem lucem accipiant & explicationem.

Auctor vero cur Xenophontem potissimum sibi delegerit, quem cum Novo Testamento conferret, rationem reddit, hanc in Dedicatione pag. 8, quod solus is, seu doceat Aristides, Rhetor Græcus, in affectatam ubique servet simplicitatem.

Ex ipso opusculo ut pauca, eaque paucis excerpamus, cum locum Matth. III, 7 vidisset a nonnemine ita exponi, quasi Pharisæi & Sadducæi ad baptismum Johannis accessissent, non ut ab ipso baptizarentur, sed ut baptismum ejus se opponerent, accepta præpositione ἄντι in significatione *contra*: ipse communem tuetur sententiam, & rationibus allatis, & exemplis ex Xenophonte adductis, in quibus ἄντι τι εἰσχεῖται est *accipiende alius rei gratia venire*. Ut Cyropæd. Lib. I πρὸς σε ἦλθον ἐπ' ἀργύρου, *ad te veniebam argenti petendi causa*. Oecon. ἄντι πῦρ εἰλθεῖν, *ignis petendi causa venire*. Cum de verbo ἄντιπροκειν dissenserint Cleanthes & Chrysippus, veteres Philosophi Græci, ipse ad Matth. V, 33 ex Xenophonte ostendit, verbum hoc & de eo dici, qui id, quod juravit, non præstet, & qui contra animi sententiam juret. Ad Matth. XIII, 11 phrasin, οὐκ ἔστιν δέδοται γινῶναι, docet unam ex elegantioribus Novi Testamenti esse, ac propterea opus non esse cum Grotio ex Hebræo



sermone ejus petere explicationem. Ad Luc. XII, 29 annotat, μελεωρίζεσθαι probabiliter dici posse eum, qui animum occupet inutilibus & dubiis cogitationibus de victu, cultu opibusque comparandis; quod μελέωρα apud Xenophontem appellantur τὰ ἀνώφελεσθα. Σκηνῶν etiam eos dici annotat, qui eodem utantur contubernio, cibumque una capiant sive conviventur. Quam verbi hujus notionem non male loco Joh. I, 14 convenire censet cum Brentio. Joh. XIII, 34 καινὸς νόμος vocari posse arbitratur respectu eorum, qui iisdem non obtemperent. Ita enim & Lycurgi leges a Xenophonte dici, utut antiquæ sint; tamen nunc quoque recentes esse aliis, qui eas quidem laudent, servare autem nolint. Ad Act. XVII, 18 δαιμόνιον nominari demonstrat quodcunque ens divinum, idque vel Deum ipsum, vel opus divinum. Cum igitur hoc loco & Dei, nempe Jesu, & operis divini, resurrectionis, fiat mentio, utrique rei significandæ nomen hoc in multitudinis numero adhiberi statuit. Act. XIX, 19 εὐρεῖν, inquit, usurpatur de pretio rerum venditarum in summam redacto. 2. Cor. XI, 6 quo sensu Paulus se idiotam sermone dixerit, ex Xenophonte declarat, qui & ipse idiotam se fateatur, cum sit eloquentissimus. Col. II, 18 ἐμβάτευων interpretatur *inquirens, investigans*, allato loco Xenophontis, in quo hæc habetur significatio, quæ adhuc animadvertenda fuerit neque ab Interpretibus, neque a Lexicographis, quos sibi quidem inspicere licuerit. Phrasin τὰ πρὸς τὸν Θεὸν Hebr. II, 17 de universo Sacerdotum aut Pontificum ministerio exponit, quo illi erga Deum funguntur, imprimis de sacrificiis. Quo loquendi genere Xenophon utitur de Rege Lacedæmoniorum, qui, quod ipse sacrificarit, ἱερεὺς τὰ πρὸς τὰς θεάς dicitur. Ad locum 1 Petr. II, 12 ἐν ἡμέραις Ἰπισκοπῆς tradit, in Græcis urbibus custodes legum fuisse constitutos, qui publicam morum censuram egerint, & legibus parentes laudarent, adversus eas delinquentes puniverint. Qui νομοφύλακες & Episcopi fuerint vocati. De horum ergo Episcoporum similiumve Magistratuum publicis, non aliorum quorumvis privatis judiciis arbitratur Petrum hic loqui, atque ἡμέραν Ἰπισκοπῆς vocare eum diem, quo Episcopi isti munere suo censorio fungantur,



cognitisque hominum factis vel præmia decernant vel poenas. Ex Additamento in Vetus Testamentum unam hic sufficiat exhibuisse annotationem ad 1 Paralip. XXIX, 7, ubi אַרְכִּי־רָפָאֵל Raphelius existimat esse *Daricos*, quod in Hebræo verbo eadem sint, quæ in Græco litteræ. Daricum autem fuisse genus nummi aurei Persici, cujus aliquoties mentionem faciat Xenophon, qui idem tria millia Daricorum dicat esse decem talenta. Nec mirum cuiquam videri posse censet Auctor, Esram, qui communi omnium opinione Paralipomena scripserit, postquam Babylone Hierosolymam rediisset, Persico vocabulo usum. Quis enim dubitet, quin Judæi ex Persia Persicos nummos secum in patriam retulerint, præsertim cum relatum legamus Esr. II, 69, Nehem. VII, 70, 72, ingentem Daricorum summam ab ipsis collatam fuisse ad Templum restituendum, murosque reficiendos, postquam recens ex Persia facti essent reduces.

## TRAITE' SUR LA PRIERE PUBLIQUE, &c.

i. e.

*TRACTATUS DE PRECIBUS PUBLICIS,  
itemque alter de officiis illorum, qui S. My-  
steria offerunt.*

Parisiis, apud Jacobum Stephanum, 1708, 12.

Alph. 1.

**I**Ncredibili cum applausu recepti sunt duo hi libelli, atque intra breve spatium sæpius recusi, quorum Auctor, quem Abbatem *du Guet* vocari fama est, dolens de publicis corruptelis, iisque in cultu divino præsertim observandis, studet malo isti inter Gallos occurrere, & Sacerdotes cum primis ac Canonicos ad meliorem frugem perducere. In priori quidem Tractatu cum Canonicis agit, qui precum publicarum & horarum Canonicarum multitudine ac longitudine oppressi & velut delassati, eo quo decet ardore animique impetu easdem perficere nequeunt. Noster, postquam monuisset, consultius acturos fuisse majores, si precum istarum molem ad naturæ humanæ imbecil-



litem attemperassent, Canonicis multa bene copioseque in memoriam revocat, quorum serâ meditatione a torpore revocari, ac identidem refocillari ipsorum ardor possit, v. gr. quod precando canendoque Angelorum munia gerant, atque illis defungantur laboribus, quibus cœlites æternum occupati erunt, ut adeo quasi tirocinia æternæ vitæ hic ponant. Deinceps consilia plurima suppeditat viasque commonstrat, quibus excitari precum quotidianarum zelus possit; v. gr. spiritum precum a Deo expetendum, amoris ac reverentiæ seræ erga Deum operam dandam ipsasque animi dissipationes ac suborta tædia in quotidianæ poenitiæ pabulum convertenda esse. Multa hic bene utiliterque cogitata interspergit, quale est illud p. 245, lacrymas sinceras, ex demisso ac amoris pleno corde exortas, incredibilem usum habere, præstantissimumque esse contra superbiam & duritiem animi remedium: & istud alterum, p. 144 peccatoris cujuslibet, non secus ac ægroti, respirationes singulas suspiria ad Deum esse debere, quibus opem ac medicinam expetat.

Altero libello alloquitur Sacerdotes sacrificium Missæ, quod vocant, oblatores, & sæpenumero proleterie leviterque illud præstantes. Quæsitus enim ab amico, num quotidie Missam facere consultum sit? in eo fere est, ut aliquando parcius id faciendum suadeat. His dictis, dispositiones animi enarrat, quæ Sacerdotem Missam facturum deceant, ut videlicet reverentia, fide, castitate, paupertate, zelo aliisque virtutibus emineat, in quibus commendandis non lavat laterem, sed copiose, emphatice ac eleganter hæc præstat. Monet præterea, ut perpeffionem Christi diligentissime meditetur, atque ad martyrium se disponat. Denique ad ipsum Missæ actum ista applicat aliquot sectionibus, jubetque, ut in illo pro Judæorum etiam conversione seræ supplicationes fiant. Narrat pag. 35, Hieronymum Bignonium, magnum inter Gallos nomen, noluisse occupare locum honorificum, qui ipsi muneris causa in templo assignabatur, atque in turba sacros sermones intermixtum pauperibus auscultasse, ac affirmasse, se ibi sentire plurimos gratiæ salutaris motus, quorum in isto honoris causa



assignato loco expers sit. De consideratione Christi, qua ejus mysteria, exempla & doctrinam ejus cum primis exquisite dissertit, multaque & dignissima lectu, & animum pie commoventia adducit.

In Præfatione secundi Tractatus disceptat cum Anonymo, qui Reflexiones contra hos libellos edidit, atque Auctori hæresin imputare studuit, quod videlicet doceat, gratiæ interiori resisti non posse, cum scripsisset, amore Dei abuti neminem posse. Hic Noster amorem ab auxilio gratiæ distinguit, suamque formulam Augustini auctoritate munit. Ceterum & nova adversus Auctorem Satyra, eaque acerrimo sale conspersa, prodiit superiori anno Bruxellis, ut audivimus, hoc titulo: *Sentimens critiques d'un Chanoine avec la Reponse sur divers Traitez de Morale à l'Auteur du Traité de la Priere.*

## EXAMEN DES SEPTANTE SEMAINES de Daniel &c.

i. e.

### *EXAMEN LXX HEBDOMADUM DANIELIS, Voti septuaginta & Decreti Apostolici Act. XV.*

Amstelodami, sumptibus Stephani Rogerii, 1708, 8.

Constat plag. 17.

**E**X tribus his Dissertationibus, quarum Autor vulgo perhibetur *le Blanc*, verbi divini apud Hafnienses Minister, prima versatur in excutiendo illustri illo oraculo Dan. IX, 24 - 27. Cumque initium LXX hebdomadum h. e. annorum 490, (juxta consuetam Judæorum computationem, de qua agitur p. 41, 42) a mandato quodam Regio deducatur v. 25, Noster hic neque cum Scaligero, Helvico & Calvisio edictum Darii Efr. VI, 3, neque cum Funccio & Bulcholzero prius illud Artaxerxis, quod legitur Efr. VII, 12, sed posterius, quod juxta Neh. II, 1 anno XX Regni ejus promulgatum est, significari probat p. 90. In quo fere Petavii sententiam sequitur, sed aliquo modo correctam, ita,



ita, ut finis Periodi Propheticae non, ut ille rationes subducit, in tertium, sed in septimum a Christi morte annum incidat, p. 108 seqq. Nam toto intervallo, (non, ut vulgo יצ"ח illud explicatur, in medio) hebdomadis ultimae, post Messiam excisum, foedus, juxta praedictionem v. 27, cum multis, (Judaeis scil. Samaritanis, Gentilibus) confirmatum, cultus Leviticus in vera Ecclesia abrogatus & abominationes desolantes usque ad interitum urbis duraturae, in pinnaculum templi illatae sunt, ut ex prioribus XI capp. Act. & Josephi de Bell. Jud. c. 4, 5 apparet. Hinc tandem invicta adversus Judaeos argumenta deducuntur, & praecipuae illorum objectiones refutantur.

In secunda Dissertatione Autor eorum sententiam defendit, qui filiam Jephthae non ad mortem sed coelibatum condemnatam fuisse, arbitrantur. Itaque votum ejus Jud. XI, 31 etsi qua priorem partem: **וְהָיָה לַיהוָה** absolutum, qua posteriorem tamen: **וְהָעֵלִיתָהּ עוֹלָה** hypotheticum fuisse, contendit, si scilicet victima holocausto idonea primum occurreret. In filia autem non nisi prius locum habuisse. Nec aliter illud, quam per coelibatum, solutum esse, diserte indicari v. 39: *Et fecit ei juxta votum suum, & illa non cognovit virum.*

Ultimo loco decretum Apostolicum Act. XV in duabus Epistolis explicatur. Prior exponit, qua de causa scortatio h. l. quasi inter indifferentia prohibeatur? idque factum esse dicitur, propter Paganos recens conversos, qui praeter polygamiam, ipsis Judaeis eo tempore probatam, scortationem quoque, non sine justa horum offensione, sibi licitam esse putarint. Fuisse autem legem hanc non minus ac illam de sanguine & suffocato, temporariam & nascenti tantum Ecclesiae latam, cum haec postea confirmata non tantum scortationem, sed simul etiam polygamiam interdixerit. In posteriori Epistola autor id agit, ut Christianos praeepto de sanguine & suffocato non amplius teneri, demonstret. Quare cum ea, quae potissimum ex Gen. IX, 4 & Lev. XVII, 11 objiuntur, diluit, tum sententiam suam ex Gal. V, 1, Act. XV, 1, 1 Corinth. X, 25, 1 Tim. IV, 4, Tit. I, 15, aliisque Scripturae testimoniis & argumentis confirmat.



*REDIVIVUS INGENII PARTUS, SEU D.  
Justiniani Imp. Quinquaginta Decisiones præcipuis  
controversiis ex universo Jure communi desumptis solide  
illustrata, juriq̄ue Bavarico passim accommodata, per  
DOMINICUM BASSUM, J. U. D.  
Prof. Ingolstad.*

Viennæ, apud Johannem Martinum Eslinger, 1708, 4.

Alph. 2.

**Q**uinquaginta Justiniani Decisiones, quarum meminit *Constit. de emend. Cod. §. 1.* Doctorum ingenia sæpe exercuerunt, cum res hæc satis sit involuta, sive decisionum illarum notas aut criteria, sive numerum, sive exempla, vel species, sive valorem intuitu Pandectarum consideres. Non inutilem ergo se positurum esse operam existimavit quondam Consultissimus Autor, si diligentius in hæc inquireret, qua in re ita versatus est, ut libertate Academica usus, non tam quid aliis placuerit, quam quid veritati maxime convenire sibi videretur, adprobaret. In Præfatione generalis ac scopo imprimis conveniens de quinquaginta illis Decisionibus instituitur disquisitio. Primo igitur eam dignoscendi Decisiones has ab aliis constitutionibus notam, quæ ex subscriptione Consul. Lampadii & Orestis, illæ æstimantur, rejicit Noster, ac ex argumento quod tractant, illas potissimum dijudicandas esse censet ea ratione, ut illas leges Codicis, quibus controversiæ priscorum Actorum deciduntur, in numerum quinquaginta Decisionum saltem referamus. Neque tamen hoc ita generaliter accipiendum, sed specialius nonnihil circumscribendum est. Nam illæ decisiones quæ Codicis primi editionem antecesserunt, huc non pertinent, quemadmodum nec illæ in hunc censum referendæ, quibus controversia aliqua tempore Justiniani demum exorta componitur, vel quædam Veterum distinctiones & differentiæ, vel generalis aliqua dubitatio tolluntur; ut adeo omnis res huc demum redeat, illas tantum leges Codici repetitæ prælectionis insertas, quibus speciales controversiæ, quæ inter veteres juris auctores, ante Justiniani tempora in vivis a-

gen.



gentes, disceptatae fuerunt, dirimuntur, in classem quinquaginta Decisionum esse referendas. Num autem per hasce Decisiones juri Pandectarum derogetur, deinde quaeritur, & licet nonnulli hoc negent, ideo quod pleraeque ante Pandectarum confectio- nem sint editae, Noster tamen id rectius affirmat, cum Decisio- num illarum tempus non ex promulgatione separatim quoad singulas, sed conjunctim quoad omnes in Codice repetitae pra- lectionis facta judicandum sit, quo sensu illae utique legibus Pandectarum sint posteriores, adeoque hisce derogare queant. Illud parum expeditum est, num praecise omnes quinquaginta Decisiones, nec plures nec pauciores, Codici nostro insertae sint. Nostro interim prius probabile videtur, conficiendo tamen nu- mero quinquagenario censet, nonnunquam leges, sub diversis licet rubricis contentas, sed uno eodemque tempore ad eundem Praefectum Praetorio emissas, & de una eademque materia tra- ctantes, conjungi ac pro una Decisione haberi debere. In re- praesentando autem Decisionum catalogo interpretes parum con- veniunt, cum alium proponat Cagnolus, alium Eguinarius Ba- ro, ac iterum longe alium Edmundus Merillius, ex eoque Wil- helmus Ludwel, nec non Johannes Strauchius, & rursus alium Franciscus Linglois. Noster igitur neminem ex asse secutus proprio Marte catalogum adornat, ea ratione, ut ex inscriptio- ne, subscriptione, anno & decisionis nota e. gr. *licet antea du- bitabatur, sancimus*, singulas Decisiones aestimaret, atque ita numerum quinquagenarium conficeret. Non ingratum forte Lectoribus erit, si catalogum illum breviter hic exhibeamus. Prima igitur Decisio, ex sententia Nostri, est in *l. pen. de pact.* secunda in *l. fin. de N. G.* tertia in *l. ult. qui & adv. quos,* quarta in *l. fin. ubi & apud quem,* quinta in *l. 35 §. 1 de inoff. te- stam.* sexta in *l. 12 de usufr.* septima in *l. 13 eod.* octava in *l. 14 eod.* nona in *l. 15 eod.* decima in *l. 17 eod.* undecima in *l. 16 eod.* duodecima in *l. fin. de servit. & aqu.* decima ter- tia in *l. fin. de reb. cred.* decima quarta in *l. pen. de con- dict. indeb.* decima quinta in *l. fin. eod.* decima sexta in *l. ult. per quas pers. nob. acquir.* decima septima in *l. fin. ad*



*SCt. Maced.* decima octava in *l. 24 ad SCt. Vellej.* decima nona in *l. fin. de contrab. emt.* vigesima in *l. ult. de de pact. inter emtor & vend.* vigesima prima in *l. 24 de nupt.* vigesima secunda in *l. 25, 26. eod.* vigesima tertia in *l. ult. de dot. promiss.* vigesima quarta in *l. ult. arbitr. tutel.* vigesima quinta in *l. pen. de curat. furios. l. 9 qui testam. fac. poss.* vigesima sexta in *l. 20 de furt.* vigesima septima in *l. 21 eod.* vigesima octava in *l. 22 eod.* vigesima nona in *l. pen. de impub. & al. subst.* trigesima in *l. ult. eod.* trigesima prima in *l. 4 de necess. her. instit.* trigesima secunda in *l. 5 eod.* trigesima tertia in *l. 3 de posth. hered. instit.* trigesima quarta in *l. ult. eod.* trigesima quinta in *l. 20, 21 de jur. delib.* trigesima sexta in *l. 23 de legat.* trigesima septima in *l. 24 eod.* trigesima octava in *l. 4 de rer. & verb. signif.* trigesima nona in *l. pen. de fideicom.* quadragesima in *l. 3 pr. §. 1 comm. de legat.* quadragesima prima in *l. ult. de condit. insert.* quadragesima secunda in *l. pen. §. 1 ad SCtum Trebell.* quadragesima tertia in *l. ult. ad SCt. Orphit. l. 14 de fideicom. libert.* quadragesima quarta in *l. pen. & ult. de fideicom. libert.* quadragesima quinta in *l. 1 & 2 comm. serv. manum.* quadragesima sexta in *l. fin. de præscript. long. temp.* quadragesima septima in *l. 2 de prætor. pign.* quadragesima octava in *l. ult. de remiss. pign.* quadragesima nona in *l. 13 de contrab. & commit. stipul.* quinquagesima in *l. 10 de adopt.* Singulas deinde Decisiones commentario satis prolixo illustrat. Consultissimus Autor, in iis vero evolvendis in id se præcipue intendisse ait, quo quælibet quæstio, quæ principaliter in illis tractatur, tactis plerumque dubitandi rationibus, enodaretur, ac subinde ex materiis connexis subtiliores controversiæ adjicerentur.

**RELATIO DE SECTIONE JOHANNIS BAYLES, 130 annos nati, per D. JACOBUM KEILL.**

Translata ex Transact. Philosoph. Anglicanis  
Anni 1706 N. 306 Sect. VIII.



**J**ohannes Bayles, Northamptoni degens & nodulis pro vestibus constringendis operam navans, centum & triginta annos natus creditus, ad vicinas nundinas iter pedibus constanter conficiebat, ultimos si exceperis annos, quibus ob decrepitam ætatem vehi se illuc curabat. Cibis utebatur promiscue; corpus obtinebat admodum emaciatum, carnemque duram, ita ut musculi externi per cutem transparenterent.

Post mortem ejus abdomine aperto viscera cuncta in legitimo loco posita, paulo tamen pallidiora erant, omentum exile, stomachus flatibus distentus, ejusque fundus, ubi lieni cohærebat, valde tenuis, membrana vero interior omnibus plis destituta; hepar pallidum, sanæ tamen constitutionis, vesicula fellis ampla; lien vix alterutrum renum magnitudine æquabat; renes sani conspiciebantur, nisi quod in dextro exile granum fabuli lutei reperiretur. Intestina optime constituta; mesenterium pinguedine refertum; cartilagine sterni justam duritiem obtinebant. Costæ fragiles erant, cum enim uni modice incumberem, frangebatur. Pulmones pleuræ affixi, alias spongiosi, albicantes, nigris tamen hinc inde maculis sanguineis interstincti. Thoracis cavitas ampla. Cor magnum, crassum, pinguedine refertum. Et licet alias exilis staturæ vir esset, diameter tamen aortæ, antequam carotides inde propullarent, duos æquabat pollices, quod nunquam me observasse memini. Aorta in abdomine & iliacæ arteriæ maximam partem cartilaginosa erant. In interiori duræ matris parte prope falcem exilis ossificatio conspiciebatur. Cerebrum præter morem firmum & solidum existebat, & dum secabatur, vix cultri latera humectabat, ejusque ventriculi sero scatebant. Vir hic aliquot abhinc annis oculorum usu privatus erat, auditu vero ad mortem usque integro gaudebat. Genitalia, testiculos & penem sat ampla habebat.

Absque dubio debilitas ventriculi & durities aortæ mortis causa in eo existebat. Tunicæ enim ventriculi usque adeo tenues erant, ut nec aerem exprimere potuerint, unde necessario digestio fuit abolita. Per aliquot annos nihil alimentorum solidorum assumerat, sed cerevisia tenui, pane, butyro & sac-



charo contentus vivebat. Adhæc nec sanguis debito modo circulari poterat ; siquidem arteria magna, perdita propter cartilaginofam substantiam elasticitate, sanguini motum impertire debitum potens non erat. Et forsan hæc ipsa causa fuit pulsus irregularis & intermittens, quam ab aliquot annis in eo observaveram. Notandum insuper venit, quod maxima sanguinis pars (cujus copia major erat, quam sperabam) in arteriis contineretur, cum in aliis cadaveribus arteriæ vacuæ, venæ eo repletæ inveniantur. Arteriæ enim a sanguine, per ultimam cordis systolen ad eas pulso, distentæ elasticitate sua naturali contrahuntur, & ad venas eundem projiciunt, per quas hic non revertitur ; in nostro autem sene arteria magna post deperditam se contrahendi vim sanguinem retinuit, quem ab ultima cordis systole receperat.

Circumstantiæ hæc pleræque conveniunt, mortem si excipias, cum relatione famigeratissimi Harvei de sene Parre dicto ; præ reliquis tamen lienis exilitas in hisce senibus adnotanda venit ; cujus causa forsan est contractio fibrarum in tam laxis & spongiosis visceribus.

Color albicans viscerum in utrisque pariter eidem contractioni vel arctitudini tunicarum vasorum sanguineorum vel sanguinis penuriæ debetur. Harveus nihil de sanguinis quantitate in suo sene commemoravit. Si vero corpus ejus laceratum, stomachi & appetitus integritatem una cum mortis genere, quo obiit, consideremus, sanguinis penuria nulla adfuit. In nostro vero plus sanguinis inveniebatur, quam unquam vidi in cadaveribus, quorum viscera rubicundo colore erant picta. Et difficulter concipi potest, quomodo aorta absque magna sanguinis quantitate tantam amplitudinem servare potuerit, licet circa alias partes strictior fuerit, quod tamen non adverti. Hinc probabile videtur, albedinem viscerum in utrisque vasorum sanguineorum arctitudini in acceptum esse referendam. Quam opinionem omnino caro & cutis dura, ac cerebrum firmum & solidum confirmant. Forsan dispositio talis quibusvis vasis arctitudinem & duritiem conciliare potest. Hoc verum est, quod is fuerit status præternaturalis, sed talis, qui inter se-



senectutis effectus referendus venit. Quicumque consideraverit, quam mollis sit substantia corporis animalis, a primo ortu, & quam majorem indies acquirat soliditatem, & firmitudinem, ille facile credet, senectutem majorem solito duritiem omnibus fibris & vasis inducere.

Effectus ejusmodi duritiem atque vasorum fibrarumque contractionem necessario insequens est imminutio secretionis, quæ ceteris paribus orificiis glandularum semper respondet. Hinc est, quod senum habitus ordinario siccus sit, imminuta scilicet eorum transpiratione. Ut plurimum etiam alvum habent adstrictiorem; noster senex singulis decem & duodecim diebus eandem semel exoneravit. Imò conqueruntur etiam senes de humiditatis defectu; non quidem quod humidum radicale fuerit consumptum, sed quia secretiones naturales propter glandularum contractionem sunt imminutæ. Dixi jam, quod in hoc sene plus sanguinis invenerim, quam in emaciato ejusmodi corpore expectaveram; & major procul dubio ejus adfuisse copia, si stomachus & appetitus æque validus fuisset in eo, ac in Harvei sene. Plethora vasorum & frequentes rheumatismi atque catarrhi senum necessariam hanc arctitudinis circa tunicas vasorum consequentiam evincunt. In quo conveniunt Institutionum Scriptores, *senes*, dicentes, *ratione partium solidarum frigidos & siccos, ratione excrementorum frigidos & humidos existere.*

Ab hac partium excrementitiarum in sanguine retentione commode deducuntur omnia illa mala plethoram vitiosam & languidum sanguinis motum insequentia. Fibrae enim arteriarum dum sensim indurescunt, quem juvare debebant, impediunt potius cordis motum in propulsando sanguine: imò spiritus animales in cerebri glandulis secretorum quantitas necessario imminuitur, non modo propter congestionem humorum excrementitiorum, verum etiam propter ipsius cerebri arctitudinem & soliditatem, unde necessario contractiones cordis & omnium muscutorum debilitantur, & sanguinis motus consequenter languidus redditur.

Debita conformatio omnium partium vitalium necessa-



ria omnino est ad senium invehendum: duæ tamen sunt potissimum causæ in nostris senibus, quæ dicta symptomata avertendo longam ipsis conciliarunt vitam. Primam cor constituit validum & fibrosum: quodsi enim huic soli effoeti sanguinis magnam quantitatem propulsandi negotium committitur, magnum certe requiritur robur pro eodem per vasa minus activa ad corporis extremitates urgendi & ab eis repellendi. Id quod facilius succedit in statura exili, qualem noster habebat, quam procera. Altera erat pectoris amplitudo & pulmonum integritas, cui debetur, quod aer integrum suum impetum ad singulas sanguinis particulas exercere potuerit; sic enim hic floridus redditur, & attenuatur, quo eo facilius per canales senum contractos transmeare queat.

A MECHANICAL ACCOUNT OF THE  
Non-naturals,

i. e.

*DISCURSUS MECHANICUS CIRCA RES  
Non-naturales; Autore JEREMIA WAIN-  
WRIGHT, Med. D.*

Londini, apud Radulphum Smith, 1708, 8.

Constat plag. 14.

**V**estigia Borelli, Bellini, Pitcarnii, Mead & Cbeynei, qui OEconomiam Animalem juxta principiorum Mathematicorum normam explicare sategerunt, laudatissima feliciter secutus Autor Clarissimus, Rerum non-naturalium sic dictarum nonnullas eadem methodo illustrare & in mutationes, quæ ab aere, diæta &c. corpori humano accedere solent, inquirere in se suscepit. In novem Capita divisus est hic discursus, in quibus de Stomacho ejusque affectibus, de Asthmate, de Tabe, de Hydrope, de Febribus acutis, de Aere, de Balneis, de Cibo & de Potu seorsim agit. Nos speciminis loco, quæ de Balneis commentatus est, breviter recensebimus.

Tria potissimum sunt, a quibus balneorum effectus de-  
pen-



pendent, aquæ scilicet gravitas, frigiditas & humiditas. Cum enim aquæ gravitas aeris gravitatem 800 vicibus superet, mirum in modum alteratur corpus illi immissum, cujus superficies & partes ei adjacentes primum impetum & maximam vim compressionis sustinent, centrum vero ultimo & in minori gradu afficitur. Inde sanguis a superficie ad centrum seu viscera, ubi ultima est resistentia, majori vi urgetur. Propter hanc compressionem vasa constringuntur, humores dissolvuntur, & apti redduntur, qui per glandulas transcolentur & secernantur, materia insimul viscida vasorum lateribus adhærens avellitur, atque circulatio humorum promovetur; quid? quod cerebrum reliquaque viscera uberiolem inde sanguinis copiam nacta spiritus animales, urinam, bilem, succum pancreaticum &c. lætiori proventu suppeditent, omniaque sic obstacula, dictorum humorum secretionem impediencia, removeantur. Frigus quod attinet, quoniam ei maxima in contrahendo vis inest, inde fibræ contractæ humores omnes majori cum impetu per canales promovent, & quia hac ratione fibrarum tensio augetur, validior etiam & promptior erit harum vibratio, unde necessario sanguis & spiritus attenuantur & subtiliores redduntur. Humiditas denique humectat, lubricitat, relaxat, & flexibiliores reddit omnes corporis partes. Contractio equidem & relaxatio tanquam duæ qualitates contrariæ uno eodemque tempore in eodem subjecto vix locum obtinent, sed frigus mox suas exercit vires, & contrahit fibrillas, quas successive humiditas iterum relaxat. Si quis tamen relaxationem potius quam contractionem fibrarum expetat, calida rectius ingredietur balnea. De cetero non possumus non commemorare, quod Autor Clarissimus istud vestium genus, quod ex Flannel paratur, damnet, quoniam fibrarum tonum nimis laxando hincque insensibilem transpirationem maximopere augendo, vires admodum profternat, quanquam ubi perspiratio promovenda, usum ejus non improbet.





IN PAGINAM 628 TRACTATUS PARISIENSIS  
 nuper editi, cui titulus *Analyse démontrée*, Nota,  
 & monitum ad Tirones Mathe-  
 maticos.

Excerptum ex Epistola F. D. C. A. V.

**A**Nni jam plures sunt, ex quo perspicax Geometra *Bernoulli*, Tractatum de Mechanica Lutetiæ Parisiorum, apud *Joannem Anisson*, typis mandatum pervolvens, synthetico p. 422 in Cycloidis vulgaris isochronismum ratiocinio involutum paralogismum non modo detexit, sed & corrigendum, servata quidem eadem methodo, substituta vero genuina isochronismi demonstratione, sibi proposuit. Tali porro animadversione in his Eruditorum Actis publicata, vix credibile erat inter præmonitos Mathematicos quenquam posthac in eundem errorem incaute deferri posse. Attamen in exquisito *de Analyti demonstrata* opere, apud *Jacobum Quillau*, Typographum Parisinum, anno 1708 edito, de quo in his Actis proximo Mense ex professo agetur, non tantum p. 628 textus, lineis 23 & 24, verum etiam p. 913 Appendicis, lineis 7 & 35, statuitur tempus, quo grave per spatium curvilineum DPG aut DPA, velocitatem naturaliter crescentem  $\mathcal{V}EM$  aut  $\mathcal{V}EA$  adipiscens, descenderet, esse 2 DPG,  $\mathcal{V}EM$  vel 2 DPA,  $\mathcal{V}EA$ : atque inde concluditur, ad invenendam in hypothesi Gallilæana de descensu Gravium curvam isochronam (denominando singulos ejus arcus ab infimo puncto coeptos AG, AP, AD  $s$ ; singulasque rectas verticales correspondentes AM, AB, AE  $x$ ) exprimi per quantitatem  $2s : \mathcal{V}x$ , sive simpliciter  $s : \mathcal{V}x$ , tum (ut habet textus) æqualia tempora descensuum per omnes illos arcus, quare quantitati constanti  $2\mathcal{V}a$  æqualis supponi potest  $s : \mathcal{V}x$ , tum (ut fert appendicis explicatio) rationem singuli arcus ad velocitatem, cum qua deorsum peragratus est, quæ quidem ratio constans æquatur tempori quoque constanti ad percurrendum arcum consumpto; quapropter posita  $s : \mathcal{V}x =$  constanti homogeneæ  $2\mathcal{V}a$  habetur, quæsitæ curvæ æquatio  $s = 2\mathcal{V}ax$ . (I) Hic vos, Studiosi Scientiæ Mathematicæ juvenes, obiter monitos volumus, i quod











ad curvam propositam attinet, non aliud per æquales quantitates  $s:Vx$  &  $2Va$  significari tempus descensus, quam quod omnium hujusce curvæ non arcuum, sed tangentium isochronismum metitur posochronismumque constituit; 2. temporis intervallum, quo grave libere cadens eam percurreret, tale præcise esse, quale a doctissimo *Hugenio* fuit determinatum; 3. nullam in tota Geometria dari curvam, secundum quam (si gravium directiones supponantur parallelæ) corpus motu continue variato descendat tempore, cujus absolute considerati propria expressio sit ratio inter duplum longitudinis curvæ & velocitatem ultimo acquisitam habita.

Primum sic ostendimus. Litera  $t$  significet omnes curvæ propositæ tangentes  $DF$ ,  $GT$  &c. intra ejus convexitatem & contingentem Horizontem  $AQF$  ductas. Quum  $s$  ipsam etiam totam curvam  $AGPD$  repræsentet, notum est nunc apud Geometras  $t$  esse  $\frac{1}{2} ds : dx$ , hoc est (propter  $ds = dxVa : Vx$  ex æquatione I supra) hic  $\frac{1}{2} Va : Vx = \frac{1}{2} s$ . At ex principiis in Mechanica receptis, sicut recta verticalis  $MA$  sive  $GQ$  se habet ad inclinatam  $GT$ , ita tempus casus per  $MA$  ad tempus lapsus per  $GT$ : quod exprimitur Analytice hoc modo,  $x:t = 2Vx : 2t : Vx$ . Ergo quoniam invenimus  $t = \frac{1}{2} s$ , patet esse  $2t : Vx = 2Va = s : Vx$ ; ut erat ostendendum. Omnes igitur curvæ propositæ tangentes, arcuum semisses, isochronæ sunt proprio posochronismo  $2Va$ ; omnes, inquam, motu e quiete naturaliter accelerato, deorsum peragrarentur eodem tempore, quo verticalis data  $a$ ; non item, arcus hujusce curvæ, qui non sunt lineæ rectæ, quanquam certis rectis æquales.

En autem verum illorum arcuum posochronismum uno & altero modo brevissime demonstratum. Sunt  $DPA$  curva in plano verticali descripta, cujus natura æquatione  $s = 2Vax$  exprimitur;  $PGA$  quilibet ejus arcus a quovis puncto  $P$  ad imum  $A$  terminatus, quem grave e quiete in  $P$  casum inchoans percurrere intelligitur;  $Gg$  hujus arcus particula indefinite parva seu elementum  $ds = dxVa : Vx$  ob æquationem;  $AM$ ,  $Am$ , &c. rectæ verticales ordinatis  $GQ$ ,  $eQ$  &c.  $x$  æquales;

TAB. VII.

Fig. 1.

Ff

AB



AB maxima arcus supra Horizontem elevatio  $= \delta$ ; BM altitudo descensus  $= \delta - x$ . Igitur in hypothefi Galilæana velocitas descendendo acquifita  $\sqrt{\delta - x}$  dat instans casus per particulam Gg ubi volueris super PGA sumtam æquale ipfi  $ds: \sqrt{\delta - x}$  five (ex dictis) ipfi  $dx \sqrt{a}: \sqrt{\delta x - xx} =$  manifeste  $\delta dx: 2\sqrt{\delta x - xx}, 2\sqrt{a}: \delta$ . Jam vero si supra diametrum AB descripto semicirculo B<sub>3</sub>LA centrum C habente agantur rectæ Horizontales quam proximæ GHML, gem<sub>23</sub>, secantes hanc diametrum in M & m, circumferentiamque in L & 3: deinde junctis L & C punctis, atque erecta in L super LM normali L<sub>2</sub>, similia efficiantur duo triangula MLC ac 3L<sub>2</sub>, propter angulos rectos in M & 2, nec non propter angulorum æqualium MCL, 2LC complementa CLM, 3L<sub>2</sub> ad rectum, aut CML (intra verticalem & Horizontalem) aut CL<sub>3</sub> (intra radium & peripheriam.) Hinc ut sinus rectus ML  $\sqrt{\delta x - xx}$  ad radium LC  $\frac{1}{2}\delta$  sic lineola 2L seu eG  $dx$  ad L<sub>3</sub> semicircumferentiæ elementum, quod consequenter est  $= \delta dx: 2\sqrt{\delta x - xx}$ , cujus integrale seu ipsamet semicircumferentia dicatur  $\frac{1}{2}c$ . Atqui ex superius ostensis tale elementum ductum in  $2\sqrt{a}: \delta$  æquivalet singulo instanti  $ds: \sqrt{\delta - x}$  descensus per quemcunque curvæ arcum ab infimo puncto coeptum. Integrum ergo hujusce descensus tempus est  $\frac{1}{2}c(2\sqrt{a}: \delta) = c\sqrt{a}: \delta$ . Unde liquet esse sicut diameter  $\delta$  ad semicircumferentiam  $\frac{1}{2}c$  ita tempus casus ex altitudine data  $a$  nempe  $2\sqrt{a}$ , ad tempus descensus a quiete per singulum curvæ DPA arcum PGA, quale sagacissimus Geometra Hugenius primus invenit & veterum methodo demonstravit. Constat autem ratio  $c: \delta$ , daturque quantitas  $\sqrt{a}$  hic dimidium tempus casus ex  $a$ ; igitur propositæ curvæ arcus sunt isochroni, sed speciali posochronismo  $c\sqrt{a}: \delta$  non autem  $2\sqrt{a}$ .

Idem aliter. Repetito schemate, repræsentet AGP quemlibet dictæ curvæ arcum ad imam ejus partem terminatum in verticali plano: 2. Ducta per datum punctum P recta Horizonti parallela PB, quæ verticali AE ex A erectæ occurrat in puncto B; describi concipiatur super AB  $\delta$  semicirculus ALB: 3. Arcus AGP<sub>5</sub> & semicircumferentia ejusdem elevationis

ALB



ALB  $\frac{1}{2}c$  dividi intelligantur in totidem elementa sua Horizontaliter respectiva  $gG = ds$ ,  $3L = \frac{1}{2}dc$ ; quorum omnium ex utraque parte elementorum sola ambo infima AG, AL comprehensa intra easdem Horizontales propinquissimas GL, FA hic considerare opus est. Atqui exiguus arcus circularis AL & subtensa chorda AL media proportionalis inter diametrum AB  $\delta$  & sinum versum AM  $x$  sibi propter indefinitam parvitatem congruunt; quare habetur in  $A \sqrt{dx} = dc$ , & inde  $2\sqrt{x} = dc : \sqrt{\delta}$ . Præterea æquatio proposita  $s = 2\sqrt{ax}$  efficit, ut arcus curvæ infinite parvus & ultimus AG, quoniam ad imum punctum A terminatur, quemadmodum definite magnus quilibet AP, evadat quoque  $= 2\sqrt{x}\sqrt{a}$ , id est, substituto valore quantitatis  $2\sqrt{x}$  ad extremitatem curvaturæ pertinente,  $AG = dc\sqrt{a} : \sqrt{\delta}$ . Velocitas autem acquisita in A descensu per PA e quiete in P est  $= \sqrt{\delta}$  ob altitudinem  $\delta = AB$ : ultimum ergo hujus descensus instans, quod unum est ex omnibus momentis tempus, quo ille descensus durat, componentibus, valet  $AG : \sqrt{\delta} = dc\sqrt{a} : \delta$ , cujus manifesto non aliud extat integrale (propter quantitatem datam  $a$ , arbitrariam  $\delta$  & his constantibus variabilem  $dc$ ) quam  $c\sqrt{a} : \delta$  eadem scilicet, quæ prius, temporis quantitas determinata, satis cum  $c\sqrt{a}$  discrepans.

Porro cum in opere dicto æquatio curvæ physico-mathematice isochronæ invenienda proponatur, sufficiebat 1. ex *Bernulliana* isochronismi demonstratione concludere, constantem dari rationem  $ss : x$ , & ideo æquari datæ quantitati homogeneæ  $a$ , nulla alius cujuscunque significationis habita ratione; 2. ex eo quod per litteram  $s$  portio curvæ ibi exprimi intelligitur, ostendere inventam æquationem  $ss = ax$  propriam fieri semicycloidis, in qua quivis arcus ad verticem terminatus  $AP = s$  medius est proportionalis inter ordinatam exterius correspondentem  $FR = x$  & rectam  $a$  quadruplam axis AE. Nunc si quis tyro quærat, cur  $s$  arcus cycloidales designante, nihilominus  $s : \sqrt{x}$  temporis  $2\sqrt{a}$ , diversi ab eo, quo deorsum percurruntur, expressio esse queat; meminerit, id fieri, non quatenus arcum (curvæ portionem) sed quatenus rectam (tangentiæ duplam) longitudini arcus æqualem hæc litera significat.



Nunquam enim in motu variabili per lineam curvam, sed tantummodo per rectam in certis velocitatibus hypothefibus, veluti Galilæana, quantitas temporis est ratio multiplicis spatii ad ultimam velocitatem: quod quidem hic tertio loco animadvertendum est, & ita potest demonstrari.

Est in plano verticali linea ad Horizontem perpendicularis DRF, obliqua DPA: illa solum recta; hæc vel recta, vel curva: singula ex lineolis rectis numero infinitis, aut sibi in directum appositis velut DR, RK &c. aut ad invicem inclinatis sicut DP, PI &c. composita. Istæ autem componentes lineolæ intelligantur binæ sibi intra easdem Horizontales respondere, uti DR & DP, RK & PI &c. Nunc e quiete in D proprio pondere libere mota decidant duo gravia æqualia, unum per DRK, alterum per DPI. Docet Mechanica æquales velocitates ipsis acquiri in punctis æque altis R & P, K & I &c. quomocunque illæ ab Horizontali RP ad infinite propinquam KI &c. hoc est continue, varientur. At continua variatio nihil est aliud quam transitus ab aliquo statu instantaneo ad alium etiam instantaneum. Velocitas instantanea, utpote quæ nec major, nec minor se ipsa est, quo momento existit, constans sibi manet. Hinc motus instantaneus per spatium indefinite parvum non alius censeretur debet quam æquabilis. Semper autem in motu æquabili, quum velocitates sunt æquales, temporum ratio eadem est quæ spatiorum. Instans igitur casus ex D in R secundum lineolam verticalem DR se habet ad instans descensus ex D in P secundum lineolam ad R inclinatam DP, sicut illa DR ad hanc DP: item instans casus perpendicularis ex R in K est ad instans descensus obliqui ex P in I ut lineola perpendicularis RK ad obliquam PI: & sic deinceps usque dum gravia ad Horizontem pervenerint. At quoniam duo instantia per DR & per RK post DR aliam habent inter se rationem quam ipsæ lineolæ DR & RK; quæ datur ratio summæ omnium lineolarum ex una parte ad summam omnium ex altera, hoc est, totius lineæ DRF ad totam DPA; ea esse nequit omnium instantium simul sumtorum, seu totius temporis lapsus, per DRF ad omnia instantia pariter simul sumta seu ad totum tempus

la-



lapsus per DPA: nisi omnes utrinque lineolæ sint Geometricè proportionales; prima nimirum ad primam, secunda ad secundam, tertia ad tertiam &c. sicut ultima ad ultimam. Quod omnes angulos DPR, PIK &c. dari æquales ac consequenter lineam DPA non minus esse rectam quam DKF necessario exigit. Falsum ergo manifestissime est, principium quo statuitur, sicut recta verticalis EM se habet ad curvam intra easdem lineas Horizontales correspondentem DPA ita esse tempus descensus per illam  $2\sqrt{EM}$  ad tempus descensus per istam  $2\sqrt{EM}$ ,  $DBA:EM = 2DPA:\sqrt{EM}$ . Quicumque tyrones Analystæ problemata physicomathematica solvenda sibi proponant, a tali descensus gravium per curvas posochronismo attente caveant.

Quod ad isochronismum spectat, quum suus unicuique curvæ ordinatas parallelas habenti competat, de eo pauca hic subungere non abs re erit. FA est Horizon, AE linea verticalis data, ED recta Horizontalis ducta per initium D motus deorsum; DPA  $= k$  curva quæcunque in plano verticali descripta, cujus æquatio differentialis haberi possit respectu ordinatarum ad Horizontem normalium DF, GQ &c.  $= x$ ; PGA quilibet ejus arcus  $= s$  ad infimum punctum A terminatus; AB segmentum lineæ verticalis AE, maxima hujus arcus elevatio;  $\omega$  &  $v$  velocitates a gravibus casu ex E aut D, & ex B aut P inchoantibus acquisitæ in A. Cogitatu dividatur DPA in particulas æquales minimas, quarum extremam imam repræsentet gA. Fiat sicut DPA ad PGA ita gA ad GA; consequitur toties GA in PGA præcise contineri, quoties gA in DPA. Tot igitur erunt instantia descensus per omnes GA, quot descensus per omnes gA: quæ si æqualia singula singulis eodem ordine, proindeque ultimum ultimo ponantur; perspicuum est tempora, quibus curva & quivis ejus arcus deorsum peragrarentur, æqualia necessario fore. Itaque instantaneæ seu momento determinatæ velocitates  $\omega$  &  $v$  æqualibus instantibus existerent, adeoque sibi proportionalia spatia infinite parva GA, gA conficerent. Esset igitur aliquota GA ad similem gA, hoc est, totum DPA  $= k$  ad totum PGA  $= s$  uti  $\omega$  ad  $v$ : unde  $\omega s = kv$  &  $s:v = k:\omega$ . Atqui (ob datam  $\omega$  & constantem curvam DPA, dum variari potest ejus



arcus  $PGA$  & consequenter  $v) k : \omega$  est quantitas determinata, cui proinde æquivalet unitas datam repræsentans quantitatem homogeneitati servandæ accommodatam. Ergo  $s : v = 1$ , & tandem  $ds = \mathcal{V}(dx^2 + dy^2) = 1 dv$ . (II) Esto nunc  $v = x^{1:m}$  (hypothesis nempe velocitatum proportionalium rectis ordinatim, aut interius aut exterius applicatis  $r$  in Triangulo rectangulo & in omnibus Parabolis sub æquatione generali  $t^{m-2} z^1 = r^{m-1}$  seu brevius  $z^{1:m-1} = r$  comprehensis,  $m$  significante quemlibet supra unitatem numerum, vel integrum, vel fractum positive sumtum: quæ quidem velocitates  $x^{1:m} = (m-1, : m) r$  casu equiete continuato secundum verticales  $x = (m-1, : m) z r = (m-1, : m) z^{m, m-1}$  acquirerentur temporibus expressis per abscissas  $(m, : m-1) x^{m-1, : m} = z$ ; & per exiguis continue accrescerent augmentis  $dr = dz : z^{m-1, : m-1}$ .) Hinc  $1 dv = 1 dv : m x^{m-1, : m}$ ; quo valore si homogeneitatis causa  $ma^{m-1, : m}$  in locum unitatis substituatur, formula superius notata (II) evadit  $\mathcal{V}(dx^2 + dy^2) = a^{m-1, : m} dx : x^{m-1, : m}$ , quæ 1. reducitur (utrinque quadrando, multiplicando per  $x$ , subtrahendo  $x^2 dx^2$  & radicem quadratam extrahendo) ad æquationem quæsitam  $x dy = dx \mathcal{V}(a^{2m-2, : m} x^{2:m} - x^2)$  seu  $dy = (dx : x^{m-1, : m}) \mathcal{V}(a^{2m-2, : m} - x^{2m-2, : m})$  (III) algebraice integrabilem, quando  $1, : 2m-2$  est aliquis numerus naturalis positivus, qui tot unitates continebit, quot operationes successivas integratio completa membri irrationalis requirit. (e. gr. si  $1, : 2m-2$  statuatur  $= 1$ , vel  $m = 3 : 2$ , tunc æquatio (III) supra fit  $dy = \mathcal{V}(a^{2:3} - x^{2:3}) dx : x^{1:3}$ , unde  $y = -\mathcal{V}(a^{2:3} - x^{2:3})^3$ , vel  $y^{2:3} + x^{2:3} = a^{2:3}$  una tantum operatione integrante; si vero ponamus  $1, : 2m-2 = 2$ , vel  $m = 5 : 4$ , tunc habebimus  $dy = \mathcal{V}(a^{1:5} - x^{1:5}) dx : x^{1:5}$ , unde  $y = -\frac{5}{3} x^{2:5} \mathcal{V}(a^{2:5} - x^{2:5})^3 + \frac{2}{3} \mathcal{V}(a^{2:5} \cdot x^{2:5})^5$  duabus operationibus integrantibus, atque ita) Quo quidem patet, in dictis hypothesebus a Galilæana habente  $m = 2$ ,  $x^{1:m} = \mathcal{V} x$ , &  $(m, : m-1) x^{m-1, : m} = 2 \mathcal{V} x$  originem ducentibus, curvas isochronas superius inventas, Cycloidis sub æquatione inde resultante  $x dy = dx \mathcal{V}(ax - xx)$  non integrabili propter  $1, : 2m-2 = \frac{1}{2}$  permixtæ socias; patet, inquam, eas esse maximam partem mechanicas. 2. Eadem formula (II) præstans



stans  $\mathcal{V}(dx^2 + dy^2) x : dx = a^{m-1, m} x^{1:m}$  ostendit harum curvarum isochronarum tangentes esse quoque isochronismi capaces: siquidem ratio cujuslibet ordinatae verticalis  $x$  ad correspondentem tangentem inclinatum  $a^{m-1, m} x^{1:m}$  eadem est evidenter, quae temporis  $(m, m-1) x^{m-1, m}$  descensus per illam ad tempus  $(m, m-1) a^{m-1, m}$  descensus per hanc, constans, utpote aequale tempori determinato, quo casus per datam verticalem  $a$  absolveretur. 3. Ex ipsa etiam formula (II) elicitur ope calculi integralis  $\int \mathcal{V}(dx^2 + dy^2) = m a^{m-1, m} x^{1:m}$  demonstrans, curvas illas omnes esse rectificabiles, nempe tangentium suarum multiples secundum exponentem  $m$  potestatum ex velocitatibus deorsum acquisitis  $x^{1:m}$  factarum & proportionalium spatiis deorsum peragratis  $= x$ . 4. In aequatione supra designata (III) posita  $dy = 0$  & factis convenientibus reductionibus invenitur ordinata tangens  $x = a = DF$  primi puncti altitudo: facta autem  $x = 0$ , pro ultimo puncto A,  $dy : dx$  evadit  $= a^{m-1, m} : 0$  infinita, ideoque imum punctum ab Horizonte FA perstringitur. Quibus innotescit singulas curvaturas DPA convexas esse ex parte suarum  $x$  verticalium. Qua vero parte concavae sunt, eas aliis curvis, sed singulis Geometricis, in A super FA insistentibus respondere, & ab ipsis ordinatas (GQ, &c.) Tangentes (GT, &c.) Subtangencialesque (TQ, &c.) mutuari, ex eo colligitur, quod si e puncto A rectae A5, A6, AE parallelae ipsis GT, P7, DF agantur, usque dum Horizontalibus GM, PB, DE occurrant; puncta occursum 5, 6, E erunt ad Curvam A56E, in qua satis apparet, singula triangula rectangula velut AM5 fieri omnino aequalia singulis respectivis velut GQT circa curvam isochronam AGPD: unde  $AM = GQ = x$ ,  $A5 = GT = a^{m-1, m} x^{1:m}$  &  $\mathcal{V}(A5q. - AMq.) = M5$ , hoc est,  $\mathcal{V}(a^{2m-2, m} x^{2:m} - x^2) = u$  (IV.) Locus videlicet Geometricus planorum inclinatum 5A, 6A, &c. quorum unumquodque aequali temporis intervallo grave & quiete cadens percurreret. Inde elicitur ipsius  $du$  valore suppositoque  $= 0$ , palam fit maximam superficiem A56EA latitudinem esse  $a \mathcal{V}((1:m)^{1, m-1} - (1:m)^{m, m-1})$ , & ab ipsa axem AE  $= a$  dividi in duas partes, quarum inferior versus A adaequat  $(1:m)^{m, 2m-2} a$ . Praeterea



nihil est hic evidentius, quam spatiorum AFDPGA & A56EA æqualitas: propter enim ordinatas totidem utrobique æquales AM & QG &c. communemque altitudinem AE, constant ex totidem elementis correspondentibus  $85Mm8$  ( $mM, M5 = dx \sqrt{a^{2m-2} x^{2:m} - x^2}$ ) &  $gGQ9g$  ( $GQ, Q9 = xdy$ ) semper inter se æqualibus natura & constructione æquationis generalis ad omnes dictas curvas isochronas supra notatæ (III). At cum  $mM, M5$  vel ipsi æquale  $GQ, Q9$  integrari possit, quoties  $(m+1):2m-2$  est numerus integer positivus  $p$  (quæ quidem conditio hypothesin Galilæi statuentem  $z = m$ , adeoque circuli quadraturam manifeste excludit) spatium hoc utrumvis a sublimi puncto E vel D, in quo  $x$  evadit  $a$ , usque ad imum punctum A, in quo  $x$  evanescit, completum, adhibitis calculi integralis legibus semper invenietur  $= (\lambda : 2\gamma) a^2$ , ubi  $\lambda$  valet  $1, 2p-2, 2p-4, 2p-6$ . &c. usque ad  $2p-2p$  exclusive, &  $\gamma$  valet  $(1, 1+2, 1+4, 1+6)$  &c. usque ad  $1+2p$  exclusive pariter (v. gr. fit  $m+1, : , 2m-2 = 1 = p$  dans  $m = 3$ , erunt  $\lambda = 1, \gamma = 1$ , & spatium A56EA  $= \frac{1}{2} a^2 = \frac{1}{2} AE^2$ ; ponatur  $m+1, : , 2m-2 = 2 = p$  faciens  $m = 5:3$ , sumendum est  $\lambda = 1, 4-2 = 2$  &  $\gamma = 1, 1+2 = 3$ , unde fit A56EA  $= a^2 \lambda : 2\gamma = \frac{1}{3} a^2$ ; detur  $m+1, : , 2m-2 = 3 = p$  præstans  $m = 7:5$ , tunc  $\lambda = (1, 6-2, 6-4) = 8$  &  $\gamma = (1, 1+2, 1+4) = 15$  reddent  $a^2 \lambda : 2\gamma = \frac{4}{5} a^2$ , & sic in infinitum.)

Porro inter tot proprietates curvis isochronis AGPD cum cycloide & curvis respectivis A56E cum circulo communes, notandum est in unico cycloidis & circuli casu fieri  $DE = E65A, P6 = 65A, g8 = 85A$  &c. hoc est,  $y - u = \int \sqrt{dx^2 + du^2}$ , curvaturamque DPGA describi a puncto A curvaturæ A56E circumvolutæ super rectam DE. Etenim 1. ex æquationibus (III & IV) supra designatis deducitur  $dy - du = (dx : mux) (m-1) (uu + xx) = Q$  ac  $\sqrt{dx^2 + du^2} = (dx : mux) \sqrt{(uu + xx - mxx)^2 + (mux)^2} = R$ ; si autem supponamus  $Q = R$ , concludemus (factis reductionibus necessariis)  $mmu^4 + mmu^2 x^2 = 2mu^4 + 2mu^2 x^2$ , & inde  $m = 2$ , quod ceteros in infinitum excludit. 2. Singulus curvæ A56E supra rectam ED nisus ad rotandum efficeret, ut singula subtensa E6



occurreret ad angulos rectos curvæ circumvolutione descriptæ DPGA in aliquo puncto, ubi recta  $\delta A = P\gamma$  ipsam tangeret; sicque angulo  $A\delta E$  existente recto quadratum ex  $\delta B$  æquale foret rectangulo  $ABE$ , nempe  $a^{2m-2} x^{2m} - x^2 = ax - x^2$  & consequenter  $a^{2m-2} x^{2m} = ax$ , quod evidenter impossibile est, quantitibus  $a$  determinata &  $x$  indeterminata permanentibus, nisi sint  $2m - 2 = 1$  &  $1 = 2m$ , hoc est,  $m = 2$ , casus cycloidis & circuli genitoris. Quamobrem reliquas omnes curvas isochronas hic inventas, non cycloidum genus, sed cycloidis primariæ æmulas dixeris.

Nec minus notatione dignum hic videtur, ex tot curvis in speciali motus gravium acceleratione isochronis, quas numero infinitas Geometria suppeditat, hanc unam, quam Mundus, quem inhabitamus, admittit, ad corrigendos & temperandos isochronismo horologiorum motus aptam atque idoneam esse. Quod sic ostenditur. Nemo nescit, oscillationes æquediuturnas fieri horologiis pendula lente instructis, cum hæc lens ex metallo confiata ita suspenditur, ut centro suo oscillante lineam isochronam describat, dum in aere libratur. Adhibenda est ergo consideratio alterius lineæ curvæ, quæ sui elevatione isochronam illam generet, ac penduli longitudinem determinet. Inter varios Hugenianarum evolutionum calculos non alium reperio curvis istis accommodatiorem, quam qui sequente analogia instituitur, ubi  $x$  earum ordinatam &  $\sigma$  subtangentialem correspondentem significant; nempe sicut  $\pm \sigma x \mp xx d\sigma : dx$  se habet ad  $\sigma\sigma \mp xx$ , ita  $\mathcal{V}(\sigma\sigma \mp xx)$  ad arcus evoluti longitudinem sive ad radium evolutionis curvam propositam describentis. Atqui ex superius ostensis 1.  $\sigma(QT = M5) = \mathcal{V}(a^{2m-2} x^{2m} - x^2)$ ; 2.  $d\sigma : dx = (a^{2m-2} x^{2m-1} - mx) : m\sigma$ ; 3.  $\sigma x \mp xx d\sigma : dx$  (cum signis superioribus  $\mp, -$ , ob  $x$  positione datam qua parte curva convexa est)  $= (m\sigma\sigma x - a^{2m-2} x^{2m+1} \mp mx^3) : m\sigma = (m-1) a^{2m-2} x^{2m+1} : \sigma$  (suffecto ipsius  $\sigma\sigma$  valore); 4.  $\sigma\sigma \mp xx = a^{2m-2} x^{2m}$ ; 5.  $\mathcal{V}(\sigma\sigma \mp xx) = a^{m-1} x^{1:m}$ . Ergo ex præcedente Analogia quæsitus evolutionis radius est  $\sigma(m, m-1) a^{m-1} x^{1:m} : x = (ma^{m-1}, m-1) \mathcal{V}(a^{2m-2} x^{2m} - x^{2m-2})$ , qui in puncto D, ubi

Gg x ad.



$x$  adæquat  $a$ , fit evidenter zero, qualis initio evolutionis convenit; & qui in puncto A, ubi  $x$  evanescit, evolutione peracta, vel abit iterum in zero, vel evadit infinitus ( prout  $m$  minor aut major quam 2 constituit  $x^{2-m, :m}$  multiplicatorem, aut  $x^{m-2, :m}$  divisorem ) excepta descensus gravium naturaliter accelerati ideoque Cycloidis vulgaris hypothefi, qua  $m$  est = 2 & radius ille invenitur pro infimo ejusdem Cycloidis puncto =  $2a^{1:2}$   $\sqrt{a} = 2a$ , æqualis scilicet longitudini semissis hujus curvæ, quem evolutio describeret. Insuper repræsentet figura NHD curvæ isochronæ propositæ evolutam, cujus sit A12 applicata ad axem communem AF, sitque HG radius evolutus arcui DA æqualis, & normaliter occurrens in G curvæ evolutione descriptæ, ita ut productus usque ad AF tria triangula rectangula similia GQIO, GQT & IOH12 cum rectis  $GQ = x$   $GT = \sqrt{\sigma\sigma + xx}$  &  $H12 = z$  efficiat. Inde pars producta GIO habetur =  $\sqrt{\sigma\sigma + xx}$   $z : \sigma = a^{m-1, :m} x^{1:m} z : \sigma$ . At  $IOH - IOG = a^{m-1, :m} x^{1:m}$   $(z - x, : \sigma)$  est =  $HG = (m : , m - 1) \sigma, a^{m-1, :m} x^{1:m} x$ . Ergo  $z - x, : \sigma = (m, : , m - 1) \sigma : x$  &  $(m : , m - 1) \sigma\sigma : x = z - x$ ; tandemque (substituto ipsius  $\sigma\sigma$  valore)  $(ma^{2m-2, :m} x^{2-m, :m} - x) : , m - 1 = z$ , quam curvæ evolutæ NHD verticalem ordinatam ad contactum H radii evolutionis terminatam perspicuum est vel ad punctum redigi, vel in infinitum extendi; propter multiplicatorem  $x^{2-m, :m}$ , quando  $z$  excedit  $m$ , aut propter divisorem  $x^{m-2, :m}$  quando  $m$  excedit  $z$ ; in imo curvæ evolutione descriptæ DGA puncto A ubi  $x$  fit zero. Verum quando assumitur  $m = 2$  dum  $x$  ponitur = 0; hæc ordinata manifeste migrat in  $2a$ , & sic cum radio evolutionis semicycloidem generantis ad idem infimum punctum A terminato coincidit, ipsumque ostendit situ ad horizontem perpendiculari evolutionem suam absolvere, nec non commodam a puncto suspensionis distantiam centris gravium cycloidaliter oscillantium determinare. Ceterarum vero Cycloidis primariæ æmularum ne ullam quidem ad Pendulorum usum aptari posse, si acceleratio descensus Gravium, qua isochrona foret, in rerum natura locum habuisset, satis ex eo innotescit, quod Penduli ipsam describentis aut involutio post evolutionem peragenda, antequam



ad perpendiculum perveniret (ob Evolutam figura bicornem) aut suspensio e puncto infinite distanti a centro ponderis oscillantis (ob Evolutam longitudine indefinitam) requireretur. Talia autem circa Pendulorum oscillationes isochronismo temperandas impedimenta prorsus amovet simplex illa naturalis æqualium celeritatis graduum in corporibus libere cadentibus accretio. Quantum vel in minimis effectibus elucet mira Mundi fabrica!

*Hactenus de Isochronismo; quæ plura de Psochronismo Curvarum Cl. Autor observat, in alium Mensem nobis rejicienda sunt.*

## LE VERITABLE VAUBAN.

hoc est,

*VERUS VAUBANIUS IN LOCUM PSEUDO-Vaubanii succedens; Autore LEONHARDO CHRISTOPHORO STURMIO, in Acad. Franc. Math. Prof.*

Hagæ Comitum, apud Nicolaum Wilt, 1708, in 8.

Plag. 15 & Tabb. æn. 22.

Quantum huc usque in Architectura Militari excolenda defudaverit Cl. *Sturmius*, varia ejus scripta satis loquuntur. Etenim A. 1702 Norimbergæ idiomate patrio in lucem emisit Architecturam Militarem Hypotheticam & Eclecticam, in qua non modo omnes muniendi formas huc usque publicatas ad examen revocat, sed passim quoque correctiones adhibet. Eodem quoque anno theoriam *Rimplerianam* praxi adaptare studuit in Actis hisce p. 109 & seqq. id quod ante ipsum ab aliis parum feliciter tentatum fuerat. Quæ vero tum paulo concisius proposuerat, ea A. 1704 in libello Germanico sub titulo: *Entdeckung der unstreitig allerbesten Manier zu befestigen* / h. e. Optima muniendi methodus detecta, Francofurti in 8 edito, uberius exposuit & demonstrare annifus fuit. Dedit etiam novam muniendi methodum in Introductione ad Architecturam Militarem, Francofurti ad Viadrum 1703 in 8 in usum Auditorum suorum publicata. Nunc tan-



dem *Vaubanianis* inventis explanandis operam dedit. Duas *Vaubanius* excogitavit muniendi formas, quarum priorem in Actis A. 1692 repræsentavimus; posteriorem Autor Anonymus Ingeniarii Galli (*Ingenieur François*,) Parisiis 1697 in 8 editi, descripsit, & Auctor quoque noster in laudata superius Architectura Militari p. 144 & seq. attigit. *Vaubanius* ipse neutram delineavit: utramque Autor ad mentem *Vaubanii* delineasse prætendit. Præmittit vulgaria Arithmeticæ præcepta & nonnulla Geometriæ practicæ problemata, quæ dimidiam libri partem constituunt. Ad rem ipsam accedens primo terminos Artis muniendi juxta ordinem Alphabeticum explicat, & postquam modum designandi fortalitia juxta utramque *Vaubanii* methodum, tam in charta, quam in campo, sufficienter exposuit, leges fundamentales Artis muniendi expendit, & quomodo *Vaubanius* iisdem satisfecerit, ostendit. Agit etiam de munitionibus irregularibus, de fortalitiis antiquis corrigendis, de operibus campestribus, & de praxi militari offensiva & defensiva: ita ut tyrones omnem artis muniendi recentioris indolem inde perspicere valeant. Ceterum Autor novam muniendi formam *Vaubanii* emendare studet, ut vi fortius resisti queat, nec tamen sumtus majores impendi debeant.

*INCOMMENSURABILITAS LATERIS QUADRATI  
& Diagonalis, contra CONYERS PURSHALL, Anglum,  
a FERDINANDO ERNESTO, Comite ab HERBER-  
STEIN, Analytice demonstrata.*

**Q**uanquam ab Euclide, Geometrarum Principe, aliisque solidarum veritatum investigatoribus inconcusse demonstratum sit, dari incommensurabilia; tentavit attamen *Conyers Purshall* evidentissimum hoc eorum pronunciatum labefactare, in *Tentamine* suo *de Mechanismo Macrocosmi* palam asserendo, omnes quantitates commensurabiles esse, modo inveniatur ea pars, quæ utramque metiatur, darique omnino partem aliquam lateri Quadrati & Diagonali communem, qua pro unitate assumpta hæc illi commensurabilis existat: errorem hunc ex Arithme-



meticæ cum irrationalium tum vulgaris principiis Acta mensis Augusti Anni 1707 eleganter refellunt; cum vero, teste Barrowio, celebratissimum fuerit hoc Theorema apud veteres Philosophos, adeo ut, qui hoc nesciret, eum Plato non hominem sed pecudem diceret, ejusdem veritatem Analyseos adminiculo erueræ operæ pretium duxi. Est itaque mensura communis lateri Quadrati & Diagonali  $= x$ . numerus exprimens, quoties hæc mensura in latere Quadrati contineatur,  $= y$ . numerus exprimens, quoties eadem mensura Diagonali insit,  $= z$ . erit proinde latus Quadrati  $= xy$  Diagonalis vero  $= zx$ ; igitur  $y : z = xy : zx$ , &  $y^2 : z^2 = x^2 y^2 : z^2 x^2$ . Est autem  $y^2 : yz = yz : z^2$ . Erit itaque, cum ex Hypothesi  $xy$ .  $zx$ . sint commensurabiles, &  $y^2$ .  $z^2$ . numeri plani similes, Ratio tam  $y$ . ad  $z$ . quam  $y^2$ . ad  $z^2$ . quæ numeri ad numerum,  $y^2$ .  $z^2$  vero Quadratum, hincque  $yz$ . numerus integer. Est autem  $z^2 x^2 = zx^2 y^2$ . Ergo  $1 : z = x^2 y^2 : z^2 x^2 = y^2 : z^2$ . Implicante proinde inter 1. & 2. medio proportionali integro, talis inter  $y^2$  &  $z^2$  etiam implicabit: est autem  $yz$ . medius proportionalis inter  $y^2$ . &  $z^2$ , demonstratum itaque est  $yz$ . integrum non esse, quod tamen Hypothesis commensurabilitatis lateris & Diagonalis ejusdem Quadrati erronee supponit.

*EXCERPTA EX TRANSACTIONIBUS ANGLICANIS A. 1706 & 1707, Num. 307, 308 & 310.*

**C**uriosa sunt experimenta, quæ Cl. *Hawksbee* circa productionem luminis per attritionem vitri instituit. Assumpsit vitrum sphericum, cujus diameter erat 9 digitorum, exhaustoque per antliam pneumaticam aere, ope machinæ cujusdam in orbem celerrime egit. Quodsi manum nudam superficiem vitri admoveret, brevi lumen satis clarum productum est, quod manu hinc inde mota adeo invaluit, ut literis scriptis dignoscendis sufficeret, amplumque satis spatium illuminans ad distantiam decem pedum objecta visibilia redderet. Color lumini purpureus erat, & globus vitreus, quem manus leviter attingebat, vix sensibiliter incaluerat. Aere non prorsus educto, lumen



debilius cernebatur. Humiditatem aeris effectui resistere notat. Ceterum hinc concludit, phosphorum barometricum non a motu Mercurii, sed attritione vitri oriri: id quod ulterius inde confirmat, quod tubi Torricelliani partem vacuum digitis fricando citra ullum Mercurii motum lumen produci expertus fuerit. Non tamen prorsus negat, vim lucis productricem in Mercurio quoque latere posse. Lignum humidum & fere putridum in tenebris lucens vacuo inclusum lucem amittere deprehendit. Aere autem in vitrum (de quo ante dictum est) immisso, cum rotatio celerrime continuaretur, lumen alteratum sui splendoris multum amisit. Inprimis tamen notabile, quod digito versus vitrum exerto, flammula ex vitro procedens ad distantiam unius fere unciae pedis occurrere visa, quodque colli amiculum ad distantiam unius vel 2 digitorum resplenduerit, utut nullum ex vitro lumen ad id pertingeret. Alia vice intra vas vitreum satis amplum a. a. a. a alterum b. b. b. b firmavit, cujus superficies a superficie illius intervallo unius digiti distabat, quodque per antliam pneumaticam evacuabatur. Cum ea ratione, quæ ex inspectione Figuræ haud difficulter conjicitur, vitro majori celerrimum motum imprimeret, flammulæ ab ipso spargebantur, nequaquam ab incluso. Ubi vero interius eadem celeritate rotabatur, lux multo sensibilibior apparebat.

p. 2313 seqq. Adscribit autem istam luminis productionem actioni effluvi-  
TAB. VII. rum ex vitro incalescente expulsorum, quorum existentiam  
Fig. 2. confirmant experimenta circa vim attractivam seu electricitatem  
p. 2327 seqq. vitri calefacti ab ipso instituta. Vitreum tubum, cujus diame-  
ter erat 1", longitudo 30, chartæ affricuit, donec incalesceret: quo facto ad distantiam 9 vel 10 digitorum fragmenta foliorum cupri attraxit. Quo magis incaluerat tubus, eo major erat attractio. Interdum corpuscula attracta tubi superficie adhærebant, interdum violenter repellebantur, nonnunquam in accessu ad vitrum, nonnunquam in contactu. Subinde corpuscula lento motu ad vitrum ferebantur, subinde in libero aere media inter vitrum & tabulam suspensa hærebant, interdum tubum citra contactum prætervehebantur. Diversitatis phænomenorum causam in variatam pro diverso aeris statu quantita-

tem



tem effluviarum conjicit, exhalationem impredientibus vel ipsis particulis humidis aeri innatantibus, vel facta subito tubi condensatione, ubi affricus cessat. Si experimentum in tubo evacuato institueret, effectus multo minor deprehensus. Si idem in tenebris caperet, lumen productum est, cumque omnia fierent, ad 7 vel 8 pedum distantiam strepitus quidam auditus. Corporibus quoque appropinquantibus flammula ex vitro obviam facta: id quod tamen non contigit, aere ex vitro exhausto. Nec silentio prætereundum, quod lumen in distantia dimidii digiti ex vitro cylindrico non evacuato & celerrime rotato manui obviam procedens sentiri potuerit, nec in luce diurna prorsus obscuratum fuerit, sed purpureum colorem induerit.

Quod Gulielmus Derham d. 7 Aprilis A. 1707 Sole occidente ab Horizonte occiduo assurgens conspexit phænomenon, coloris rufi, aere existente humido, cum eo coincidit, quod ab Hevelio observatum exhibuimus in Actis A. 1682 p. 262.

p. 2411.  
TAB. VII.  
Fig. 3.

### MATHEMATICA ADVERSUS UMBRATILES

*Petri Poireti impetus propugnata*

*a F. E. C. A. H.*

Vetero-Pragæ, apud Wolfgangum Wickhart, 1709, in 8.

Constat plag. 2.

**P**etrus Poiret in libris de Eruditione solida, superficiali & falsa, nuper in 4 recensis, non modo Mathematica inter eruditionem falsam refert, sed & in præmissa iis methodo inveniendi verum affirmat, veritatum Mathematicarum probationem plus ignorantia, quam cognitionis involvere. Mathesin practicam magis hominum vitiis, quam honori Numinis inservire, & plus damni quam commodi afferre; theoreticam vero sui cultores fatalismo, stupiditate, brutalismo inficere. Inprimis Mathesin sublimiorem Scientiam distractionis a Deo vocat, quæ frigidis speculationibus & sterilissimis næniis totam animam occupet, ac vanæ curiositati indeque enatis vitiis omnia tribuat. Non alia majora pericula discentibus imminere contendit, quam a Mathesi altiori, atque in Algebram inprimis Curvarumque doctrinam multis invehitur. Importunos hosce in



Comes ab Herberstein, atque idcirco fastum Poireti retundere intendit. Miratur, quod is demonstrationes Mathematicas veritates esse non diffiteatur, & hoc tamen non obstante Mathesin ad eruditionem falsam referat. Divinæ hujus scientiæ in Physica usum vel per sola Elementa Aerometriæ Cl. Wolfii nostri probari posse arbitratur. Pleraque a Poireto nonnisi animo cavillandi afferri asserit, & testimonio Augustini, Hieronymi, & Gregorii Nazianzeni Matheseos studium ad penitiores Scripturarum intelligentiam facere probat, notans præterea, Scotum plurima ad locum motumque angelorum attinentia ex elementis Euclidis deduxisse. Abusum disciplinis derogare posse negat, & falso Poiretum asserere concludit; quod ex æquationibus Algebraicis nemo unquam de vitæ actionumque suarum cum justitia Dei vitæ Christi æquatione cogitandi occasionem desumserit, cum Weigelius in Philosophia Mathematica id publice executus fuerit.

## NOVA LITERARIA EX ANGLIA.

FRANCISCI SANDFORDI Historia Genealogica Regum Angliæ (*Genealogical History of the Kings of England*) quæ olim ad A. 1677 deducta prodiit Lond. 1683, & a nobis in Actis anni 1684 p. I memorata est, denuo superiori anno Londini recusa est, & ad A. 1707 continuata, auctore Samuele Stebbing. P. Bælii Commentarius Philosophicus de Cometa nuper cum ejusdem vita Anglice prodiit, II Voll. in 8, jamque in eo sunt Angli, ut ipsum ejus Dictionarium Anglice transferant, & passim addant, quæ ad res M. Britannia pertinet. Oxonii Ephrem Syri, quæ exstant, Opera elegantissimo characterè imprimuntur, Græce & Latine, in fol. opera Eduardi Thwaites. Prodiere ibidem nuper T. Livii Patavini Historiarum ab Urbe condita Libri, qui supersunt, MSS. Codicum collatione recogniti annotationibusq; illustrati, VI Voll. in 8, cujus elegantissimæ editionis, a Thoma Hearne procuratæ, recensioem proximo Mense daturi sumus; nec non Ignatii Epistola cum Pearsonii notis, e recensione D. Smithi, in 4, & Joannis Lelandi hæctenus desiderati de illustribus Britannia Scriptoribus Libri IV, duobus Voll. in 8, quos dudum a Thoma Tannero promissos meminimus. Cantabrigiæ Homerus cum scholiis Dydimi eleganti typo imprimitur in 4, studio Josuæ Barnes; ibidemque Rich. Bentleji cura novam Horatii editionem mox prodituram speramus.



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Junii, Anno M DCC IX.*

T. LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB

*Urbe condita libri, qui supersunt, MSS. Codicum collatione recogniti annotationibusque illustrati.*

*Volumina VI.*

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1708, 8.

Alph. 6 plag. 5 & fig. æn. 2.

**N**on heri demum aut nudius tertius, sed sub ipsa statim renascentium literarum incunabula adoratores invenisse suos Liviani styli majestatem, qui nequicquam territi factorum in mutilando divino opere petulantia dicam, an injuria, superstitem reliquiarum causam tuerentur, ac vel in scholis eas prælegerent, vel typis nitidissimis describi curarent, nemo erit paulo versatiorum in rei literariæ annalibus, qui ignoret. Inter Italos enim, ubi a Francisco Petrarca, illo omnium amœnitatum restauratore, discedamus, quem privata saltem industria Livium tractasse ferunt, complures isthoc nomine commendare licet; in primis autem Victorinum Feltrensem, ævi sui Socratem, ac Joh. Francisci Gonzagæ Marchionis, liberorum præceptorem, qui Patavinos thesauros Hesperidum hortis antea clusiores in Academia Mantuana ingenti hominum admiratione & fama primus aperuit. A cujus ore cum pependisset aliquandiu Johannes Andreas, Aleriensium postmodum Præsul, adeo inescatus fuit scriptoris elegantissimi deliciis captusque, ut haud prius quiescendum sibi putaverit, quam Romæ A. 1470 Vendelini prelo duobus tomis in folio, uti vocant, subjecisset Livium, auspiciis ac liberalitate Pauli II, Pontificis, & Marci, Cardinalis a S. Marco di-



eti, Episcopi Vicentini, potissimum adjutus. Enim vero in epi-  
 stola dedicatoria ad modo dictos bonarum artium Tutanos Livii  
 præconem agit eo verborum flumine atque ornatu, ut facile intel-  
 ligas plane singulare fuisse ipsius erga Historiæ Romanæ princi-  
 pem studium, neminemque ipso disertius aut gravius unquam il-  
 lum laudasse. „Herculem, inter alia inquit, merito historiarum  
 „dixerim, qui alacris ubique incedens, robustus & floridus nulla  
 „rerum difficultate, nullo obrutus pondere superatur. Non illum  
 „varietas confusum, non simplicitas historiæ fastidientem reddit.  
 „In tenui, quod per sæpe accidit, atque humili rerum materia non  
 „est exanguis, aridus & jejunus: in copia vero ac magnitudine tur-  
 „gescens non exit ac vastus; plenus citra tumorem, æquabilis ac  
 „lenis citra mollitiem, nec luxuriose effluens nec nimia sterilitate  
 „tabescens. In asperis rebus non salebrosus, neque languens in  
 „mollibus, non violenta & coacta oratione subsultans. Non ita  
 „tamen copiosus ut nimius, neque ita sævavis ut lascivus, nec adeo  
 „lenis ut remissus, non sic tristis ut horridus, neque ita simplex ut  
 „nudus, aut adeo comptus ut affectata compositione calamistris  
 „videatur inustus; par verbis materiæ, par sententiis rebus. In  
 „re gesta exprimenda gravis atque magnificus, & tamen succin-  
 „ctus ac proprius; in narratione naturalis & semper expectatus,  
 „ordinem minime confundens & rerum eventa non præcurrens.  
 „Minime in gratiam adulator aut reprehendendo parcus in veni-  
 „am, non amare lætus in noxam. Ipsi quoque Senatui, ordini  
 „illi orbis terræ moderatori venerando, populoque Romano ter-  
 „rarum principi, vel temeritate præcipiti, vel errore lapsio, vel  
 „quacunq; forte ratione supra modum justumque evecto ne-  
 „quaquam parcens. Res etiam adversariorum debita commen-  
 „datione non defraudans, ut modo narrator tantum, modo cen-  
 „sor esse videatur, atque ita severus & tetricus, ut ne censoribus  
 „quidem gravissimis, quibus nihil Romæ sanctius fuit, ubi facto-  
 „usus fuit, unquam ignoverit. Reliqua ibidem accumulata elo-  
 „gia haud injuria præterimus. De ipsa vero hac Livii editione  
 omnium prima id monere liceat, nulli subsequentiū sive forma-  
 rum splendore, sive chartæ præstantia eam cedere, plurimas autem  
 longissime superare. Ceterum nec hoc reticendum venit, præter  
 librorum



librorum omnium, deperditorum etiam epitomas, non nisi tres decades, primam puta, tertiam ac quartam integras ibi contineri, excepto libro trigesimo tertio, qui plane deficit, æque ac ultima pars libri quadragesimi, cui in cap. 37 verbis: *per omnia fora conciliabulaque edixerunt*, finis imponitur. Verum cum illa jam tempestate plures eruditi deperire cœpissent veneres Livianas, quam ut ducenta ac septuaginta duo exemplaria, (tot enim impressa saltem fuisse constat,) illorum votis sufficerent, ansam cepit peropportunam Joannes Antonius Campanus, Interamnensium Episcopus, vir humanioris literaturæ consultissimus, accedente imprimis jussu atque autoritate Jacobi Amati, Cardinalis Papiensis, multorumque codicum MSSorum subsidio alteram adornandi editionem, quæ Romæ pariter A. 1471 & 72 lucem adspexit, priori tamen, nisi quod emendatior habeatur, in nulla re dissimilis censenda est. Succedere porro non ita magno temporis intervallo Mediolanenses duæ, Tarvisinæ totidem, Parmensis, Venetæ quinque cum tribus Parisinis, quarum nonnullæ criticorum istius ætatis exercitatissimorum lima politæ satis superque testantur, quanto in pretio iisdem fuerint egregiæ illæ Historicorum optimi reliquæ, at ne tantilla quidem textus accessione præ superioribus duabus gloriari queunt. Popularibus nostris, ad quos una cum solidæ eruditionis cultura transvolaverat quoque ex Italia mirificus prope in Livium amor, istud prærogativæ peculiari quodam fato destinatum fuisse non immerito dixeris, ut prima e bibliothecis suis incrementa ipsi præbuerint. Præterquam enim, quod domestica lingua donatum Moguntiæ A. 1505 in publicum prodire jusserint, non ita multo post Anno nempe 1518 in eadem urbe potiorem libri trigesimi tertii partem, a verbis scilicet cap. 17 *arctis faucibus Acarnanie coherens*, & qua mancus erat hæctenus liber quadragesimus usque ad finem, tum alias bene multas librorum septem posteriorum de bello Macedonico atque Asiatico non contemnendas lectiones cum erudito communicarunt orbe. Detexerat autem pretiosas hæc lacinias Joannes Schefferus, Joannis Faustii, cui inventæ artis typographicæ laudem aliqui tribuunt, nepos, in codice membranaceo ædis metropolitanæ S. Martino sacrae, quem, utpote ductu literarum Longobardico exaratum le-



Etique satis difficilem, per Nicolaum Carbachium & Wolfgangum Augustum, viros ingenio non minus quam doctrina spectabiles, fructu, uti res docuit, haud infelici, evolvi curaverat, magnis ob hoc bene meritum Ulrici Hutteni atque Erasmi præconiis passim celebratus. Cujus insitens vestigiis Simon Grynæus, Basileensis Academiae decus immortale, complures cœnobiorum excussit forulos librarios, inciditque tandem fortuna duce in Monasterio Laurisseno, quod e regione Borbetomagi cis Rhenum situm est, in membranas Livii vetustissimas, literis majusculis contiguaque vocum serie scriptas, e quibus librum XLI cum proximis quatuor, hic illic tamen misere laceratos, una cum Henrici Glareani Chronologia A. 1531 noviter publicavit. Dicit non potest, quantum ab isto tempore accensa fuerint doctæ catervæ de Livio præclare merendi, ejusque monumenta vel typis vel notis ac commentariis eruditis illustrandi studia, quandoquidem operam suam huic penso addixerint Gelenius, Rhenanus, Glareanus, Velcurio, Sabellicus, Saxonius, Valla, Curio, Godelevæus, Morellus, Robortellus, Nannius, Ursinus, Donatus, Modius, Gruterus, Heinsius aliique, & quem primo loco nominare decebat, Sigonius. Ille enim, cum esset latinæ linguæ penitiorisque antiquitatis callentissimus, innumeras maculas, quæ aliorum effugissent aciem, e Livio feliciter deterisit, eundemque nitidum, clarum, perspicuumque legentibus reddidit. Neque etiam debita laude fraudabimus Joannem Horrionem e Societate Jesu, qui priora libri XXXIII capita septendecim tam impense desiderata in bibliotheca Capituli Bambergensis A. 1615 reperit, repertaque Bartholino Urbinati describenda dedit, cujus uti & Antonii Quærengii pumice expurgata atque Gasparis Lusignani demum curâ Romæ sequenti anno typis tradita fuere, emaculatus autem Paderbornæ anno 1617 ab ipsomet inventore vulgata. Equidem pro spurio habuerunt fragmentum hocce doctorum nonnulli, inter quos nec Vossius, pater, nomen suum dissimulavit: alii e contra maxime genuinum arbitrati sunt ac Livii manu dignum, quibus Vir celeberrimus Jo. Fridericus Gronovius calculo suo accessit, ideoque sedi illud, quam efflagitabat, restituere minus dubitavit, cum Amstelodami A. 1665 splendidissimam Livii editionem depromeret. In ea enim quicquid



TAB. VIII ad A. 1709 M. Jun p. 246.



E. Andre, Sohn sc. Lips.







quid nobilissimi scriptoris sinceritatem & dignitatem augere, vel periculum suum, ut ipse loquitur, apparatius efficere, vel lectorum studiis aliquid utilitatum afferre posse credidit, stupendo labore nec minori judicio congestit. Altera, quæ decimo quarto post apparuit anno, Clarissimo ejus filio debetur, cui, præter annotationes in paternis schedis obvias, conjecturas etiam ad varia loca Geographica acutissimas in acceptis ibi referimus. Paulo recentior illa est Parisina in usum Delphini a Joanne Doujatio, Professore Regio, sex voluminibus in 4to emissa, ac Freinsheimianis non modo librorum XCV supplementis, sed lacunis quoque, quæ in libris quintæ Decadis adhuc occurrebant, ex editoris ingenio restitutis magni æstimanda. Patavina vero, quæ A. 1694 typis Seminarii curisque Jacobi Giacometti charta δωδεκαπύχων in quinque tomos dissecta exivit, nihil horum comprehendit, sed nudum solummodo textum ad fidem tamen MSSorum diligenter recognitum, novaque capitum argumenta, quin & conciones, in quibus ad admirationem usque excelluit Livius, juxta Rhetoricæ artis præcepta M. Antonii Feraccii studio dispositas, indices item Legum, Magistratum ac Sacerdotiorum Romanorum, quorum apud Livium mentio, exhibet. De ceteris editionibus nolumus jam esse solliciti, cum Clarissimi Fabricii nostri industria omne hac in re punctum ferat, ad cujus proinde Bibliothecam Latinam, nuper demum recentatam, L.B. remittimus. In præsentem autem Oxoniensem quid præstiterit doctissimus autor, Thomas Hearnus, paucis nunc enarrare juvat. Hortata nempe sibi nobisque amicissimi bibliothecæ Bodlejanæ Præfecti, Joann. Hudsoni, viri ad promovendas literas elegantiores natura quasi facti, impulsus, tum promissis ejus de suscipienda in se laboris parte subinde firmatus, haud male tempus se impensurum fore judicavit, si Livium, rarum jam in tabernis librariis nomen, novis ornamentis excultum studiosæ publi conspiciendum daret. Quam ob rem textum primo Livianum, qualem J. F. Gronovius reliquit, presse secutus ad libros impresos pariter ac manuscriptos, quos inter posteriores sex e Britannicæ bibliothecis singulari sibi usui fuisse gratus commemorat, sedulo examinavit, atque observatas sibi lectiones diversas in ima pagina ubique seposuit. Herculeam patientiam, lynceos oculos ipsi ob-



tigiſſe juraverit, qui tot compendiaras notas, veriffimas improbi  
 laboris teſtes, obiter ſaltem inſpicere velit. Neque hic ſubſtitit  
 ſumma ejus induſtria, ſed annotationes etiam atque ſtructuræ Si-  
 gonii, Gronovii utriuſque, T. Fabri, Doujatii aliorumque huc fa-  
 cientes quoad ſenſum integras, ſæpiſſime quoque loca veterum  
 auctorum parallela intertextuit. Cumque plurimum emolumentum  
 hiftoriæ conferat chronologia, annorum ſeriem ſecundum Cato-  
 nianam hypotheſin, quam cum Dionyſio ſequitur Livius, Cl. Dod-  
 welli, optimi hujus rei arbitri, calculo definitam in margine loca-  
 vit. Haud ſegnius tractare voluit epitomas Livii, ipſa ſui anti-  
 quitate ſatis venerabiles, & quod immanem theſauri iſtius ſurrepti  
 jacturam penſare quodammodo videantur, minime prætereundas,  
 ſiquidem eas tum Pithœi miniatulis, tum lectionum varietatibus,  
 quas e codice MSto collegii Novi Oxoniensis promptiſſima manu  
 excerpere ſuſtinuerunt Franciſcus Cherrius modoque laudatus H.  
 Dodwellus, lucidiores reddidit. Inde paucula Livii fragmenta  
 in unum collecta profert, quæ proxime excipit copioſa annotatio-  
 num doctiſſimarum farrago, vel ideo hic reponenda, quod paulo  
 prolixiores eſſent illæ, quam ut antea indigitatis ſuperaddi com-  
 mode potuiſſent. Ita enim inſcriptiones antiquas continent per-  
 plures, columnam roſtralem, Sæctum contra Bacchanalia condi-  
 tum, Pompeji M. marmor triumphale integrius multo, quam  
 quidem apud Plinium H. N. L. VII. c. 26 legitur, Tabularum Di-  
 urnarum fragmenta, aliaque ſelecta. Quibus omnibus non levi  
 gratiam conciliat clypeus votivus mirandi operis in ære hic ſcitiſ-  
 ſime delineatus, adque illuſtrandum locum Livii L. V. cap. 49 ap-  
 prime pertinens, quippe qui Romam a Gallis, duce Brenno ca-  
 ptam & incenſam; auri pro Capitolio redimendo pacti penſatio-  
 nem: adventum Camilli: metum fugamque Gallorum: ædificia  
 varia publica: equites, pedites, armorumque genera diverſa re-  
 præſentet. Habetur ille in Nobiliſſ. Viri Joannis Woodwardi,  
 M. D. muſeo, cujus etiam beneficio grandiore forma ante duos  
 hoſce annos expreſſum cultores antiquitatum exoſculati ſunt, ad-  
 TAB. VIII. eoque nec nobis erit invidiæ, ſi in Tab. VII. omnium iterum ocu-  
 lis ſubjiciamus. Mediæ eum antiquitati vindicat Noſter, quum  
 Amphitheatra e lapidibus ſtructa, poſt Auguſti demum tempora  
 Romanis



Romanis cognita ostendat, cui sententiæ eo libentius subscribimus, quo clarius Obeliscorum moles, isti saltem ævo familiares, ibi simul cernere licet. Nihilominus autem pretiosissimis cimeliis accenferi meretur, & quando veteribus in more positum erat, præclara majorum facinora scutis nobilitare suis, a nonneminis gentis Furia, atque illo forsitan, qui sub Claudio Imp. arte militari, teste Tacito, inclaruit, hoc ipsum factum esse verisimile putat Autor. Eminent porro in hac præstantissimarum rerum congerie Celeberr. Dodwelli perpulchra dissertatio ad fragmentum Livii in membranis Laudinis post verba Lib. XXII c. 18 *super Allifas loco alto & munito confedit*, intrusum, quod cum paucarum linearum sit, totum hic apponemus: Et reparando subgressu manu haud magna, Alisfæ moenia quasi palans, perveniens, ex oppido bellua contracta (l. constrata) armamentis erupit; quam consul vi captam, trucidatis qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed opidani, sicut quibus curæ pusillum inerat, in diem alteram umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, & Alifas, Ruffium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum augurio nomen imponunt accolæ. Tum per Samnium &c. Laciniam istam postquam multis coloribus tutatus esset Dodwellus, Livianæ tandem purpuræ quæ assuatur, non satis dignam pronunciat, tum quia styli maculis horreret nullo pacto ferendis, tum quia narrationem rerum interspergeret tanti historici fidei minus congruam. Sic enim uni eidemque urbi duo nomina, quorum vetustius Ruffium recentius Allifæ fuerit, refragante universa antiquitate adtribui. Pejus omnino Consulem rebus ad Allifam gestis interfuisse fingi, cum Fabii Dictatoris imperio cuncta stetisse e contextu satis pateat. Neque porro hostes Romanorum dici oportuisse Ruffrienses seu Allifanos, quos una cum reliquo Samnitum agro in fide eorum perstitisse plane constet. Huc summa redit argumentorum Viri sagacissimi segmentum istud Livio abjudicantium, quæ sponte quemvis in sui assensum trahent. Reliqua, quibus operam suam literato cœtui salutarem probavit eruditissimus Hearnius, qualia sunt, quod Doujatii supra dicta lacunarum supplementa notis ipsius stipata adjecit, quodque indices qua rerum, qua verborum ac locutio-



ctionum memorabilium congeffit locupletiffimos accuratiffimosque, attingere fuperfedemus, cum in oculos ftatim incurrant. Verumtamen filentio prætermittere haud poffumus, Freinshemiana pariter librorum XCV fupplementa, modo conatibus fuis adfpirare pergant cives, feorfim ipfum polliceri, nec non Ciceronem, quod propositum uti perficiat feliciffime, corporis animique vires inconcuflas femper ei apprecamur.

*ADEISIDAEMON SIVE TITUS LIVIUS A  
Superftitione vindicatus, Autore J. TOLANDO.  
Annexa funt ejusdem origines Judaica.*

Hagæ Comitum apud Thomam Johnson, 1709.

Conftat Alph. i pl. 2. fol. 2.

**I**N hoc opufculo duæ continentur differtationes Clariffimi Auctoris, cujus & alibi in actis noftris jam facta eft mentio. In priori, quam *Adeifidæmonem* vocat, totus in eo eft, ut Titum Livium, celeberrimum Romanorum hiftoriographorum, a foeda ifthac fuperftitionis macula purget, qua, citra ullum meritum fuum, a quibusdam magni nominis viris, Lipfio, Poffevino, Voffio, Gregorio Magno, aliisque fuerit afperfus. Sed hac occasione fimul quoque docet, *effe fuperftitionem reipublicæ non minus, (fi non magis) exitiofam, quam purum putum atheifmum.* Quo autem doctiffimus autor institutum fuum quam commodiffime exfequeretur, placet ipfi epiftolare colloquium instituere cum aliquo Ecclefiæ Anglicanæ Presbytero, qui quondam Livio eandem fuperftitionis notam inter confabulandum eam ob caufam inufferrat, quod multa prodigia & miracula, ceu rerum futurarum præfagia, in commentariis fuis retuliffet. Ut itaque Livium hoc crimine liberaret, primo Tolandus in genere caufatur, eundem in operibus fuis hiftoricum egiffe, a quo muneris ratio omnino poffulaffet, ut res, ad religionem Romanorum fpectantes, æque recenferet, quam res geftas Regum & Confulum. Inde vero non poffe colligi, Livium fuperftitionis peste fuiffe infectum. Ita enim & illi inter Chriftianos, qui res Americanorum memoriæ prodidere, idolatris forent accenfendi, quod gentium iftarum facra fimul  
atti-



attigerint ; quæ autem conclusio omnium esset absurdissima. Deinde nonnulla ex ipso Livio adducit loca, unde demonstrare contendit, eundem non solum ab omni superstitione fuisse valde alienum, sed & habuisse totam religionem patriam pro pulcherrimo politicorum commento, in magistratum subsidium & sacerdotum emolumentum excogitato ; porro Livium, adserit, ipsos Deos, ne excepto quidem Romanorum Numine tutelari, pro meritis habuisse figmentis, immo eundem quoque miracula & præsentia nihili fecisse. Prius probat ex Lib. I. c. 19 ubi Livius de Numia Pompilio, secundo Romanorum Rege, sequentem in modum verba facit : *Omniū primum rem ad multitudinem imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est ; qui cum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse, ejus se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituire, sacerdotes suos cuique Deorum præficere.* Ex hoc enim loco existimat noster satis luculenter patescere Livii innocentiam, cum religionem patriam inibi expressis verbis simulationem & commentum vocet. Quod autem alterum attineat, credidisse Livium Romanorum Deos esse mera figmenta, illud quidem clarissime colligi posse ex relatione istius orationis, quam senatores, Romulo ob affectatam tyrannidem manibus suis discerpto, ad Capræ paludem sedandæ plebis, magno ob Regem amissum furore concitatæ, causa, habuerint. Præcepisse enim seniores in hac oratione populo, eum, quem paulo ante violenter trucidaverant, *regem parentemque urbis Romanæ salvare, precibusque pacem exposcere, uti volens propitius suam semper sospitet progeniem.* Vid. Lib. I. c. 16. Hinc perquam luculenta ratione sequi, auctor affirmat, habuisse Livium totam patriorum Deorum turbam pro puro figmento. Etenim eundem in explorato habuisse, Romulum, Numen urbis tutelare, cum reliquorum deorum agmine, non nisi ad retinendum populum in obsequio, ad divinam dignitatem fuisse evectum. Quod autem miracula pariter ac præsentia flocci penderit, perspicere quemvis posse ex libri V capite 21, ubi Livius, fabella quadam religiosa recensita, sequentia subridens adjecerit : *In rebus tam antiquis, si quæ similia veri sunt, pro veris accipi-*

p. 13.

p. 20.



antur, satis habeam; hæc ad ostentationem scenæ, gaudentis miraculis, aptiora, quam ad fidem. Verum, ut noster hæctenus dictis majus robur adderet, & omnes scrupulorum fibræ ex animis legentium evellerentur, magnum deinceps testimoniorum numerum ex toto opere Liviano undique colligit & adducit in medium. Hæc autem omnia hic adferre instituti nostri ratio non patitur. Strictim tamen selectiora ejus argumenta attigisse non erit incongruum. Primum vero ex ipso operis præmio autor ostendit, Livium ipsum parum fidei habuisse suis de miraculis & religione patriæ recensionibus; inde enim esse factum, quod omnia legentium judiciis submiserit, ut, quicquid velint, de iisdem statuunt. Animi autem sententiam, quam in limine operis, nimia quadam modestia ductus, luculentis verbis proponere tergiverfatus sit, deinceps in commentariis suis satis confidenter ab ipso exponi in lucem. Atque hoc fieri, dum miraculorum & præfagiorum originem ex superstitione & falsis rumoribus vulgi luculentissime derivaret, [Lib. V c. 5, Lib. XXI c. 62, Lib. XXIV c. 10 & 40, Lib. XVII c. 25 & 37, Lib. XXIX c. 14.] ac cæteroquin verum omnis superstitionis fontem detegeret, magna verborum perspicuitate demonstrando, eandem ex sacrificulorum avaritia & fraudulentis populo, rerum optimarum & bonarum literarum experti, imponendi artificiis fuisse ortam. Vide Lib. IV c. 30, Lib. XXV c. 7, Lib. XX c. 45. Inde vero clarissime elucescere Titum nostrum a superstitionis imbecillitate non solum fuisse liberum, sed neminem quoque, præter eum, origines hujus vitii melius investigasse detexisseque. Ut adeo mirandum sit, qui vir celeberrimus, Gerhardus Johannes Vossius, capite decimo nono de historicis latinis hunc nostrum superstitionis cohorti adnumeraverit. Nec minus virum celeberrimum vehementer hallucinatum esse, quod, Livii defensionem instituens, existimaverit, hanc in gentili superstitionem laudem magis mereri, quam vituperium, siquidem qualiscunque Numinis cultus atheismo debeat præferri. Pessime hic, ait, philosophatum esse Vossium, cum superstitionem inter & atheismum quoddam intersit medium, cumque superstitio ipso atheismo, utcunque abominando, reipublicæ multum sit funestior. His autor eruditissimus non veretur, Clarissimi *Bælii* positionem

gene-



generalem suam facere & tueri, etsi quædam non adprobet, quæ ad illam propugnandam speciatim adduxerit. Esse autem superstitionem ipso atheismo deteriore rebusque humanis magis funestam, hoc inde vel maxime probare annititur, quod atheus, nullo licet pœnarum futurarum metu illigatus, nihilominus tamen omnia præstet boni civis munia, nihilque intermittat, quod ad stabilitæ religionis & receptorum morum cultum pertineat; cum contra superstitio florentissima regna internis dissidiis depopuletur, & naturalis amoris vincula non tantum penitus frangere, sed & crudelitati nullum finem ponere soleat. Nec unquam atheum alicui ob discrepantiam opinionum aut irasci aut insidiari. Contra superstitionis gangræna decumbentem non tantum audacter ab omnibus postulare, ut mentis suæ deliriis adstipulentur, verum etiam ad interneccionem usque infensum esse iis, qui modo vultu sibi adsensum suum denegare ausint. Deinde certum esse, atheismo paucissimos mortalium esse contaminatos, cum interim superstitio fere omnium mentes oppresserit. Atque ista quidem de Vossiana Livii censura autor iste est commentatus. Nec cura majore Livii Scripta expendisse judicat Gregorium, Pontificem, cum bonum hunc auctorem, ut idem Vossius loco citato animadvertit, propterea flammis comburendum judicavit, quod superstitionis & sacrorum Romanorum tam sæpe fecerit mentionem. Ex ante dictis satis elucescere iniquitatem Gregorii, nec posse Platinam, salvo amore veritatis, cui tamen alias additissimum sese exhibuisset, hunc Gregorii furorem, aut religionis zelo defendere, aut prætexta facti incertitudine emollire, cum ex Joannis Sarisberiensis Lib. II de nugis curialibus cap. 26, & Lib. VIII cap. 19, nec non ex Johannis Diaconi Libro III vitæ Gregorii, satis constet ipsius erga humaniores literas & omnem ingenii cultum immanitas.

Sic habes, lector benevole, præcipua momenta prioris Dissertationis. Jam ad posterioris recensione progredimur, posteriora ejus capita, quanta possumus brevitate, tecum communicaturi. Sciendum itaque est, auctorem in hac opella, quam sub titulo *Originum Judaicarum* comparere jussit, hoc sibi maxime proposuisse, ut demonstret, Strabonem de gente Judaica ipsoque

p. 69, 70.

p. 104.



- Mose narrationem instituisse, longe discrepantem ab illa, quæ habetur in Pentateucho, eundemque haudquaquam ea fide de Mose & Judæis differuisse, qua quidem a celeberrimo Huetio in demonstratione sua Evangelica de iisdem scripsisse dicatur. Antequam autem ad profligandum hoc animi sui propositum sese confert, in limine hujus dissertationis Huetium pariter atque veteris ecclesiæ patres, & inter eos nominatim Eusebium, pessimæ fidei esse arguit in citandis gentilium testimoniis, ex quibus Christianæ religionis veritatem demonstrarent. Et de Huetio quidem rem extra omnem controversiam positam esse, cum in citato capite, imo & prolixo demonstrationis Evangelicæ volumine, nullum fere reperiat testimonium, quod non sit aut mancum, aut detortum, aut falsum prorsus & alienum. Ad ostendendam autem rei veritatem Diodorum Siculum adducit, qui secundum Huetii mentem, sub fine libri primi, virtutes Mosis vehementer deprædicaverit, eumque primum fecerit Ægyptiorum Nomothetam. Ex Diodoro autem nihil horum posse colligi docet, absurdumque vehementer esse, Mosem accipere pro Mnene, utpote quos ipse Diodorus hoc in loco nominatim a se invicem distingvat; nec posse auctoritatem Justini Martyris & Cyrilli, Mosem non Mnenem legentium, veritati aliquid præjudicare. His ita præmissis, ad illustrem illum Strabonis locum, ubi Geographus summo candore, affirmante Huetio, de Mose & Judæis differuerit, noster progreditur. Nolumus autem temporis chartæque parcentes, eundem integrum huc transferbere, cum commodius Lib. XVI rerum Geographicarum legi possit. Quam egregie autem Strabo inibi cum Pentateucho congruat, ex levi hujus loci inspectione statim patescere, Autor noster ait. Etenim Strabonem loco citato constituere Mosem patronum Spinosæ, ejusque asseclarum, cum velit, illum docuisse, nullum dari Numen a materia & compage hujus mundi distinctum, ipsamque naturam, sive rerum universitatem, unicum & supremum esse Deum. Deinde Strabonem vehementer repugnare auctori Pentateuchi, partim dum regionem Judaicam hic repræsentet saxosam, sterilem, & ab optimis rebus vacuum, partim quoque, dum Judæos pro genuinis habeat Ægyptiis. Ut adeo Strabonis de gente Judaica historia a scriptore
- p. 105.
- 109.
- 112.
- 115.
- 116.
- p. m. 760.  
761. 762.
- p. 117.
138. 139.
- 142.
- re



re Pentateuchi mirum in modum abeat, Huetiique gentilium scripta ad suam mentem detorquendi studium sit manifestissimum. Interim tamen eosdem in eo inter se convenire, quod uterque Mosem ut infensissimum idolatriæ hostem exhibeat, eundemque auctorem faciat cultus simplicissimi omniumque sumtum expertis. Atque hanc simplicem Deum colendi rationem in celebratione Sabbathi & observantia legis naturæ, decem comprehensæ præceptis, consistentem, in republica Judaica viguisse usque ad adorationem aurei vituli. Postea vero, cum Judæi animum, idolatriæ addictissimum, tot indiciis prodidissent, accessisse demum tam multos ritus ac ceremonias, quæ, ut auctor putat, nec fine, nec natura sua bonæ fuerint. Et hanc adsertionem probare contendit ex Ezech. XX, 24, 25, Jer. VII, 21, 22, & in posterum prolixius se confirmaturum esse pollicetur in opere, quod meditatur, de *republica Mosaica*, in quo eam omnibus aliis longe fuisse perfectiorem, ipsi propositum est demonstrare.

p. 152.

157.

158.

159.

160.

161.

BIBLIOTHEQUE UNIVERSELLE DES  
Historiens &c.

h. e.

*BIBLIOTHECA UNIVERSALIS HISTORICORUM,*  
*complectens eorum vitas, epitomen, Chronologiam, Geo-*  
*graphiam, judicium de eorum historiis & stylo, cum recen-*  
*sione variarum editionum, ut & tabulis Chronologicis ac*  
*Geographicis, auctore LUD. ELLIES DU PIN, Do-*  
*ctore Theol. Paris. & Profess. Regio*  
*Philos.*

Amstelod. apud Franciscum Honorem, 1708, 4.

Const. 2 Alphab. 2 plag.

Postquam celeberrimus Du Pinius Bibliothecam novam Aucto-  
rum Ecclesiasticorum, cujus ultimum Tomum A. 1703 p. 253  
recensuimus, ad finem perduxit, vel ipso orbis literati plausu, quo  
opus istud exceptum est, incitatus, similem ceterorum omnium  
historicorum, cujuscunque ætatis vel nationis, Bibliothecam ador-  
nare constituit, quæ non modo illorum vitam & librorum titulos



exhibeat, sed ipsa etiam singulorum argumenta indicet, atque ad-  
eo summam universæ historiæ, ex ipsis fontibus haustam, com-  
plectatur.

Primus ejus, quem hic sistimus, liber illos historicos com-  
prehendit, qui usque ad Alexandri M. imperium floruerunt. Ini-  
tium ducit §. I ab antiquissimis illis monumentis, quæ diluvium  
præcessisse dicuntur, quorum præcipue referri solent *columna Se-  
thi* Josepho, & *columna Ægyptiæ* Manethoni memoratæ. Sed  
hæc non minus ac illa, quæ Chaldæi, Phœnices, Scythæ & Chi-  
nenses de antiquitate sua jactant, exploduntur. Post explicatos  
deinde varios modos rerum memoriam conservandi olim adhibi-  
tos, quales, præter columnas & inscriptiones, fuerunt urbes, templa,  
aræ, tropæa, statuæ, numi &c. optimum & certissimum esse  
ostendit literarum ac historiæ subsidium. Omnium vero primum  
in hoc genere elaborasse *Mosen*, probatur §. III. Eum secuti sunt  
inter Ægyptios *Mercurius Trismegistus*, civibus suis Thoth, Græ-  
cis Hermes appellatus, inter Chaldæos *Zoroaster*, inter Indos *Me-  
gasthenes*, inter Phœnices *Santhoniaton*, cum plurimis aliis, de  
quorum omnium vita & scriptis fere deperditis ea, quæ nobis ad-  
huc per vetustatem cognita sunt, exponuntur §. IV, V, VI & VII.  
His tandem §. VIII Græci, juxta ordinem temporum, quorum hi-  
storiam scripsere, succedunt. Cumque omnia ante diluvium ge-  
sta illis ἀδηλα & obscura sint, de rebus tamen sequentis sive fa-  
bulosæ periodi, quæ juxta Varronem, Olympiadum initio, juxta  
Diodorum Siculum, bello Trojano terminatur, extant *Apollodori*  
*Bibliotheca Deorum*, sive potius compendium ejus in tres libros  
contractum, & excerpta quædam ex *Conone* apud Photium Cod.  
CLXXXVI. Ex multis horum narrationibus ea, quæ proxime  
ad historiam accedere videntur, repetit Noster §. VIII & IX, illo-  
rum quoque summam §. X adjungens, quæ Diodorus Siculus  
prioribus V libris de temporibus bello Trojano antiquioribus pro-  
didit. §. X recensentur, qui ante Homerum scripsisse dicuntur,  
ut *Linus*, *Amphion*, *Orpheus*, *Musaus* &c. quorum tamen scripta  
fere interciderunt, adeo, ut paucissima fragmenta genuina super-  
sint, & recte Josephus, nullum Græcos, cujus monumenta ætatem  
eulerint, *Homero* antiquiorem habuisse, affirmet. Cum vero de

Poëtæ



Poëtae hujus ætate & patria duæ famosæ sint inter eruditos controversiæ, posteriorem quidem Noster in medio relinquit, & lectorem ad L. Allatum remittit, priorem vero pag. 85 ex marmore Arundeliano decidi posse, existimat, quod eum, ante 643 annos, regnante Diogneto, h. e. anno Aerae Atticæ 676 P. 1 3807, post captam Trojam 302, ante institutas Olymp. 23, floruisse, demonstrat. Varia deinceps fata Poëmatum Homericorum exponit, ac tametsi ea diversimode dispersa & collecta fuerunt, Odyssea tamen & Iliada, ut hodie extant, germanum Homeri foetum esse, affirmat. Ceterum instituti memor historiam belli Trojani, errorem Ulyssis & alia, quæ illi scribendi occasionem præbuerunt, uno quasi conspectu intuenda proponit. Scriptores inter Homeri & Herodoti ætatem interjecti, & ex solis fere titulis librorum suorum hodie cogniti, commemorantur §. XI, XII, XIII.

Quemadmodum vero præter ipsum *Herodotum*, *Thucydides* & *Xenophon* inter historicos Alexandri M. ætatem antegressos facile principatum tenent, & quæ inde a fabulosis temporibus usque ad Olymp. CIV, & annum ante C. N. 363 acciderunt, continua fere narratione exponunt, ita etiam in horum vita, indole, libris & editionibus recensendis Noster prolixior est, nec tantum omnia eo ordine, quo ab illis scripta sunt, summam repetit, sed singulis etiam excerpta Geographica ac Chronologica subjungit. In illis, quæ de singulis regionibus sparsim vel per digressiones commemorantur, in suas quasi classes distribuit; in his annos ante Christum natum & Olympiadum notat, quibus res a Scriptoribus enarratæ contigerunt. §. XXIII comparationem a Dionysio Halicarnasseo inter Herodotum & Thucydidem institutam sub examen revocat, eumque de hoc iniquius, quam par erat, judicasse, ostendit. §. XXVII ex Xenophontis *Cyropædia* vitam Cyri majoris ita describit, ut simul, in quibus Herodotus ab eo dissentiat, demonstret. Triumviris hisce §. XXX. annectit *Ctesium*, Xenophontis æqualem, etsi nec fide nec industria cum illis comparandum, & quæ ex ejus historia Persica ac Indica, ceteroquin deperdita, apud Diodorum Siculum, Photium, Eusebium & Syncellum reperiuntur, §. XXXI conjunctim ob oculos ponit. §. XXXII, XXXIII & XXXIV reliquos ante Alexandrum M. scriptores



ptores comprehendunt, maximam partem obscuriores & nonnisi ex aliorum citationibus vel Photii excerptis notos. Ultimus denique §. ex *Diodoro Siculo*, res ab expeditione Xerxis, usque ad Alexandri M. regnum gestas ordine Chronologico, juxta seriem Olympiadum & Archonton Atheniensium summam recenset.

Ceterum ne quod illustrandæ antiquioris historiæ subsidium desideretur, cum tabulas Geographicas a Sansonio, Geographo regio, ad illorum temporum conditionem accommodatas præmittit, tum & Chronologiam præcipuorum regnorum subjungit. Incipit autem p. 246 a Chronologia Ægyptiaca, ubi imprimis famosas illas XXX Dynastias Regum Ægyptiorum a Manethone descriptas, in quibus explicandis nec Scaliger, nec Petavius, nec quisquam fere alius ante Jo. Marschamum operæ pretium fecit, in ordinem redigere studet, & qui inde a Menis, primitivus Ægypti regis, ætate, singulis hujus postea divisæ partibus uno tempore simul præfuerint, vel easdem denuo conjunxerint, in Tabula quadam, indicatis e regione annis æræ Ægypt. Periodi Jul. & ante Christum natum, repræsentat, eamque seriem usque ad Alexandri M. ætatem perducit. Simili ratione deinceps Imperii Babylonici, Assyriaci, Medici ac Persici, ut & Græcorum ac Phœniciorum Chronologiam explanat, atque in distinctis Tabulis proponit. Assyriacum Imperium non supra 670 annos stetit, ejusque initium non ultra annum ante C. N. 1229 & P. I 3485 proferendum esse, p. 286 probat. Unde adeo non modo multos ex regibus illis Assyriacis, quos Ctesius ex eoque plurimi veteres & recentiores Chronologi enumerant, & 1300 amplius annis regnasse, putant, ut fictos rejicit, sed & Simplicii ac Porphyrii narrationem, qua Chaldæi, tempore Alexandri M. 1093 annorum observationes cœlestes protulisse dicuntur, admodum infirmum fundamentum ad Imperium Assyriacum 1300 annorum stabilendum, Petavio aliisque præbuisse, ostendit. In Chronologia Græca, ac speciatim Atheniensi, marmor Arundelianum præcipue sequitur, ejusque auctoritate p. 318 initium aeræ Atticæ, sive regni Cecropis, ponit in anno P. I 3132, ante C. N. 1582, & Eusebii Chronicon corrigit, in quo ab excidio Trojæ usque ad I Olymp. omnia 26 annis tardius, quam acciderunt, commemorantur. Ultimo tandem



tandem loco tabulam generalem addit, omnium regnorum antea sigillatim descriptorum epochas, initium & finem cum præcipuis momentiæ historiæ civilis, Alexandri M. ætate antiquioris, conjunctim exhibentem.

*NICOLAI GÜRTLERI ORIGINES MUNDI, & in eo Regnorum, Rerumpublicarum, Populorum, horumque Duces, migrationes, Dii, Religio, mores, instituta, res gestæ, civiles, sacræ, bellicæ. Referuntur omnia ad loca & tempora sua, & ex ipsis fontibus, fereque propriis Historicorum verbis ad modum Historiæ Universalis, cum maxime Ecclesiasticæ, representantur, cum Indicibus necessariis iisque locupletissimis.*

Amstelodami, ex officina Wettsteiniana, 1708, 4.

Alph. 5 plag. 4½

**P**Lures habemus, qui in hoc Historiarum genere haud exiguam præstitere operam, tam veteres, quam recentiores. Inter illos primum facile locum sibi vindicat Herodotus, Lydii regni, Medici, Persici, Babylonici, Scythicam quoque Lybicum, Ægyptiacam & Græcam præcipue Historiam, novem libris complexus. Diodori quoque Siculi Bibliotheca huc referenda, cujus pauciora nunc supersunt, quam periere. Ex recentioribus Samuel Bochartus in Geographia Sacra, Marshamus in Canone Chronico & Usserius in Annalibus, idem argumentum, origines nempe mundi, sibi sumserunt. Post quos, & alios, quorum recensioem instituere superfedemus, Clarissimus Görtlerus, ex Institutionibus Theologicis, Theologia Prophetica, & Explicationibus vocum typicarum, satis superque jam notus, eidem operam dare constituit, præsentem hunc librum in publicum emittendo. Duobus Libris opus hoc absolvitur, ubi factò ab ipsa creatione initio, primum usque ad exitum Israëlitis ex Ægypto, alterum usque ad Saulis tempora perducit. Librum primum partitur rursus, secundum ea, quæ ante & post diluvium fuerunt facta. Cumque post diluvium solennis illa in totius orbis regiones dispersio fieret, ab hoc tempore, secundum regna diversa, Historiæ suæ telam pertexit, ita ut ex Asia in Afri-



- eam, & hinc denique in Europam transeat, singulorumque, quos narrat, populorum tum originem, tum instituta, divina pariter ac humana, investiget. Nihil unquam nisi autorum firmatum testimoniis profert, iisque utitur autoribus, quibus fides negari vix queat. Homero nempe, Herodoto, Thucydide, Strabone, Diodoro Siculo, Plutarcho, Pausania, Xenophonte, Athenæo, Mela, Plinio, Scylace, Stephano, Scymno Chio, aliisque permultis, ut ipse in præfatione testatur. Hinc pleraque, ad argumentum quod tractat pertinentia in unum quasi corpus collecta videas, curiosis sæpissime observationibus exornata, quarum an varietas magis delectet, an eruditio, dubites. Ita post lapsum statim pios fidem suam cruentis sacrificiis mortem Salvatoris præfigurantibus testatos observat. Locum Gen. III Ecce factus est sicut unus e nobis; non ironice, ut plerique, explicat, sed ita *παραφράσεις*: Adamus factus est similis filio Dei, in humana natura apparituro. Diluvii universalitatem cum aliis argumentis, tum eo maxime probat, quod, secus ac adversarii crediderant, omnino sit verosimile jam tum terrarum orbem repletum fuisse incolis. Vulgarem quoque opinionem de facta post diluvium terrarum inter Noachi filios divisione impugnat, cum dividere Dominorum sit, non colorum. Et quoniam in gentium antiqua satis de Saturnii regni inter ejus filios distributione fabula vestigia ejus rei latere putata sunt, ex ea ipsa pro se petit argumentum, quod Homerus, quo loco illam rem refert, terram expresse communem tribus fratribus mansisse asserat. De Abrahamo inter Patriarchas loquens, fidem ejus in spe de Isaaci vita constituit. Jobum Mose facit antiquiorem, quippe qui iis vixerit temporibus, quibus se Deus aliis quoque, præter Judæos, populis manifestaverit, cujus in libro nullorum mentio fiat rituum, qui amicum habuerit Elihu, Nachoris, Abrahamæ fratris pronepotem, cujus denique ætas Mosaicorum temporum terminum vitæ longe superaverit. Nec obscure Jobabum cum Jobo eundem esse censet, cujus inter Idumææ reges Gen. XXXVI fiat mentio. Chaldæorum, qui apud Ebræos *כְּשִׁיטִים* vocantur, appellationem contra Stanlejum & Clericum a Chesed, Nachoris filio, deducit. Socinianorum errori, quasi ante Evangelii tempora alterius vitæ spes nulla fuerit, Zoroastrem potissimum opponit
- p. 10.
- p. 11.
- p. 28. seq.
- p. 34, 35.
- p. 47.
- p. 53. & 900.
- p. 77.
- p. 105.



ponit, de futura vita ac civitate beatorum, una lingua locutorum, differentem. Bochartum, qui, ut hypothese suæ de Phœnicum coloniis inserviret, statuerat Rhodum ante Mosis tempora non fuisse habitatam, refutat. Dum de Telchinibus, primis Rhodi incolis, loquitur, observat, Græcorum quidem voces plerasque Hebræas esse origine, non tamen per Cadmi demum adventum, sed per radices linguæ primævæ propagatas. Hos eosdem quoque Telchinas pariter, ut ex superioribus seculis Agrippam, Paracelsum, Trithemium, aliosque, a Magiæ suspitione, quippe qui rerum naturalium præ aliis fuerint periti, liberat. In Ægyptum progrediens contra Kircherum probat, ante Babelicæ turris structuram habitatam fuisse eam regionem, 1. ex multitudine hominum, quæ intra 200 annos ex ipsius Kircheri rationibus nasci potuerit, cui cum armentis copiosissimis capiendæ terra Sinear minime suffecerit; 2. quia sub Nino & Semiramide hominibus jam Arabia, Armenia &c. abundarint; 3. ex antiqua Ægyptiorum, qua se omnium mortalium primos faciebant, traditione. Insignem præterea ex Plutarchi Numa de Ægyptiorum sententia addit observationem, quod nempe statuerint, hominem cum divina natura misceri non posse, non tamen esse impossibile, *πνεῦμα θεῶν πλησιάζει γυναικί, καὶ τινὰς ἐντεκεῖν ἀρχὰς γενέσεως*. Bacchica sacra a Baccho ipso, quem pro Chami habet filio, in recordationem lapsus Evæ sine turpibus ceremoniis primitus instituta credit. Quemadmodum omnino eam fovet opinionem (quod passim prodit) *μυστήρια* gentilium, & præcipue a malo punico in iis abstinentiam (quod comestum a primis parentibus arbitratur) memoriam ejus rei recolere. Circumcisionem propterea non putat institutam ut Judæos ab aliis discernat gentibus, quippe quæ aliis etiam fuerit in usu. Ad Chronologiam Judicum inter Israelitas observat, non semper numerari annos, quibus præcise Judices ipsis præfuerint, sed quandoque etiam annos, quibus quies & pax fuerit in terra, Judic. III, 11, 30, V, 31, VIII, 28, quam tamen pacem non semper de quiete ab hostium dominio, sed de ea quoque, quam sub illorum imperio habuerint, intelligi, ut sub isto adeo annorum numero *ἀναρχίας* quoque tempora comprehendantur. Ut superius Bacchica, sic & Veneris sacra per Cinyram instituta

p. 117.

p. 119.

p. 123, 124.

p. 134, 135.

p. 151.

p. 188.

p. 350.

p. 376. sq.

p. 443.



P. 452. ab impuritate vindicat. Gentes humanarum victimarum im-  
 471. molatione significasse putat, universum genus humanum mortis  
 618. apud divinum Numen esse reum, neutiquam tamen omnino ex-  
 stirpandum, sed uni pro omnibus esse moriendum. Sacrificia, san-  
 guinolenta manu oblata, Deo neutiquam placere, gentiles ex na-  
 turæ lumine cognovisse censet. Sicyoniorum Regum catalo-  
 gum, ab Eusebio & Pausania contextum, a Marshamo vero im-  
 pugnatum, contra eundem defendit. Hæc ex vario opere varia,  
 quo se apud Autorem ordine nobis obtulerunt, excerptimus, ut  
 speciminis loco queant esse, quales ex universo opere fructus de-  
 beant expectari.

*DE VITA ET SCRIPTIS FAMOSI ATHEI,  
 JULII CÆSARIS VANINI, Tractatus singularis,  
 in quo genus, mores & studia, cum ipsa morte horrenda e-  
 scriptis suis rarioribus, & fide dignis autoribus aliis, sele-  
 cta sunt, & ne cui offendiculo sint errores ejus simul  
 refutati a JOHANNES MAURITIO  
 SCHRAMM.*

Custrini, apud Godofredum Heinichium, 1709, 4.  
 Plag. 17  $\frac{1}{2}$ .

**I**Nvisa fuit omni seculo veritas, & ab Empæctis tantum non  
 semper detorta, vel plane rejecta. Quin illud (quod magis mi-  
 reris) ævum, quo plena veritatis lux oriebatur, Diagoras antiquos,  
 Theodoros, Evemeros resuscitavit, & in lucis istius autorem arma-  
 vit. Quorum ut fatius fuisset non prodiisse dogmata, nec enim  
 ipsos optandum fuit nasci, ita, cum fuerint tales, suamque disse-  
 minarint impietatem, & hujus fuit refutatio necessaria, nec, quod  
 quibusdam visum, ipsorum vitæ descriptio noxia. Sic namque tum  
 verum confirmatur, tum de aliis rebus non curiosis modo, sed ad  
 παιδείαν quoque utilibus, homines instruuntur. Maxime cum ad-  
 eo mentem obfuscare possit ista stoliditas, ut martyres quoque suos  
 habuerit Atheismus. Ita sanguine suo testimonium tulit errori ce-  
 lebris superiori seculo Vaninus, cujus Historiam ductu Autoris  
 clarissimi, qui eam consignavit, quam poterit fieri brevissime per-  
 seque-



sequemur. Natus autem est Taurisani in Apulia, patre Jo. Bapt. Vanino, comitatus, qui a Castro Minervæ nomen habet, præfecto, matre Beatrice Lopez de Noquera. Per Baptismum in Romanæ Ecclesiæ recepto communionem Lucilii nomen datum est, quod cum Julii Cæsaris postea, forte quo esset tutior, commutavit. Natus erat a natura ingenium supra ætatem excellens, famamque ipsi non parvam portendens. Hinc cum domi Aristotelicæ Philosophiæ sedulam jam navasset operam, Neapolin patris jussu abiit, hicque Philosophiam imprimis Naturalem, & quæ mutuo ei nexu jungitur Medicinam, Theologiam quoque cum Jurisprudencia edoctus est. Neapoli in Patavinam egressus Academiam, victu pariter ac amictu parcissimus, omnia sua in studiorum tractationem contulit, Cardani potissimum scripta legit, Pomponatium etiam ut præceptorem amplexus, viros magnorum circa res divinas errorum non leviter accusatos. Hinc Germania, Bohemia nominatim & Belgio peragratis, Genevam transiens Lugdunum perrexit, unde tamen, Henricum Sylvium nactus inimicum, fuga in Britanniam elabi coactus est. Ubi, ut ipse præ se fert, ob religionis veritatem, ut Cl. Autor judicat, ob impias contra religionem & Remp. machinationes, in carcere aliquamdiu detinebatur A. 1614. Quo periculo liberatus Genuam abiit, & Auditorum nactus applausum, Philosophiam per aliquod tempus docuit. Averrois potissimum libros, hominis, qui omnes contemnere religiones, animæque mortalitatem insigniter defendere putatus est, commendavit. Postea homo vagus, nec in uno semper loco manere tutum ratus, Lugdunum rursus, & inde in Italiam revertit: accusatus autem ob disseminata dogmata à Deo Lutetiam aufugit, post quæ deinde tempora, ut deinceps audiemus, Tholosæ est combustus. Quantum ad scripta ejus attinet, multa composuit & varia. Physicos Commentarios scripsit admodum adolescens, item Medicos, librum de vera sapientia, Physico-Magicum, & de contemnenda gloria, in quo Atheos oppugnasse videri vult, Christum ex gloriæ cupiditate mortem oppetiisse statuentes; præterea Astronomici quoque Argentorati excusi memorantur. In omnibus equidem his contra Atheos disputat, alieno tamen sæpe loco & satis frigide: in tractationibus tamen, præcipue Theologicis, id institutum sequi-



tur. Sic in Apologia pro Mosaica & Christiana lege adversus Physicos, Astronomos & Politicos, refutat eos, qui miraculosum Israëlitarum per mare rubrum transitum elevant, Cardanum quoque de animæ immortalitate minus recte statuentem. Apologiam etiam Tridentini Concilii composuit. In Amphitheatro porro æternæ providentiæ, quod Lugduni A. 1615 cum privilegio Galliarum Regis prodiit, Atheos & religionis Christianæ Empæctas, Empæcta, ipse petiisse videri vult. Quo in libro bonis mala mixta Autor agnoscit, cum successive Lucilius factus sit Atheus. Et quamvis modeste sub finem libri a Lectore petat, ut, si quæ minus recte dicta videantur, ea deleat, emendet, oblitteret, non tamen omni suspitione se liberat, partim disputando contra adversarios frigide, partim se, quæ sentiat, dicere non audere metu inquisitionis profitendo, inconstantia denique sua, alibi quæ hic scripserat, sæpe refutando. Quin hoc ipso in libro optima Scaligero patri eum debere animadvertit Autor, quem nunquam, nisi ambiguo Julii Cæsaris nomine, sub quo ipsemet latebat, citat. Succedit ultimo denique loco tractatus de admirandis Naturæ Reginae Deæque mortalium arcanis, qui prodiit Paris. 1626 cum privilegio Regis, sub Jul. Cæs. Vanini nomine approbatus primum a duobus Facultatis Theologicæ Parisinæ Doctoribus, postmodum ab eadem combustus, quem, ut, quæ sentiret, eo melius laterent, Dialogorum forma composuit, discipulum Alexandrum & præceptorem Julium Cæsarem loquentes inducens. Hic quatuor potissimum modis malitiam docere observatur, Atheorum nempe dogmata tam gravia asserens, ut nisi Christianus esset eadem ipse crederet, argumenta eorum proponens quidem, abrupta tamen quasi *ὄτις μὴ χανῆς* oratione non revellens, propositis item argumentis alibi se respondisse asserens, quod nusquam tamen fecit, denique directe etiam, sive serio id egerit, sive per jocum videri velit, Christianam religionem oppugnans. Singulis hisce modis exempla affatim probantia subjunguntur apud Autorem, quorum recensione nunc supersedemus. Satis autem diu persona hac acta, seipsum tandem sicut forex prodidit, cum Tholosæ juventuti, quam instituebat, non polliceretur tantum se religionis Christianæ fundamenta subversurum, sed & idem nefario ausu



conaretur. Quousque Franconus quidam, qui sæpius illius sermonibus, quorum altero negabat Deum, altero afferebat, interfuerat, tantum veritatis hostem ulterius non ferendum arbitrat, ad magistratum nomen ejus deferret. Hujus tamen judicii laqueis, pietatem falsam simulando, impiaque dogmata se eo tantum, ut refutarentur facilius, proposuisse fatendo, Lucilius se expediebat. Repetente vero paulo post Francono suas accusationes, cum omni supellectile denuo capiebatur, ubi, cum bufo vivus aquis fufis innatans crystallo inclusus inveniretur, magicarum artium & veneficii suspicionem incurrit possessor. Neque tamen convictus videtur hujus criminis, cum, rerum naturalium peritissimus præsentissimum inde remedium peste vel alias veneno infectis peti demonstraret. Quod ad doctrinam à *Deo*, Franconus ille se stitit testem, suis, queis usus erat verbis, tempore etiam locoque, quibus erant prolata, adductis eum arguens. Hæc negans licet, & ad pristinam provocans sententiam, in carcerem est conjectus. Ubi, cum precibus ad Deum & Christum redemptorem fufis, Sacramenti etiam usu, simulasset pietatem, & Deum se confiteri in Trinitate unum, qualem credat orthodoxa Ecclesia, asseruisset, id ipsum quoque arrepta aliquando coram iudicibus, quæ humi forte jacebat palea, per hanc ipsam paleam demonstrasset, ad extremum nihilominus ob magicarum artium & impiam doctrinam ad rogam est damnatus. Hac demum sententia prolata, quod diu callide texerat, patefecit, nullum se Deum, nullum diabolum credere manifeste prodens; quin Monacho quodam crucifixi Salvatoris imaginem, dum ad supplicium raperetur, monstrante, averfatus eam, blaspheme in hæc prorupit verba: Imbellis sudor est, quem illi timor elicuit, ego imperterritus morior. Obfirmato etiam ad speciem vultu, sæpe philosophice se moriturum exclamabat. Cum ad locum denique supplicii esset perductus, lingua blasphema primum execrabatur, corpore dein flammis tradito, cineres in aërem dispergebantur. Cujus de morte, quæ Anno 1619 accidit, Grammondum dicentem observat Autor, spem fuisse, ut ad frugem homo rediret, quæ tamen brevi nimis spatio, quod post latam sententiam maleficis apud Gallos concedatur, evanuerit. Ab ejus autem veneno ut eo melius caveamus,



mus, sententias ipsius (nec non Cardani quoque & Pomponatii) identidem revellendo, fraudes detegendo, antidotum *C.* Autor paravit.

*CAMPEGII VITRINGA OBSERVATIONUM  
Sacrarum Libri Quintus & Sextus.*

Franequeræ, ex officina Wibii Bleck, Bibliopolæ, 1708.

Constat 3 Alph. 2 $\frac{1}{4}$ . plag.

**Q**ui priores Observationum sive Dissertationum Sacrarum libros atque Commentarium in Apocalypsin Johannis a doctissimo Vitringa editos legerunt, a nobis etiam A. 1701, p. 97 relatos laudatosque, iis quoque non poterunt non esse grati liber quintus & sextus Observationum, in quibus de rebus, quæ Eruditioni Sacræ promovendæ faciunt, differens, in discutiendis quæsitis, præsentium sententiarum aut hypothesium potiores, a doctis Viris in medium prolatas, sub liberum mittit examen, suisque Observationibus, vel confirmat & declarat bene ab iis monita, vel ex sua sententia dubia resolvit. Summam horum ipse Autor in lemmatibus capitum complexus est, quæ hic repetemus, adjectis tamen, ubi opus videbitur, ex ipsa tractatione dilucidationibus. Libri V., cap. 1. quæritur, an Matthæus Evangelista Oraculum de Puerio Immanuele ex Virgine nascituro Jes. VII, 14, directe & immediate, an vero indirecte & per modum allusionis typice a fœmina nubili florentis ætatis editura prolem, ut Pellicanus, Tirinus, Grotius, Crellius volunt, transtulerit ad ortum Christi hominis ex Virgine Maria Cap. I, 22, 23. Priorem sententiam eligit Vitringa: cui, cum duæ obstant difficultates, altera ex antecedente Prophetiæ contextu, altera ex consequente nata, priorem hic expedit; simul rejiciens Cocceji hypothesin, ad hanc partem Pericopæ Prophetiæ applicatam, quæ infert, Damascum, circa tempus nati inter homines Christi, fuisse caput Judææ. Posterior difficultas petita ex v. 16, ubi dicuntur Syriæ & Ephraimitidis Reges, Rezin & Pekah, prius esse interituri, quam Immanuel puer pervenisset ad ætatem prudentiæ, ita solvitur Cap. II post Tremellii, Piscatoris, Usserii, Spanhemii, Cocceji, Altingii sententias diligenter expensas: Prophetam docere, non esse plus lapsurum temporis hucusque



usque ad interitum illorum Regum, quam fuisset a natali Immanuelis, usque ad ejus adolescentiam.

Cap. III in obviarum in sacris libris phrasium, hæreditas gentium, hæreditas terræ, & apud Paulum Rom. IV, 13 hæreditas mundi, sensus inquiritur, demonstraturque, hæreditatem gentium & mundi eandem esse rem, non diversas: notareque bonum spirituale & universale, cujus possessione nemo eorum, qui in Christo sunt, excluditur: sed ab utraque distinctam esse hæreditatem terræ; quippe quæ sit Novi Testamenti bonum, nec catholicum, nec mere spirituale, sed certi & singularis temporis, quo sancti mundum judicarent.

Capite IV Sententia Ludovici de Dieu, quæ hæreditatem mundi statuit esse mundum ipsum, cum jure externis & corporalibus mundi bonis fruendi, quod credentes in Christum nacti sunt in ejus communione, examinatur & improbatur. Non admittitur etiam hypothesis satis recepta, quæ hominibus, qui sunt extra Christum, DEI respectu, negat omne jus beneficiis naturæ bonisque hujus mundi honeste utendi.

Cap. V Præclarum beneficium hæreditatis gentium a Judæis occupandarum & possidendarum tempore Messia Regis, cujus in promissis Abrahamo datis, & oraculis Prophetarum frequens mentio est, describitur ac declaratur, tum respectu ipsarum gentium, quæ hic passive veniunt nomine hæreditatis, tum respectu modi, quo a Judæis possidendæ sunt; quem Prophetæ prædicant fore non externum, corporalem, civilem aut æconomicum, quo sibi subjectas, veluti servas, gentes habituri sint, quæ spes lætat animos Judæorum, sed potius internum, & spiritualem, naturæ paternitatis Abrahami convenientem.

Cap. VI Hæreditas sive possessio terræ, distincta stylo Scripturæ ab hæreditate mundi & gentium, describitur singulare divinæ providentiæ beneficium, quo hæc terra, quæ alibi viventium appellatur, majorem partem a fece malorum & impiorum hominum purgata, a piis & sanctis veræ religionis & mansuetudinis evangelicæ cultoribus, sub cura & regimine Principum ac Magistratum bonorum, pacis & veritatis amantium, pacate, tranquille, feliciter, in timore DEI ejusque nominis publica confessione,



cum luculentis indiciis Divini favoris & benedictionis non in spiritualibus modo, sed & temporalibus, longum tempus colitur & habitatur, ita ut nemini noxæ & fraudi sit veram colere religionem pietatemque; sed potius commodo & honori; nec tranquillitas publica a Principibus malis, furore bellico-incensis; nedum tyrannis & persecutoribus veræ Religionis perturbetur: De hoc accipit dictum Christi Matth. V, 5 translatum ex Ps. XXXVII; & 1. Cor. VI, 2, Actor. III, 19, quam suam Chiliaficam opinionem, a communi Reformatorum etiam interpretum sententia discedentem adstruxerat in Commentario in Apocalypsin.

Cap. VII discussurus quæsitum, an communio credentium in Christum externa sit absoluta an hypothetica, communionem ipsam, quæ inter Christianos intercedit, describit statum Christianorum, quo, qui Christi Jesu disciplinam amplectuntur homines, commercium aliquod inter se habent & colunt, & ex rei natura & verbo Dei adstruit: tum deinde species istius communionis recenset, docetque eam esse tam passivam, consistentem in plurium bonorum possessione, ex eodem Jure sive titulo; quam activam, cujus vi ipsi obligantur ad officia quædam mutuo sibi exhibenda, in totius communitatis sive societatis commodum: utramque esse tam internam & spiritualem, quam externam. Activam credentium communionem externam ait, quatenus affectus animi, quo Christiani in se mutuo feruntur, ipso opere & officio externo declaratur. Passivam externam aliam dicit veram & propriam, per quam credentes in cœtu participant lectionem verbi divini publice factam, conciones, cantum; aliam symbolicam & figuratam, in publico & solenni usu sacramentorum, gratiæ, baptismi, & præcipue cœnæ Dominicæ. Inter hæc de usu vocis communionis, in prima Ecclesia Christiana ex Albaspinæo differit, & evincit adversus Anonymum novarum cogitationum de primo & secundo Adamo, & dissertationis de cœna Domini iisdem subjectæ Autorem, Christum Jesum inter alia cœnam sacram, hoc etiam scopo instituisse, ut sustineret figuram symbolicam communionis, ad quam profitendam, & inter se colendam Christiani vi disciplinæ & societatis suæ obligati sunt.

Cap. VIII resoluturus problema de Communionem Christianorum



norum externa, absolutane, sive absque ulla supposita conditione, an hypothetica, sive sub aliqua conditione ineatur & colatur, in genere monet, primæ Ecclesiæ christianæ doctores omnes absolutam supposuisse Christianorum communionem, hypotheticam ignorasse, vel de ea minus explicitè scripsisse: Donatistas tamen vehementius adhuc urfisse, & ad extrema propulisse. Quod ut patefcat, systemata doctrinæ veterum de ecclesia & Christianorum communione ante tempora Donatistarum ex Tertulliano præcipue & Cypriano; tum ipsorum Donatistarum sententiæ de hoc argumento, ex ipsorum & Augustini libris, & denique ipsius Augustini distinctè & cum aliqua cura exhibentur. Augustinum speciatim observat discrimen Ecclesiæ externæ & internæ non ignorasse.

Cap. IX Donatistarum primo, deinde Augustini hypotheses de Ecclesia, & communione Christianorum ad examen revocantur, & quid in iis desideretur, demonstratur. Summa disputationis est, notiones Ecclesiæ internæ & externæ, & utriusque attributa a Donatistis non diligenter observata, & inter se passim confusa esse; ejusdemque erroris vitio factum, ut communionem cum Ecclesia externa passim urferint absolutam, quæ vere non est nisi hypothetica: Augustinum quoque non satis prudenter ab hoc errore sibi cavisse, atque adeo non semper æque feliciter cum Donatistis esse congressum; ejusque ex doctrina de Ecclesiæ externæ Catholicismo, & absoluta Christianorum communione cum Ecclesia externa Catholica, omnes fere manasse errores de Ecclesia, quos Pontificiæ sectæ homines mordicus etiamnum tuentur, & suæ prætexunt tyrannidi in eos, qui se qualicumque de causa separant a communione Ecclesiæ Romanæ, quam illi Catholicam vocant. Tandem evictò, Christianorum communionem externam singulorum cum singulis, & singulorum cum universis esse hypotheticam, quatenus Ecclesia particularis partem facit Ecclesiæ internæ, dubia adversus hanc sententiam expediuntur; & tam necessitas hujus doctrinæ, quam illius utilissima confectaria, in omni disputatione de Ecclesia sigillatim recensentur.

Cap. X probat eorum sententiam inter Doctos, qui prologum Evangelii Johannis, adversus Gnosticos illius temporis insti-



tutum fuisse volunt, ad illorum sublimia Θεολογήματα sive refellenda sive emendanda.

Cap. XI a sententia Clerici statuentis Johannem in prologo Evangelii sui respexisse Philonem Judæum; & Christianos sui ævi, qui scripta ejus lectitabant, voluisse docere, quo modo phrases de DEO, & λόγῳ Filio DEI primogenito, quas Philo usurpat, recte intelligerent, dissentit, negatque Doctrinæ Christianæ cum Platonica, de tribus in Deo, quæ sunt unum, omnimode convenire.

Cap. XII hypothesis, quæ Johannem in Evangelii exordio Gnosticos respexisse infert, eorumque doctrinam emendare voluisse illustratur. Eisdem esse putat hæresiarchas Christianos, quos notaverit in Epistolis negare Jesum esse Christum, & Christum venisse in carnem; proponitur tandem conjectura de Simone, Gnosticorum Principe, per quem veteres Christiani Simonem Magum falso intellexisse videantur.

Cap. XIII tertia Gnosticorum hypothesis, de variis perfectissimi entis emanationibus, sibi invicem subordinatis, quam prologo sui Evangelii respexisse videtur S. Johannes, speciatim in lucem protrahitur, & distincte demonstratur, quomodo prologus Evangelii Joannis, secundum omnes suas partes Gnosticorum doctrinæ fuerit oppositus.

Cap. XIV ad declarandum mysterium facis igneæ, quæ castris Israëliitarum in deserto Arabiæ præluxit, illius præmittit investigationem; & Cap. XV excurrit ad indagandum ingenium soli deserti illustris Arabiæ Petrææ, in quo Israëlitæ per quadraginta annos morati sunt: quibus aliqua interspergit adversus sententias Bocharti & Huetii de Chavila hujus deserti, & de sede Chaulotæorum. Cap. XV mysterium columnæ sive facis illius igneæ docet esse Filium DEI, veræ consortem divinitatis, magnum Angelum foederis, qui excellentes suas perfectiones gloriamque suam isto corporali symbolo, quod symbolum est divinæ naturæ, voluerit explicatam & conspiciendam dare Ecclesiæ; præcipue, quæ se manifestum facit in œconomia gratiæ, & olim manifestaturus erat in carne: quorum primum in hac dissertatione evolvens, analogiam inter columnam nubis & ignis, & divinæ Christi naturæ, typum scilicet & antitypum ostendit. Alterum Cap. XVII explicat,



eat, ut Filius DEI se manifestaverit, tam Israëlitis, quam vel maxime Ecclesiæ Novi Fœderis. In his obiter declaratur, posteriora DEI, hoc est virtutes, quæ hominibus in creatione & regimine hujus universi, in primis electis in administratione gratiæ patefiunt vidisse Moſen, non ipsam ejus naturam excellentissimam. Cap. XVIII perfectionem hominis distingvit in physicam, consistentem in bono jucundo, & moralem, positam in conformitate hominis cum lege. Cum autem lex sit vel naturæ vel gratiæ, gratiæ vel Mosaica vel Evangelica, (sic cum Papæis, Socinianis & Arminianis loquitur) hanc definit, dicitque consistere in abnegatione sui ipsius, & obsequio, quod est ex fide, respectu tum communium officiorum, quæ omnibus Christi subditis mandantur, tum specialium, ad quæ obligantur in variis & diversis vitæ statibus. Unde moralem hominis Christiani perfectionem in absolutam & relativam dispescit. Ultramque explicat, & in exemplis exhibet, tum quoque in gradus illius perfectionis, quatenus in hac vita obtineri potest, & media ejus obtinendæ inquirens, docet, DEUM nullibi hominibus exposuisse hoc consilium, quod iis gratiam summæ perfectionis in hac vita concedere nolit; contra omnibus omnem gratiam, qua ad perfectionem suam indigent, prolixè condicere, si eam serio petierimus. Ad média vero per se ducentia ad perfectionem hominis moralem, non pertinere paupertatem & cœlibatum, ut Pontificii volunt; posse ea nihilominus esse media per accidens. In universum perfectionis relativæ hominis Christiani summum gradum ponit in ministro Evangelii cœlibe, (si continentiæ dono gaudeat) qui in paupertate & afflictione Evangelium Christi ad ipsius Christi exemplum administrat, omnibus curis rerum mundanarum vacuus, & gloriæ DEI promovendæ totus intentus.

Hæc est summa Capitum Libro V comprehensarum. Nec ingratum erit Lectoribus indicare, quæ Libro VI doctissime pertractata sunt. Capitibus primis quinque adversus paradoxam interpretationem Marshami Oraculi Danielis de LXX Hebdomadibus expectationi Messiæ præfinitis disseritur.

Cap. VI communis Judæorum & Christianorum doctorum sententia de defectu Prophetiæ post Malachiæ ætatem con-



firmatur. Additur aliquid ex opinione Rabbinorum de defectu Spiritus S. & silentio Oraculi, Urim & Thummim dicti. Cap. VII in ætatem, nomen, personam Malachiae inquiritur. Cap. VIII rationes, quæ vulgatam sententiam de defectu Prophetiae post Malachiam commendant, in medium proferuntur; nec tamen hanc sententiam ita accipiendam esse docetur, ac si Deus sanctos, qui medio tempore inter Malachiam & Johannem Baptistam vixerunt, nullis plane dignatus esset extraordinariis revelationibus suæ voluntatis. Quare specimina extraordinariarum revelationum, quæ apud Josephum occurrunt, absque expresso revelationis modo, primo loco exhibentur ac illustrantur.

Cap. IX inter extraordinarias revelationes, quarum factarum modus in historia adscribitur, in medium proferuntur specimina alloquiorum ac vocum silentio auditarum, tam ex Josepho, quam Talmudicis. Qua occasione Cap. X digressio instituitur de illa coelesti revelatione, quæ a Judæis בת קול filia vocis appellari solet, asseriturque fuisse vocem veram, non imaginariam adversus Maimonidem, & quidem vocem altam, gravem, sonoram, humana majorem, in aëre formatam, & publice exceptam. Illustrantur simul multa Scripturæ loca, in quibus de hoc aut similibus argumentis agitur, ut I Sam. III, 5, Job. IV, 12, 13, Num. XII, 8, Exodi XXXIII, 11, Joh. XII, 28, Actor. IX, 3, 4, Gen. III, 8, Exod. XX, 16, Hebr. XII, 19, Dan. IV, 28, Matth. III, 17.

Cap. XI allatis doctorum virorum responsis, quare genus illud divinæ revelationis, quod Magistri volunt Prophetiae ecstaticæ substitutum, voce factum esse coelesti, ab iis non tantum vox, sed בת קול filia vocis appelletur, his subscribit, qui sic dictam volunt hanc revelationem, quod passim cum murmure fracti aëris, quale illud tonitru est, vox edita, & inde veluti nata sit.

Cap. XII aliæ species revelationum Divinarum illius temporis, quod inter Malachiam & Joannem Baptistam intercedit, ex historia recensentur; quales illæ apparitionum Angelicarum; Somniorum divinitus immissorum; & divini instinctus aut affectus, qui dicitur; exemplis maxime petitis ex Maccabaicis & Josepho.

Cap. XIII post congesta ex historicis exempla revelationum



num Propheticarum ætate Malachiæ posteriorum, ipsum tandem problema de hac re in antecedentibus propositum solvitur, definiturque in universum dicendum non videri, tempore, quod interfluxit inter Malachiam & œconomiam novam, extraordinarias revelationes divinæ voluntatis penitus defecisse. Adstruitur sententia argumentis primo indubiis, quæ ex scriptis novi foederis petita sunt, etsi ad statum Ecclesiæ veteris œconomix vere referenda sint; ut sunt prophetia Cajaphæ, de qua adversus Lightfootum disputatur, & exempla extraordinariarum revelationum, quas historia Evangelica narrat obtigisse Zachariæ, Josepho, Simone, Mariæ, Elisabethæ, Annæ, piisque & reverentibus viris & foeminis: deinde asseritur fidem Maccabaicis, Josepho & Talmudicis, etiam de sua filia vocis loquentibus, prorsus denegari non debere: & notabilis difficultas, quæ residere videtur in loco Joh. V, 37, ubi Judæi vocem DEI Patris nunquam dicuntur audivisse, expeditur.

Cap. XIV clauditur tandem hæc dissertatio, concessio, Prophetas œconomix veteris canonicos, quorum characteres recensentur, post Malachiam defecisse, idque futurum esse, ipsum Malachiam præmonuisse; tum præterea investigantur divini consilii hujus rationes, adductis Judæorum & Christianorum doctorum sententiis; quibus subjicitur *ἐπιπίστις*, veras causas hujus oraculorum defectus demonstrans.

Cap. XV examinatis peccati definitionibus factis ab Augustino, Poireto, Coccejo & aliis, & earum optima posita Cap. XVI sequente, ventilatur thema, peccatum esse nihil, sive nihil privativum, evinciturque vitiose id affirmari, præcipue a Poireto, de peccatis commissionis, quæ vere sunt actus adversus legem commissi; vitium autem in eo esse, quod adversa sententia peccatum ipsum, quod est res concreta, h. e. actus vitiosus, cum ratione formali peccati sive vitiositate, quæ est res abstracta, confundat.

Cap. XVII, XVIII & XIX libertatem, quam Paulus credentibus sub œconomia gratiæ a lege Mosaica morali asserit in epistola ad Romanos, explicat. Cap. XX dissertationem instituit de studii Scripturam divinam allegorice interpretandi soliditate & præstantia: subjicitque quosdam hujus studii recte excolendi canones;



nones; collustratis simul quibusdam locis codicis sacri hoc argumentum attingentibus. Quibus præmissis Cap. XXI Josephi, & Cap. XXII Simfonis typos Christi ex historia Evangelica illustrat.

Cap. XXIII & ultimo disputat, an Sagan, vicarius Pontificis Hebræorum, sano & commodo sensu dici queat summus sacrorum templi præfectus? qua occasione de officio & dignitate Saganis plura ex statutis disciplinæ Hebræorum adferuntur. Sub finem discutiuntur duo loca Historiæ Lucæ Evangel. Cap. III, 2, Actor. XXIII, 2, & disquiritur, an secundum eruditorum quorundam virorum sententiam Saganatus munus in iis demonstrari possit. Additi sunt indices tres, locorum Scripturæ illustratorum aut explicatorum; vocum & phrasium Hebræarum & Græcarum, quarum significatio in his libris ostenditur; rerum præcipuarum his libris contentarum.

HET ACHTSTE ANATOMISCH CABINET van FREDERIC RUYSCH.

h. e.

FRIDERICI RUYSCHII, ANATOMIÆ ET  
*Botanices Professoris, nec non Academiæ Cæsareæ  
Curiosorum Collegæ, Thesaurus Ana-  
tomicus octavus.*

Amstelodami, apud Joannem Wolters, 1709, in 4.

Constat  $9\frac{1}{2}$  plag. ac fig. æn. Tab. 3.

**E**X variis curiosis, cum præparationibus, tum observationibus Anatomicis, quas Anatomicorum dexterrimus, *Ruyschius*, in Thesauro præsentis cum publico communicare pergit, paucae nunc pro more veniunt commemorandæ. Nempe inter tres partes superiores sive scutellas craniorum foetuum humanorum una exhibetur, cujus dura mater, partim a cranio non separata, partim arteriis ceracea materia rubra ita repletis constans, occurrat, ut sinus ejus longitudinalis immediate ex venis, non autem ex arteriis, simul repletus luculenter possit videri. Secunda vero & tertia scutella ideo asservantur, ut accretio cranii striata, non tam ex membranis pericranii aut duræ meningis, quam ex substantia limosa  
inter

2. 2.

3.



inter utramque membranam sita, pariter innotescat, atque ossium bregmatis ac frontis in foetu distantia, in Figuris Autorum nondum satis expressa. Interior thoracis superficies tribus membranis, pleura videlicet, membrana cellulosa & costarum perioftio, investita ostenditur; quemadmodum ren humanus prodigiosæ magnitudinis & formæ, lagenam repræsentans ac subere interne repletus, innuitur. Copiosis auditus ossiculis ea quoque adjiciuntur, quæ admodum confusa, extraque ordinem sibi invicem adhærentia, ex foetu humano fuerunt desumpta, procul dubio surditatis illius auris, si foetus superstes mansisset, causa. In statu naturali inter membranam tympani ac os orbiculare in homine aperturam, quam nonnulli affirmant, Noster nunquam reperire potuit; neque Mercurius, per ductum Eustachianum adactus, viam ad auriculam invenit. Graviditatis tempore non solum tubas sive oviductus, verum etiam ligamenta uteri teretia, multum ab hujus fundo recedere, vaginam vero uterinam elongari, in utero quartum circiter mensem gravidæ, cum foetu ipso, balsamo indurato ac quadraginta quatuor annos jam conservato, curiosius præter alia valet cerni. In osse tibiæ humano, exactius nunc in Tab. III, Fig. 2, 3, 4 delineato, quam quondam in *Autoris Museo, Observationibus ejus Anatomico-Chirurgicis* annexo, p. 14 utramque inter laminam, non minus ac in cranio, diploe annotatur. In portione maxillæ superioris foetus vaccini per integumentum, quo ossa spongiosa inferiora narium obducuntur, vasa arterio-mucosa densissima & recto ductu ad nasi extremum decurrentia, indigitantur. Verum stomachi situm in Autorum Figuris observatum fuisse, quemadmodum negatur; ita nitidissimum sceleton aviculæ, in quo ne minimum quidem ossiculum desit, foramina vero naturalia ubique pateant, memoratur. Ossa fracta interdum a natura ita conjungi, ut substantia ossea solummodo spongiosa, diploes instar, evadat, lamina vero exterior ac durior deficiat, exemplo cubiti anatis, in Tab. III, Fig. 5 una depicti, adstruitur: nec dubitatur, quin idem in iis hominibus eveniat, qui post ossium fractorum curationem recidivam, absque ulla chirurgi culpa, facillime patiuntur. Inter intestinum cœcum hominis adulti & jam nati talis notatur differentia, ut in foetu, in quo

p. 4.

5. 13.

6.

7.

8.

9.

10.

17.

17.

28.

31.

32.



p. 33.

42.

43.

45.

48.

49.

50.

51.

55.

62.

principium coli magis magisque diminutum in processum vermiformem degenerat, vix intestini cœci locus determinari possit, in adulto autem cœcum nil nisi protuberantia coli existat, e cujus latere processus vermiformis emergat. Pudenda pseudo-hermaphroditi ovini, in Tab. II, Fig. 5 delineata, monstrantur, eorumque penis, clitoridis tantummodo corpus contra naturæ leges incrassatum & longius extra vulvam propendens, ita declaratur, ut hermaphroditi veri in dubium omnino vocentur. Occasione cordis humani, cum vasis nitide præparati, mirum recensetur vulnus, cultro circa papillam sinistram tali modo cordi inflictum, ut hoc a cono ad basin fere in duas partes fuerit divisum. Ramusculis arteriæ pulmonalis, materia ceracea rubra ad ultimum usque repletis, evincitur, arteriam pulmonalem male a nonnullis fuisse repræsentatam; neque ren succenturiatus reni a latere positus, uti in Autorum sistitur tabulis, sed reni potius impositus innuitur. In cute humana artificiali vasculorum repletionem hæc adeo numerosa deteguntur, ut cutis ex meris vasculis, videatur constituta; quæ epidermidis autem humanæ propullulant eminentiæ innumeræ ac tenuissimæ, duas lineas circiter longæ, ubi a corpore reticulari cuteque separatur, nil nisi thecullæ inversæ pilorum & papillarum cutanearum reputantur, ipsique etiam pili & capilli pro meris dictarum papillarum productionibus venditantur. Dum tumor stupendæ magnitudinis ac figuræ cucurbitinæ, circa os uteri internum enatus atque post balsamationem lapidis instar induratus refertur, quomodo a Chirurgo ligatus is & extirpatus fuerit, utrum ipsum sine vitæ periculo haud rescindi posse, notabili exemplo æque comprobatur, ac ossi femoris in cervice fracto claudicationem plerumque succedere, quod cervicis tunc partes non tam denuo uniri, quam in nihilum plane, prout in Tab. III, Fig. I exprimitur, soleant redigi.

## ANALYSE DEMONSTREE,

hoc est,

*ANALYSIS DEMONSTRATA, SEU METHODUS RESOLVENDI PROBLEMATATA MATHEMATICA, & HAS SCIEN-  
TIAS FACILE ADDISCENDI, AUTORE QUODAM CONGREGATIONIS ORATOR. SACERDOTE.*

Paris, 1744.



Parisiis, 1708, apud Jacobum Quillau, in 4.

Alph. 5 plag. 7 Tabb. æn. 5.

**A**ltor doctissimi operis, *Carolus Reynau*, qui ipse sub finem Dedicationis ad Serenissimum *Burgundia* Ducem nomen suum profitetur, duobus voluminibus pleraque complexus est, quæ de utraque Analyfi in publicum hæctenus prostant, cumque tyronibus ad Mathesin sublimiorem viam facilem sternere intendat, nonnisi communia Geometriæ elementa ex *Euclide* & vulgarem calculum literalem atque notissima Matheseos universalis vulgo dictæ theoremata ex Elementis Matheseos R. P. *Lamy* haud difficulter addiscenda supponit. In volumine primo Analyfin ordinariam explicat. Orditur *lib. 1* ab æquationibus simplicibus, tradens modum perveniendi ad æquationem, problemate quodam proposito; æquationem inventam reducendi & tandem problema plenarie solvendi. *Lib. 2* reductionem plurium æquationum ad unam earundemque a fractis & incommensurabilibus liberationem, & methodum inveniendi communem divisorem maximum plurium æquationum edocet. *Lib. 3* naturam æquationum explicat, earundemque proprietates, ubi multa reperies de numero & qualitate radicum demonstrata, sed elegantissimum *Hariotti* theoremata de numero radicum prorsus omittitur. Exhibentur regulæ ordinariæ de augendis & minuendis radicibus citra imutationem gradus æquationum, earumque usus consuetus ostenditur, e. g. in auferendis æquationum terminis; in efficiendo ut coëfficientes omnium terminorum æquationis numericæ reddantur divisibiles per quemvis numerum datum. *Lib. 4* progreditur ad præcipuum Analyseos ordinariæ caput de resolutione æquationum, varias proponens methodos resolvendi æquationes, quarum radices sunt commensurabiles, itemque eas, quorum radices vel omnes, vel plures æquales existunt, nec non methodum generalem inveniendi omnes æquationes commensurabiles simplicissimas, quarum æquatio composita est productum. Duce utitur *Huddenio* in epistola de reductione æquationum, quæ a *Schotenio* inter Commentarios in Geometriam *Cartesii* relata. *Lib. 5* in specie explicat resolutionem æquationum quadraticarum, cubicarum & quadratoquadraticarum, vestigia *Presleti* in



Elementis Matheseos fideliter exprimens, & quædam de resolutione æquationum Superiorum commentatur, quam tamen commendat methodum nonnisi ad exemplum Cubicæ applicat. Sit enim æquatio resolvenda  $x^3 - px - q = 0$ . Assumit aliam æquationem indeterminatam uno gradu inferiorem  $x^2 - fx - g - b = 0$ , & utriusque divisorem communem maximum juxta methodum superius indicatam investigat, operationem eo usque continuans, donec in residuo non amplius reperiatur  $x$ . In ultimo divisore  $-px + gx + bx + fx - q + fg + fb = 0$ , ubi  $x$  est linearis, invenitur valor ipsius  $x = (-fg - fb + q) : (ff + g + b - p)$ , & residuum modo indigitatum respectu unius indeterminatæ instar æquationis nihilo æqualis ordinatur, nempe in casu nostro,

$$\begin{aligned} g^3 - 2pgg + ppg + ppb &= 0, \\ + 3bgg - 4phg - 2phb \\ - pffg - pffb \\ + 3bbg + b^3 \\ + 3qfg - pqf \\ + 3qfb \\ + qf^3 \\ - qq \end{aligned}$$

In hac æquatione secundus & tertius terminus ponuntur nihilo æquales, unde pro determinandis tribus indeterminatis  $b, f, g$  prodeunt tres æquationes, nempe (1)  $-2p + 3b = 0$ ,

(2)  $+pp - 4pb - pff + 3bb + 3qf = 0$ , (3)  $g^3 + ppb - 2phb - pffb + b^3 - pqf + 3qfb + qf^3 - qq = 0$ . Per primam reperitur  $b = \frac{2}{3}p$ , quo valore in æquatione secunda Substituto obtinetur  $ff - 3qf : p + \frac{1}{3}p = 0$ , & invenitur  $f = 3q : 2p \pm \sqrt{(9qq : 4pp - \frac{1}{3}p)} =$  (multiplicatione per  $-\frac{1}{3}p : 9pp$ , hoc est, per  $-\frac{1}{27}p$  & reductione debita ratione facta)  $3q : 2p \pm \frac{1}{3}p \sqrt{(\frac{1}{4}qq - \frac{1}{27}p^3)}$ . Denique substitutis valoribus ipsarum  $f$  &  $b$  in æquatione ultima, habebitur  $g = \sqrt[3]{(-27q^4 : 2p^3 - \frac{8}{27}p^3 + 4qq - (27q^3 : p^3 + 4q) \sqrt{(\frac{1}{4}qq - \frac{1}{27}p^3)})}$ . Quodsi valores indeterminatarum  $b, f, g$  in æquatione ipsas involvente  $x = (+q - fg - fb) : (ff + g + b - p)$  substituantur, prodibit valor ipsius  $x$  quæsitus. Agit etiam Autor de extractione radicum ex quantitatibus complexis incommensurabilibus, quales sunt  $a + \sqrt{b}$ ,  $\sqrt{a + \sqrt{b}}$ ,  $+\sqrt{c}$ , &c. ubi radicum valores indeterminatos assumit, & ubi eos ad potentiam datam evertit, per terminorum quantitatis productæ

cum



cum terminis propositæ comparationem eosdem determinat. Quæ in applicatione methodi generalis ad casus intricatiores occurrere possunt, difficultates recenset earumque tollendarum modum indicat. Quoniam vero per artes hactenus inventas ex omnibus æquationibus radices perfectæ extrahi nequeunt, nec formulæ pro cubicis & quadraticis (quæ dantur) praxi satis respondent; ideo lib. 6 modum approximandi ad verum valorem radicum in æquationibus numericis subjungit. Inter varias methodos ea quoque comparet, quæ *Rollii* methodo inveniendi limites radicum in æquationibus istiusmodi nititur. Denique *lib. 7* extractionem radicum per approximationem æquationibus literalibus explicans ea quoque fuse persequitur, quæ de seriebus infinitis per extractionem radicum *Newtonus*, & ex serie quadam supposita *Leibnitius* invenerunt: ubi & novum designationis genus *Leibnitianum* per numeros quæstorum assumptitios explanat, eodemque utitur. (Vide Acta A. 1700, p. 206 & seqq.)

Volumen alterum ejusdem cum priore molis librum octavum complectitur, & in eo Autor usum Analyseos in Geometria & Scientiis Physico-Mathematicis monstrare intendit. Dividitur autem in tres partes. Prima usum Analyseos ordinariæ exponit. Monstratur nimirum exemplis Triangulorum rectangulorum, circuli, quadrilateri circulo inscripti, lineæ media & extrema ratione secandæ, quomodo proprietates linearum & figurarum per calculum eruantur. Ostenditur, quomodo problemata artis jaciendarum bolidum igniariarum, neglecta aëris resistantia, solvantur; centra gravitatis reperiantur; centrum oscillationis pendulorum compositorum determinetur: (ubi Autor retinuit paralogismum, quem in demonstrando Isochronismo cycloidis a *Philippo de la Hire* in Tractatu de Mechanica Prop. 110, p. 421 & sqq. commissum jamdudum correxit *Johannes Bernoulli* in Actis A. 1698, p. 266 & 267.) Docetur denique quomodo more *Cartesiano* æquationes Curvarum inveniantur, maxime Sectionum Conicarum, ex supposita genesi earum curvarum per motum continuum, & quomodo ex istis earundem proprietates eruantur. Tradit ea occasione methodum generalem ducendi Tangentes curvarum & modum ducendi asymptotos hyperbolæ atque de-



scribendi sectiones Conicas per innumera puncta Geometricè determinata. Considerat quoque æquationes curvarum in ordine ad alias lineas rectas positione datas, quam diametros, & sic ad methodum *Craigianam* loca Geometrica solida determinandi enodandam descendit, per quorum combinationem more *Slufiano* æquationes determinatas construit, addita locorum combinandorum æquationes inveniendi ratione. Ex Curvis Mechanicis Spirales, Cycloides, Logarithmicam & Exponentiales adducit, quarum tamen omnium fere non nisi definitiones affert, & in genere Curvarum usum in resolutione problematum Physico-Mathematicorum, ut Parabolæ in jaciendis bolidibus igniariis, Ellipseos & Hyperbolæ in Dioptriciis, Cycloidis in temperando horologiorum motu commonstrat. Pars secunda voluminis alterius calculo differentiali destinatur. Principia ejus veteribus Geometricis cognita fuisse contendit, eaque sine calculo plurimis propositionibus Geometricis demonstrandis inservire aliquot exemplis evincit. In Algorithmo multiplicationis non ineleganter post *Newtonum* in Princ. Philos. Nat. Mathemat. p. 252 demonstrat, quod ipsius  $xy$  differentialis sit  $ydx + xdy$ . Ponit nimirum  $x$  &  $y$  augeri ac minui dimidia differentiali: quo posito in casu primo prodit rectangulum  $xy + \frac{1}{2}ydx + \frac{1}{2}xdy + \frac{1}{4}dxdy$ , in posteriori  $xy - \frac{1}{2}ydx - \frac{1}{2}xdy + \frac{1}{4}dxdy$ . Quod si rectangulum posterius auferas ex priore relinquetur differentialis ipsius  $xy = ydx + xdy$ . Explicatum calculum differentialem ad solutionem problematum de tangentibus, subtangentibus, normalibus, subnormalibus, maximis & minimis, atque puncto inflexionis & flexus contrarii applicat, ubi & ex tangentium consideratione criteria deducit, unde cognoscatur, num curva convexitatem, an concavitatem axi obvertat; num maximum vel minimum habeat. Præterea ope ejusdem calculi elementa curvarum & arearum ipsarum, tam si ordinatæ fuerint ad axem normales, quam si ex uno puncto educantur, superficierum itidem curvilinearum & solidorum per curvarum rotationem genitorum eruere docet, additis formulis generalibus pro centro gravitatis. Formulas quasdam ad series reducit, inveniens arcum ex tangente, ex sinu recto, ex chorda & contra, arcum in data ratione dividens, aream Hyperbolæ æquilateræ inve-



investigans (qua occasione de Logarithmis quoque agit) & problema *Keplerianum* de anomalia vera ex data media invenienda directe solvens. Parte tertia in leges calculi integralis prolixè inquirit & postquam complures summationes haud in vulgus notas explicavit, integrationem ex supposita quadratura aut rectificatione alicujus curvæ absolvere docet, ubi directe haberi nequit, simulque de transformatione elementi unius curvæ in elementum alterius æqualis differens fundamentum Tabularum, quas summus Geometra *Newtonus* in Tractatu de Quadraturis exhibuit, explicat. E. g. Sit expressio generalis omnium differentialium complexarum quocunque terminos sub quocunque signo  $p$  & quocunque extra vinculum comprehendendum  $x^m dx (f + gx^n + bx^{2n} + ix^{3n} + \&c.)$ ,  $(a + bx^n + cx^{2n} + ex^{3n} + \&c.)^p$ . Integrale inventurus supponit (1.)  $K = a + bx^n + cx^{2n} + ex^{3n} + \&c.$ , unde resultat (2)  $dk = nbx^{n-1} dx + 2ncx^{2n-1} dx + 3nex^{3n-1} dx + \&c.$  Expressionem differentialis propositæ mutat in aliam æquivalentem  $fx^m K^p dx + gx^{m+n} K^p dx + bx^{m+2n} K^p dx + ix^{m+3n} K^p dx + \&c.$  aut potius (3) in  $x^m dx k^p (f + gx^n + bx^{2n} + ix^{3n} + \&c.)$ . Supponit porro, quod (4)  $Ax^{m+1} K^{p+1} + Bx^{m+1+n} K^{p+1} + Cx^{m+1+2n} K^{p+1} + Dx^{m+1+3n} K^{p+1} + \&c.$  repræsentet integram quæsitam. Singulorum hujus seriei terminorum quærit differentiales, ut obtineat  $(m+1) Ax^m dx k^{p+1} + (p+1) Ax^{m+1} K^p dk + (m+1+n) Bx^{m+n} dx k^{p+1} + (p+1) Bx^{m+1+n} K^p dk + (m+1+2n) Cx^{m+2n} dx K^{p+1} + (p+1) Cx^{m+1+2n} K^p dk + (m+1+3n) Dx^{m+3n} dx K^{p+1} + (p+1) Dx^{m+1+3n} K^p dk + \&c.$  quam seriem reducit ad hanc æquivalentem (5)  $(m+1) Ax^m dx K^{p+1} + (p+1) Ax^{m+1} K^p dk + (m+1+n) Bx^{n+m} dx K^{p+1} + (p+1) Bx^{1+n+m} K^p dk + (m+1+2n) Cx^{2n+n} dx K^{p+1} + (p+1) Bx^{1+n+m} k^p dk + (m+1+3n) Dx^{3n+m} dx k^{p+1} + (p+1) Dx^{1+3n+m} K^p dk + \&c.$  seu (6)  $(m+1) Ak dx + (p+1) Axdk + (m+1+n) Bx^n dxk + (p+1) Bx^{1+n} dk + (m+1+2n) Cx^{2n} dxk + (p+1) Cx^{1+2n} dk + (m+1+3n) Dx^{3n} kdx + (p+1) Dx^{1+3n} dk + \&c.$ ,  $x^m k^p$ . In hac serie ex æquationibus 1 & 2 substituit valores ipsius  $k$  &  $dk$ , eosque ita disponit:

(m + 1)



$$\begin{aligned}
 & \left\{ \begin{aligned}
 & (m+1) Akdx = \\
 & + (p+1) Axdk = \\
 & + (m+1+n) Bx^n xdx = \\
 X^{m+1} K^p & \left\{ \begin{aligned}
 & + (p+1) Bx^{n+1} dk = \\
 & + (m+1+2n) Cx^{2n} kdx = \\
 & + (p+1) Cx^{2n+1} dk = \\
 & + (m+1+3n) Dx^{3n} kdx =
 \end{aligned}
 \right. \\
 & (m+1)Aa + (m+1)Abx^n + (m+1)Acx^{2n} + (m+1)Aex^{3n} + \&c. \\
 & + (p+1)nAbx^n + (p+1)2nAcx^{2n} + (p+1)3nAex^{3n} \\
 & + \&c. \\
 & + (m+1+n)Bax^n + (m+1+n)Bbx^{2n} + (m+1+n) \\
 & Bcx^{3n} + \&c. \\
 & + (p+1)nBbx^{2n} + (p+1)2nBcx^{3n} + \&c. \\
 & + (m+1+2n)Cax^{2n} + (m+1+2n)Cbx^{3n} + \&c. \\
 & + (p+1)nCbx^{3n} + \&c. \\
 & + (m+1+3n)Dax^{3n} + \&c. \\
 & - f - gx^n - bx^{2n} - ix^{3n} - \&c.
 \end{aligned}
 \right. dx =
 \end{aligned}$$

Hinc singulos terminos nihilo æquat, & inde valores indeterminatarum A, B, C &c. elicit, quibus in integrali assumpta (4) substitutis, prodit tandem integralis quæsitæ  $X^{m+1} (a + bx^n + cx^{2n} + ex^{3n})^{p+1}$ ,

$$\begin{aligned}
 & \frac{f}{(m+1)a} + \frac{g}{(m+1+n)a} - \frac{((m+1) - (p+1)n)bA}{(m+1) - (p+1)2n} x^n + \\
 & \frac{((m+1) - (p+1)2n)cA}{(m+1+2n)a} - \frac{((m+1+n) - (p+1)n)bB}{(m+1+2n)a} x^{2n} \\
 & + \frac{((m+1) - (p+1)3n)eA}{(m+1+3n)a} - \frac{((m+1) - (p+1)2n)cB}{(m+1+3n)a} x^{3n} \&c. \text{ ubi multiplicator } X^{m+1}
 \end{aligned}$$

$(a + bx^n + cx^{2n} + ex^{3n} + \&c.)^p$  est omnibus terminis communis. Expendit præterea leges calculi differentialis in curvis Logarithmicis & exponentialibus. Tandem theoriam ad praxin applicaturus non modo exempla aliquot quadraturarum & rectificationis Curvarum affert; sed & methodum Tangentium inversam problematibus nonnullis in Diariis Eruditorum, his præsertim Actis, passim solutis illustrat.



*PHARUS ILLUSTRANS: SEU RESPONSA*  
*ad objectiones motaque dubia a Societatibus illustrioribus*  
*Anglicana & Borussica, ut & a Mathematicis Academia-*  
*rum Germanicarum celeberrimis aliisque viris clarissi-*  
*mis in Rep. literaria eminentibus, pro defensione Machi-*  
*nae suae nauticae ad inveniendas locorum longitudes*  
*in mari data a CONRADO MEL, D.*

Hersfeldiae, typis Johannis Casparis Vogel, 1709, in fol.

Constat 6 plag.

**N**Otissimum est, *Vitruvium* lib. 10 cap. 14 descripsisse machi-  
nam, qua navibus applicata itineris maritimi quantitas æsti-  
mari queat. Præcipuum ejus momentum in rotis ad navium la-  
tera ab aqua resistente agitandis consistere, constat. Osten-  
derunt autem *Ricciolus* Geogr. Reform. lib. 10, cap. 23, §. 3,  
f. 464, *Dechales* in Mundo Mathematico Tom. 3 Tract. de Navig.  
lib. 6, prop. 6, f. 263 & *Perrault* in Notis ad *Vitruvii* locum cita-  
tum f. 328, aliique ante ipsos, nihil præsidii in hoc passu a rotis istius-  
modi expectari posse. Hinc factum est, ut ad machinas vento  
(quo navis propellitur) animandas confugerint, qualem exhibuit  
*Crescentius* Nauticæ mediterraneæ lib. 2, cap. 9, repræsentatam  
quoque a *Ricciolo* lib. 3, c. 1 & *Dechales* l. c. prop. 7, qui posterior  
alias similes describit. Eorum ignarus *Conradus Mel*, SS. Theol.  
Doctor, Inspector & Rector Gymnasii Hersfeldiæ in Landgra-  
viatu Hassiæ, cum jussu Serenissimi Hassiæ Landgravii de machina  
curruli cogitaret, quæ viarum longitudini & curvitati, montium-  
que acclivitati & declivitati accurate investigandæ inserviret; ex  
eodem cum *Vitruvio* principio machinam pro invenienda longi-  
tudine & latitudine locorum in mari construi posse sibi persuasit.  
Externa ejus structura cum *Vitruviana* coincidit; interna vero  
differt, ei quippe simillima, quam dedit laudatus *Dechales* f. 264.  
Adjungantur, inquit, navi ab utroque latere rotæ majores quasi  
molares, axin rotarum per medium navis transeuntem ambiat  
cochlea perpetua, hanc tangat rotula perpendicularis dentata, quæ  
ope rotulæ horizontalis propellat stylum dentatum. Quoties  
igitur rotæ navi affixæ circumvolvuntur; depinget stylus in sup-



posita tabula gradum, qui proportionem habebit cum peripheria rotarum, vel cum progressu navis intervallo unius circumvolutionis: ita ut sine horologio & ulla operosa calculatione, applicato indice, scire nauta possit, quot pedes, passus vel decempedas navis ab uno promontorio ad alterum cursu suo absolverit. Ad-  
dit: Exhibebit machina perfectissimum remorum compendium, eo quod rotæ usum tot remorum exhibeant, quot ansas habent, & non tot remiges requirantur, qui summa cum molestia tractent remos, cum motus continuus circularis vento lenissimo animatus navem propellat, ejusque cursum promoveat, summa cum commoditate. Et quod maximum est, vis ventorum hac machina quasi ponderatur, ut pro intensione vel remissione ventorum sive tarde sive velociter cursum suum decurrat navis, stylus ne gradum quidem notet ultra progressum navis. Hanc machinæ suæ descriptionem in epistola A. 1707 mense Novembri Hersfeldiæ typis descripta cum illustribus & præpotentibus Ordinibus generalibus Belgii fœderati communicavit Autor. Qua occasione Cl. *Aymon*, natione Gallus, qui Hagæ Comitum commoratur, eidem significavit, machinam istiusmodi jam ante 200 annos inventam esse & rejectam: nec ea problema istud magnum solvi posse, cujus probationem desiderat Auctor. Cl. *Papinus* viri summi *Isaacii Newtoni* de ea judicium expiscatus asseveravit, ipsum dubitare de successu, cum enim rotæ ob resistantiam aquæ moveantur, vento secundo superficiem aquæ impulsam minus resistere, adeoque pauciores rotarum circuitus absolvi debere, quam si ventus oblique in vela impingat. Præterea rotas per resistantiam aquæ circumactas retardare potius quam accelerare motum navis. Concedit Autor motum rotarum ex parte a resistantia aquæ pendere; sed hinc sequi ait, quod vento secundo plures fiant circumvolutiones adeoque & navis longius iter absolutura sit. Cumque alæ non in extrema superficie hæreant, sed ad magis profundas aquæ partes pertingant; ventos secundos minorem resistantiam causaturos negat. Casum vero, quo pro ratione minoris resistantiæ aquæ tardior speranda sit rotarum circumvolutio, cum interim navis per longius spatium transferatur, quam alia vice, non tam in mari, quam in fluvii locum habere dicit.



dicit. Denique nullum esse dubium, quod celerior sit sperandus navis cursus, cum rotæ ex meris remis combinentur: nec tamen si plures remiges requirantur, inventum ideo fore inutile. *Johrenius*, Medicinæ in Academia Francofurtana Professor, expendere jubet Autorem, quæ *Dechales* in Mundo Mathematico contra hanc machinam urget, scilicet 1, quod navis non semper linea recta procedat, 2, quod pro vi ventorum jam in hoc, jam in aliud latus inclinetur, 3, quod rotæ cursum navis retardent. Sed huic regerit, 1 posse exploratoriam navim experimentum licet aliquot annorum non nisi vento secundo instituere, ubi per regulas Loxodromicas linea recta observari queat, vel indicem machinæ peculiarem omnes a linea recta deviationes notare debere: 2 inclinationem in unum latus non majoribus, sed minoribus tantum navibus metuendam esse, nec per inclinationem rotarum circumvolutionem impediri: 3 adhibendas esse rotas minores. *Sturmius*, in eadem Academia Mathematicum Professor, objicit 1 Navem fervente mari a linea horizontali satis sensibilibus discedere; 2 motum navigii & rotarum alatarum a se invicem non pendere, sed has ab undis agitas, circumagi posse, illo ex anchora pendente & quasi quiescente: 3 se vereri, ne rotæ mox justo profundius mergantur, mox supra undas sublatae motu suo priventur: 4 metuendum, ne nauta contrariis ventis obviam eunte, dum aqua resistens rotas alatas movet, ventus vero easdem retro agere fatagat, illæ inter hos conflictus rumpantur. Respondet Autor 1 navem exploratoriam longitudinum huic periculo sese exponere non debere, aut applicandum indicem gradus tempestatis delineantem: 2 *Sturmium* machinæ interiora non satis perspecta habere, utpote cujus unicum fundamentum sit motui navigii proportionatus rotarum progressus: non obstare motui majorem vel minorem immersionem, immo alterutra rota saltem immerfa motum machinæ non sisti, & per subsidium aliquod staticum axem rotarum facile in situ Horizontali constanter servari: 4 vento contrario flante minorem esse in navigio vim moventem, adeoque & minorem in aquis resistantiam. *Volderus*, in Academia Lugdunensi Mathematicum Professor, per Dn. *Gordonium* significavit, se judicium suum differre, dubitare tamen



de felici successu, cum jam multi solutionem ardui problematis frustra aggressi fuerint. Excipit Autor, Deum dona sua varie distribuere ac sæpius olitorem valde opportuna loqui. Per *Siglerum* celsissimo Principi ac Abbati Fuldensi a Secretis & Archivis objectiones Roma transmissæ sequentes communicatæ sunt: 1 Non posse servari lineam rectam; 2 navim contra fluctus eluctantem necessario retardari, dum interim rotæ vi fluctuum circumagantur: 3 eadem per fluctus ascendente & per eosdem descendente, rotas sæpius in gyrum moveri, quam si ea per planitiem æquoris ageretur: 4 eandem quoque per aliquod spatium a fluctibus rapi posse sine motu aquarum, dum enim in eadem superficie aqua hæreat, rotas non moveri. Concludunt adeo Itali; machinam optatum effectum habituram tunc, quando coelo semper tranquillo & mari quieto navis linea recta moveatur: quod quia vix unquam fiet, vix etiam longitudinem locorum in mari ea investigatum iri. Quoniam hæ objectiones cum aliquibus jam superius prolatis coincidunt; suas quoque Autor repetit responsiones a nobis non iterandas. Est qui huic potissimum objectioni insistit, cæterasque objectiones minus obstare arbitratur, quod rotæ conversiones motum navis seu progressum respectu quiescentis tunc non indicant, cum ipsa aqua proprio motu movetur, quod non tantum a ventis fit, sed etiam potissimum a currentibus, ut alias causas taceamus. Itaque cum mare in partes easdem fertur cum navi, addendus esset motus maris ad motum navis; cum in contrarias fertur, detrahendus foret. Verum cum non semper naviganti constet de motu maris, difficileque sit ejus nosse celeritatem; nescietur quid addi aut subtrahi debeat. Et perinde se res habet, ac si solum ipsum, in quo rota volvitur, progredere, secumque ferret currum, ita enim progressus currus ex motu soli & motu currus in solo compositus foret, si solum & currus in easdem partes tenderent; sin ferrentur in contrarias esset detrahendus: quod si motus soli vel maris esset obliquus ad directionem currus vel navis multo adhuc perplexior foret æstimatio, & sumenda esset in diagonali parallelogrammi. Ventus etiam obliquus navim nonnihil ad latus impellens facit etiam ut non simpliciter in sua directione a puppi



puppi ad proram, sed in diagonali navis moveatur; cum tamen rotæ indicent solummodo motum secundum directionem lineæ ipsius navis seu a puppi ad proram.

PRINCIPES PHISIQVES DE LA RAI-  
fon & des passions des hommes,

hoc est,

*PRINCIPIA PHYSICA RATIONIS ET PAS-  
sionum hominis. Autore MAUBECCIO, Medicinæ  
Doctore in Facultate Montepessulana.*

Parisiis, apud Bartholomæum Girin, 1709, in 12.

Constat plag. 9.

**E**Quidem Autor per integrum libellum principiis *Cartesianis* utitur; in eo tamen a *Cartesio* dissentit, quod essentia animæ in cogitatione consistat atque adeo actu semper cogitet. Falso nimirum supponere ait *Cartesium*, quod essentia rei in eo consistat, quod nos maxime ferit, quodque de illa optime cognoscimus: & evidenter demonstrari posse confidit, perpetuam cogitationem esse impossibilem. Etenim si homo semper acta cogitet, cogitationes ipsius necessario excitari vel per succussiones fibrarum cerebri, vel immediate ab anima independenter a motibus machinæ. Jam vero neutrum affirmari posse. Neque enim in utero materno fibras cerebri foetus continuo moveri, cum sensus impressiones sensibiles raro, aut fere nunquam recipiant, nervique admodum laxi existant. Si vero anima cogitationes immediate producat, eas semper subsistere debere, cum causa excitante carentes nunquam cessare queant: id quod experientiæ repugnat. Quoniam vero omnem rationem a machinæ corporis pendere arbitratur; ideo structuram cerebri atque nervorum, distributionem spirituum animalium per nervos eorundemque usum ante omnia explanat. Et ut intelligatur, quomodo ratio a machina corporis pendeat; quomodo primæ ideæ & passiones in infante formentur, explicat. Infans ex ipsius mente in utero matris quasi somno sepultus: in lucem editus evigilat & objecta circumstantia cognoscere incipit. Nervi mille reci-



piunt secussiones & spiritus animales versus cerebrum propulsi mille sensationes antea incognitas causantur. Primæ igitur, quas infans acquirit, ideæ sunt objectorum circumstantium. Istarum impressionum aliæ nos mulcent, aliæ fatigant, aliæ lædunt: hincque primus passionum ortus. Cessante impressione, vestigia cerebro impressa remanent, seu fibræ cerebri per spiritus animales agitatae quandam ad similem flexionem dispositionem retinent: unde memoria & imaginatio resultant. Contiguitas vero vestigiorum efficit, ut una idea reproducta statim reproducat & altera. Hæc de origine idearum seu notionum tradit Autor. Judiciorum primorum eandem fere originem tradit, quam memoriæ atque imaginationis. Judicium enim formari asserit, si plures impressiones ab eodem objecto una provenientes unam imaginem forment, ita ut postmodum una reproducta reproducantur & reliquæ. Hanc solam differentiam inter ideam & iudicium agnoscit, quod in ista clare & distincte omnes objecti partes cernantur, in iudicio autem nonnisi una in sensus agat & reliqua imaginis pars ob contiguitatem vestigiorum in cerebro renoveatur. Iudicia negativa fieri affirmat, si facta impressione reproducatur vestigium in cerebro per eam formato non contiguum. Videat vero Autor, annon nimis arctos rationis limites constituat, multo certe minores, quam sola Mathesis admittit. Quomodo loqui discamus, bene ex eo deducit, quod, si plures impressiones sæpe una factæ fuerint, earum neutra reproducat, nisi reproducat simul & altera, quemadmodum jam ante aliquot annos in dissertatione de loquela hic Lipsiæ habita deduxit *Wolffius* noster. Omnem differentiam inter memoriæ & imaginationem in eo ponit, quod in hac imagines sint vividiores, in ista languidiores & quod imaginatio præsens magis & futurum, quam præteritum respiciat. Hanc vero differentiam procedere ait a vestigiis in cerebro magis vel minus profundis; aut a modo, quo spiritus animales impelluntur; aut a diversitate organorum; aut ab omnibus hisce causis simul. Inter fontes iudiciorum refert iterationem impressionum, passiones nostras & instructionem ac commercium cum aliis, quibuscum vivimus. Ratiocinium reproductio-  
ni simultaneæ vestigiorum contiguorum a duobus vel pluribus  
iudiciis



judiciis una factis cerebro impressorum adscribit. Omnem varietatem judiciorum, quatenus vel omnibus hominibus communia, vel quibusdam nationibus, certæ ætati, certis conditionibus, immo unicuique homini propria existunt, a varietate vestigiorum in cerebro & diversitate ordinis ipsorum deducit. Si partes solidæ hominum perfectè similes forent, si idem sanguis per venas flueret, si sensationes uniformes per impulsum corporum ambientium sustinerent, si eadem foret omnium educatio; omnes eandem juxta nostrum haberent rationem, & oppositas sententias minime foverent. Sed cum hæc suppositio quoad singulas partes fallat, necessario hinc sequi arbitratur prodigiosam opinionum & sententiarum varietatem. Immo & unum hominem repugnantibus adhærere opinionibus, quod eadem objecta diversas in nos faciant impressiones, hominumque nos instruentium opiniones admodum sint oppositæ. Maximam igitur in persuadendo vim præjudiciis tribuit. Duobus nimirum modis alterum in nostram sententiam trahi, nempe 1, si testimonio sensuum doceamus, quod deceptus fuerit; 2, si evincamus id, quod credit, aliis repugnare principiis, quæ admittit, & de quibus magis certus est, quam de re controversa.

Per passionem hominis Autor vel sensationem animæ, vel motum cordis seu inclinationem voluntatis intelligit. Primam passionum originem a sensu voluptatis, vel doloris, vel indifferentiæ, quem impressiones pro diversa in organa nostra agendi ratione excitant, derivat. Inde amorem, odium, desiderium & fugam aliasque ex his compositas deducit. Effectus quarundam passionum particulares recenset, ac omnium variabilitatem & inconstantiam perstringit. De ambitione & amore vitæ ac divitiarum speciatim differit. Tandem sub finem ex hypothesis sua corollaria nectens notat, ideas *Cartesii* innatas esse puras fictiones; nihil rationi conformius esse submissione cœca & voluntaria, qua in veritatibus revelatis, utut incomprehensibilibus prorsus acquiescimus; Scripturæ interpretationem secundum lumen fidei & decisionem Ecclesiæ fieri debere; ut in veritate inquirenda certo pede progrediamur, inquirendum esse cum in quibus judicia nostra fundentur, tum qua ratione eadem combinentur, &

quænam



quænam sint causæ ad errorem nos seducere solitæ. Ultimo autem corollario se plenius satisfacturum esse pollicetur in peculiari opere de methodo veritatem inveniendi, eamque aliis persuadendi, principiis jam expositis superstruenda. Operæ pretium faciet Autor, si leges methodi Geometrarum tam veterum, quam recentiorum paulo accuratius inspexerit, & num per principia sua iisdem ex asse satisfieri possit, cum cura inquisiverit. Vires enim rationis non certius cognoscere licet, quam ex ejus effectibus nobilioribus: & hypothesium bonitas inde judicatur, quod experientiis circa rem sumtis prorsus conveniant.

### NOVA LITTERARIA EX RUSSIA.

Cum Magnus Moscoviæ Princeps genti suæ rarum armorum æque ac litterarum decus conciliare omni opera allaboret, factum est ejus potissimum auspiciis, ut anno superiori aliquot libri novis iisque elegantioribus typis e Belgio advectis excusi prodierint. In his primo haud immerito loco nominamus ipsius summi Monarchæ PETRI ALEXIOVICII opus elegans, quo sub titulo: *Proboilos Opats chinick Architectur Jacowa Barotschia de Vignola* regulas quinque Ordinum Architecturæ civilis, e celeberrimo Vignola excerptas, figurisque æneis 46 illustratas in fol. prodidit, quod idem in octava forma mox recusum est, figuris ad minorem modum redactis. Prodiere pariter Moscuæ superiori anno *Generali Segnali ili Nad-sirajeni wo flotti Jego Czarskego VVelitschestwo*, id est, instructio generalis, quam classis Russicæ præfecti sequi data occasione debent, in 12: *Pospozabach two retching voda gosdenie reeck Svobodnie*, i. e. consilia de navigatione in fluviis Russiæ in meliorem statum redigenda, cum figuris, in 4. *Pobes dajuscha Krepost*, i. e. propugnaculum triumphans, quem librum manu exaratum Ernestus Fridericus, Baro de Burgstorf, Principi post captam anno 1696 Tanain (Azof) Moscuam magna pompa redeunti obtulerat, in fol. *Upotreslenia Zirculi i Lienika*, i. e. usus circuli & lineæ, cum fig. in 4, nec non *Oprebaschenie figur ploskieb wo inia takowaje Sodersjanie*, i. e. transformatio figurarum planarum in alias ejusdem quantitatis, in 4, quorum librorum auctor perhibetur Brunnus, Generalis Locum tenens: *Prikladni Kako pischn complementi*, i. e. formulæ ad Principes illustres & familiares scribendi, in 8, quas transtulit & in ordinem redegit Michael Schaphiroff, summo Principi ab Epistolis secretis; tum & Homiliæ S. Chryostomi in 14 Epistolas S. Pauli, Russice translatae, in fol. Ceterum plures adhuc in transferendis libris utilioribus occupantur. Ita Elias Kopiewiz Q. Curtium, Michael Schaphiroff Athanasii Kircheri quædam Opera, imprimis Hieroglyphica, & Sam. Pufendorffii Introductionem ad Historiam Europæam & Suevicam Russica civitate donatam, alii alia, proxime prelo subjicient.

\* \* \*



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Julii, Anno M DCC IX.*

A COMPLETE HISTORY OF ENGLAND.

i. e.

*INTEGRA ANGLIÆ HISTORIA, UNA CUM  
vitis omnium Angliæ Regum Reginarumque, a primis  
temporibus usque ad mortem WILHELMI III; acces-  
sere Notæ eruditæ & icones Regum.*

*Volumina III.*

Londini, apud Sam. Smith, Benj. Walford, & reliquos, 1706, £.  
Alph. 26½ & Figur. Tabb. 28.

**E**T si non desint, qui universalem Angliæ Historiam expo-  
nere aggressi sunt, quales Speedus, Bakerus, Brady, Tyr-  
rellus alique, non male tamen de gente sua meritis est,  
quisquis inter Anglos hoc Historiæ Anglicanæ systema  
vulgavit, quo vitas Regum Reginarumque a variis Auto-  
ribus sigillatim olim & sparsim editas ac in unum quodammo-  
do corpus redactas complexus est, hiatus vero propria industria  
supplevit. Præmisit Vol. I Joannis Miltoni Historiam Angliæ, quæ  
usque ad tempora Wilhelmi Conquestoris pertingit, primum  
Londini A. 1670 edita, & deinde cum reliquis ejus Operibus  
Amstel. 1698 recusa. Hanc excipiunt eodem Volumine, quæ  
Samuel Daniel non ineleganter pro temporis ratione de Wilhel-  
mo I & II, Henrico I, Stephano, Henrico II, Richardo I, Joanne,  
Henrico III, Eduardo I, II & III commentatus est, antehac Londi-  
ni A. 1613 & 1618 vulgata. Quem etsi continuasse constet Joan-  
nem Trussel, attamen cum is & ordine & stylo scripserit corru-  
ptissimo, Noster vitam Richardi II, Henrici IV, V & VI integram



concinnavit, ad methodum Danielis, addiditque Eduardi IV Vitam, quam W. Habington omnium optime exposuit, Lond. 1640, quamvis in excursionibus politicis nimius videatur. Sequitur Thomæ Mori Vita Eduardi V, Anglice translata, (Latine prodit Lond. 1651) quæ omnibus est in pretio, tum quæ idem de Richardo III exposuit, cuius vitam cum ipse non absolverit, reliqua e Chronicis Raphaelis Hollingshead aliisque suppleuntur. Et ne Georgii Buck Vita ejusdem Regis seorsim Lond. 1646 excusa hoc loco desideretur, quam omni jure Apologiam dixeris Richardi III, illam Editor quoque addidit; sed ut cavere suspecta quædam loca Lectores possent, doctas quasdam notas subjecit Vir Cl. Jo. Strype. Ultimum locum in Volumine I occupat Francisci Baconi, Baronis Verulamii, Vita Henrici VII elegantissima, quæ Anglice edita Lond. 1622 omnes propemodum laudes superat: subjunctæ sunt nonnullæ notulæ e Jacobi Waræi Annalibus Rerum Hibernicarum Henrico VII regnante, qui ejusdem Antiquitatibus Hiberniæ Lond. 1658 editis adjecti sunt, potissimum excerptæ. In Vol. II exhibetur Herberti de Cherbury Vita Henrici VIII, quæ primum Lond. 1649 edita, postea sæpius & castigatissime postremo 1683 recusa, multum pariter commendatur; tum Johannis Haywardi Vita Eduardi VI, quæ post mortem Auctoris prodierat Lond. 1630, copiose nunc a Strypio e schedis manuscriptis illustrata. Idem Strypius cum de Mariæ rebus quædam nondum typis vulgata possideat, elegantissimis notis auxit Francisci Godwini Annales Mariæ, quæ una cum ejusdem Annalibus Henrici VIII & Eduardi VI Lond. 1616 & passim Latine prodierunt. Excipiant hos elegantissimi Camdeni Annales Elisabethæ, denuo nunc Anglice translati, quibus & ejusdem Annales brevissimi Jacobi I subnectuntur. Denique Arthuri Wilson Vita Jacobi I Lond. 1653 edita additur, quam Jacobus Welwood, qui plura possidet, quæ ad hoc Regnum spectant, nondum typis vulgata, novis observationibus exornare dignatus est. Volumen III seu ultimum, quod plane novum est, vitas Caroli I & II, Jacobi II, Wilhelmi III & Mariæ complectitur, quas etsi Editor magna cura descripserit, optimis ubique testibus usus, imprimis Clarendonio Comite, (cujus Historiæ rebellionis Tomum I, qui



& Gallice prodiit, recensuimus A. 1705 p. 145, tertium & quartum Supplementis propediem inseremus) nomen tamen suum celari maluit, ne cui præjudicium de Auctore nasci posset. Sed juvat nonnulla addere ex notulis plerisque Operibus subjectis.

Ad Miltoni Historiam notatur, in errore versari hunc Auctorem, ubi per Mereswarum oppidi nomen designari existimavit, cum in Chronico Saxonico verba *on Mersewarum* de habitatoribus locorum palustrium (Angli *Marshers* vocant) explicanda sint. Ad Danielelem observat, maxime verosimile esse, veteres colonos ex Gallia paulo post diluvium in Angliam migrasse, quo tempore hominum, utpote longæviorum, numerus major, qui alibi domicilia sibi quæsiverint; de Bruto vero, a quo nomen aliqui derivant, fabulam addit a Britannis olim confictam fuisse, quod plerisque gentibus familiare quondam fuerit, inde a Trojanis majores suos vana quadam ambitione arcessere. Quod ad Ordinem Periscelidis aurei, ostendit Noster, eum neutiquam, ut Danieli visum est, A. 1343, sed potius 1349 die 23 Aprilis institutum esse ab Eduardo III, nec ejus originem a periscelide Sarisburiensis Comitis, verum, ut ex ipsis Ordinis monumentis pateat, repetendam esse a temporibus Richardi I, qui ad Ptolemaidem cum Barbaris certaturus, præcipuos belli Duces fascia tibias ligari jussit, ut concordia inter se ipsos atque adeo & fortitudinis symbolum haberent. Ubi pugnae ad Cressiacum inter Philippum VI, Gallia Regem, ac Eduardum III, Regem Angliae, A. 1346 commissæ meminit Daniel, Noster e Jo. Villano, scriptore Italo, notat, Joanne, Bohemiae Rege, eo in prælio occiso, Eduardum, Principem Wallia, ejus insigne, quod tres pennas struthionis præferebat, in potestatem suam redegisset, idemque postea pro Walliae insigni adscivisse: num vero jam tum in insigni Joannis conspectum fuerit verbum Germanicum: *ich dien* / i. e. servio, quod hodieque in fascia, qua pennæ illæ constringuntur, comparet, nondum satis constare videtur. Cum orta sub Richardo II seditio esset A. 1381, Johannes Ball, inquieti animi sacerdos, sermone ad populum habito seditiosos inflammasse memoratur, usus, ut Noster memorat, loco textus, quem explicaret, versiculis Anglicis:

T. I.

P. 53.

84.

219.

222.

245.



*When Adam delv'd and Eve span,  
Who was then a Gentleman?*

Qui plane concordant cum Germanicis illis vetustissimis:

*Als Adam haekt und Eva spann/  
Wer war damals ein Edelmann?*

p. 551.

Ubi Georgius Buck, qui Richardum III ab omni crimine absol-  
vere conatur, in dubium vocat ea, quæ de Eduardo V & Richardo  
fratribus, Richardi Regis jussu interemtis & sub scala carceris se-  
pultis, vulgo memorantur, Cl. Strypius in nota observat, ossa Prin-  
cipum illorum tempore Caroli II sub scala Turris Albæ fuisse de-  
tectæ, qui ea in sacello Henrici VII honorifice recondi jussit, ad-  
dita monumento inscriptione:

H. S. S.

RELIQVIÆ EDWARDI V, REGIS ANGLIÆ,  
ET RICHARDI, DUCIS EBORACENSIS.  
HOS FRATRES GERMANOS TURRE LON-  
DINENSI CONCLUSOS, INJECTISQUE  
CULCITRIS SUFFOCATOS, ABDITE ET  
INHONESTE TUMULARI JUSSIT PA-  
TRUUS RICHARDUS, PERFIDUS REGNI  
PRÆDO. OSSA DESIDERATORUM DIU  
ET MULTUM QUÆSITA POST ANNOS  
CXC ET I SCALARUM IN RUDERIBUS  
(SCALÆ ISTÆ AD SACELLUM TURRIS  
ALBÆ NUPER DUCEBANT) ALTE DE-  
FOSSA, INDICIIS CERTISSIMIS SUNT  
REPERTA XVII DIE JULII ANNO DOM.  
MDCLXXIII. CAROLUS II REX CLE-  
MENTISS. ACERBAM SORTEM MISE-  
RATUS INTER AVITA MONIMENTA  
PRINCIPIBUS INFELICISSIMIS JUSTA  
PERSOLVIT, ANNO DOM. MDCLXXVIII  
ANNOQUE REGNI SUI XXX.

581.

Sed plura a Buckio nulla ratione in Richardo excusari Noster  
ostendit, observatque ad Verulamii Historiam Henrici VII inter  
præcipuos e familia Richardi fuisse Joannem Buck, Georgii pro-  
pinquum



pinquum, quam causam fuisse existimat, quare Georgius in Vita illa Richardi huic Regi magni atque boni Principis elogium ubique vindicaverit. In Haywardi Vita Eduardi VI duos sub initium errores advertit Scholiasta, alterum, quod die 17 Oct. A. 1573 natum asserat, cum potius die 12 Oct. qui S. Eduardo sacer, natum Scriptores alii omnes tradant, uno excepto Sandero, qui sexto Idus Octobris, hoc est, decimo ejus mensis die in lucem editum nulla fide asserat: alterum, quod exsectum ex utero matris infantem Eduardum fuisse omnium velut scriptorum consensu asserat. Neque enim quenquam, & ne ipsum quidem Sande- rum, qui Henrico VIII primus affinxerit illam fabulam, quod de difficili Janæ partu edoctus dixerit, satius esse, ut mater, quam ut filius periret, exsectum esse affirmare, & præterea constare ex ipsius Janæ & Medicorum literis ad sanctiorem Senatam missis, haud difficilem eum partum fuisse, quibus accedit, quod duodecimo demum post editum infantem die decesserit. Inter Eduardi præceptores eminebat Joannes Cheecus, cujus & natales & eru- ditionem Noster contra Haywardum defendit, Oratorem eum & Philosophum Platonicum eximium fuisse docens; & cum God- winus in Annalibus Mariæ referat, eum Argentorato, quo in exi- lium migraverat Eduardo mortuo, in Angliam ducendæ uxoris causa, ut Thuanus velit, reversum esse, Noster Cheecum uxorem tum habuisse probat, & in Thuano non minus ac Sleidano, quem ille sequi videatur, verba ita capienda: *ut uxorem duceret, h. e. ut educeret.* De Wilsonio, qui Vitam Jacobi I scripsit, notat, eum optimis quidem monumentis instructum fuisse, at cum suasu Esse- xiæ Comitis historiam scripserit, fieri non potuisse, quin in Regem acrius nonnunquam inveheretur, quod ab eo injuriam factam Co- miti constet, præterea stylum ejus esse inæqualem & obscurum, quod vitium plerisque ejus temporis scriptoribus familiare. Ad- dit tamen, multo minori in pretio esse librum, quem Wilsonio opposuerit Wilhelmus Sanderson sub t. *A compleat History of Queen Mary of Scotland and her Son King James of Great Bri- tain.* Etsi enim ad reconditas schedas provocet, nihil aliud ta- men agere Autorem, quam ut ex variis libris perperam intellecta atque adeo corrupta confarciat, ut una sæpe pagina quinquies vel

T. II.

P. 237.

274.

340.

662.



T. III.  
p. 801.

sexies erraverit, cujus rei exemplum Noster dedit satis luculentum. Marco vero Antonio de Dominis gratiam referendam censet Noster, quod Paulo Sarpio persuaserit, ut Historiam Concilii Tridentini manu exaratam ex Italia in Angliam transmiserit ad Georgium Abbotum, Archi Episcopum Cantuariensem. Plurima in ultimo Tomo, qui plane novus est, occurrunt memoratu dignissima, quanquam nullus Auctori ad archiva aditus patuisse videatur. Exhibentur hic inter alia monumenta Literæ humanissimæ, quibus Wilhelmus III Philippo Andegavensi de Hispaniarum sceptro impense gratulatus est die 17 Apr. 1701. Sed plura ex opere elegantissimo specimina afferre supervacaneum fuerit.

ATLAS HISTORIQUE, OU NOUVELLE  
Introduction à l'Histoire, à la Geographie &c.

hoc est,

*ATLAS HISTORICUS, SIVE NOVA INTRO-  
ductio ad Historiam, Chronologiam & Geographiam, tam  
veterem, quam modernam, novis Tabulis æri incisis ele-  
gantissime delineata; cum Dissertationibus  
historicis GVEUDEVILLII.*

*Tomii duo.*

Amstelodami, apud Fratres Castellanos, 1708, fol. ch. aug.  
Alph. 5 plag. 17 & Fig. Tabb. III.

**P**Almam plerisque omnibus, qui de Introductionibus ad Historiam, Chronologiam & Geographiam solliciti fuerunt, præripuit splendidissimi *Atlantis* hujus *Historici* Auctor spectatissimus Zacharias Castellanus (*Châtelain*) Gallus ortu, sed civitate Batava donatus. Is mira naturalis ingenii felicitate Apollinis & Mercurii assecla, cum mercaturæ negotia uxori liberisque maximam partem expedienda commisisset, ipse autem per annos fere triginta historiarum lectioni frequenter infudasset, in eaque filios suos dexterime instituisset, primo quidem ante octennium elapsam, in eorum gratiam, *Compendium historicum Belgii fœderati*, ex numismatibus in memoriam eventuum gravissimorum cufis, confecit, & Amstelodami cum figuris nitidissimis A. 1701 in fol. publicavit.

Et



Et postquam ex tot Auctorum diversas sententias statuentium collatione deprehendisset, quanta sit scribentium inter se invicem discrepantia, & quam difficile ideo redderetur historicum studium illis, quibus omnes Auctores evolvere, & quemque suo idiomate de rebus patriis scribentem intelligere non vacat, novum opus vastissimæ molis, *Atlantem* scilicet hunc *historicum* adgressus est, in quo omnium seculorum, omnium etiam Imperiorum & Provinciarum mutationes & præsentem statum tabulis elegantissime æri incisus delinearet, ordinemque temporum ac successionem ceterarumque rerum memorabilia accuratissime observaret. Operis præstantissimi, quod ipsi propter varias accessiones sub manibus in molem satis magnam excrevit, duo hætenus Tomi prodierunt, quorum prior unico, alter autem duobus Voluminibus constat.

Prior Tomus Serenissimo Principi Marleburgio A. 1704 nuncupatus, & anno proxime præterlapso recusatus, Historiam primo Universalem, tum Græcam quoque, Romanam, Italicam, Francicam, Hispanicam & Belgicam delineat, & pro fundamento habuit Viri cujusdam eruditi Arborem Genealogicam omnium familiarum Augustarum in Europa a stirpe Gallica descendentium. Illius arboris ramos specialius descripturus clarissimus Auctor ad alias quoque Familias imperantes calamum direxit, & ultra quinquaginta tabulis charta augusta splendidissimis telam inchoatam pertexuit, quarum ordo talis est. Præliminaris charta sistit memoratam arborem Genealogicam, pone quam Dissertatio I generalis de cognitione Globi & historiæ universalis apparet, cui illustrandæ inserviunt quinque tabulæ, quarum 1 ad historiam introductoria, Globum cœlestem cum Systematibus mundi, Ptolemæico, Copernicano & Tychonico, Planetarumque Schematibus, & proportione, quam cum magnitudine Solis habent, exhibet; 2 Globum terrestrem cum observatiunculis Geographicis; 3 nexum Historiæ sacræ & profanæ, cum diversa ærarum sive annorum computandorum ratione; 4 Planisphærium generale ad historiam universalem inserviens, cum septem Orbis antiqui miraculis; 5 vero Historiam chronologicam Assyriorum, Ægyptiorum, Persarum & Sinensium repræsentat. Dissertatio II generalis Historiam Græcam concernit, ad quam n. 6 Græcia antiqua, n. 7 Græcia



cia imperans sub Alexandro M. n. 8 diversæ Græcorum Respublicæ cum illarum notitia chronologica faciunt. Dissertatio III Romam veterem describit, ad quam delineandam n. 9 Italia nascens sive Respublica Romana, n. 10 Imperium Romanum late per orbem diffusum, n. 11 Romæ urbis facies antiqua cum fastis Consulorum Romanorum, numeris 12, 13, 14 explicatis; n. 15 Imperatorum tam Occidentis quam Orientis icones, & n. 16 Chronologia eorundem multum juvant. Dissertatio IV de Roma moderna instituitur, atque huc pertinet n. 17 Italiæ status præsens, n. 18 Romæ modernæ facies, n. 19 & 20 Chronologia Pontificum, n. 21 delineatio Curia & Conclavis Papalis, n. 22 conspectus Romæ, tam veteris, quam recentioris. Dissertatio V Galliam illustrat, in cujus gratiam n. 23 mappa generalis Franciæ, cum ejusdem Geographia novantiqua, n. 24 speciales Gallicani regiminis provinciæ, n. 25 Reges Franciæ ordine Genealogico digesti, n. 26 regimen Ecclesiasticum in Gallia; n. 27 regimen Civile cum variis jurisdictionibus, n. 28 regimen militare cum præsentis illius statu, totius Regni viribus, & hodierna armorum munitionumque pictura, n. 29 Reges ordine Chronologico recensiti sistuntur. Dissertatio VI Hispaniam simili modo describit, eamque ob rem n. 30 Tabula Geographica veteris ac novæ Hispaniæ, n. 31 Chronologia & effigies Regum, n. 32 forma regiminis Hispanici, n. 33 distinctæ a se invicem jurisdictiones politicæ, n. 34 varii Monarchiæ Hispanicæ ordines, status ac provinciæ, n. 35 regimen Indiæ orientalis atque occidentalis, n. 36 & 37 Reges variarum gentium ac familiarum in Hispania imperantes exhibentur. Dissertatio VII Belgium concernit, cui explicando n. 38 tabula Belgii Geographica, n. 39 effigies Comitum Flandriæ & Hollandiæ cum iconismis Idolorum gentilium, & propagatorum religionis Christianæ, n. 40 effigies atque nomina Virorum regimini Belgico præfectorum, vel factis literisve illustrium, n. 41 forma regiminis, tum generalis, tum sigillatim etiam Belgii foederati, n. 42 delineatio Societatis in Indiam utramque commerciorum gratia navigantis, & n. 43 progressuum, quos in globo terrestri fecerunt illæ Batavorum in Indiam Societates, n. 44 Chronologia historica Provinciarum Belgii Foederati, ac aliquot accessiones mire huc facientes, inserviunt.



Alter Atlantis Tomus in duas partes subdividitur. Priori Parte Germania, Borussia, Hungaria & Bohemia exhibentur. Dissertatio I & II Historiam Romanam exponit, quam insigniter adjuvant n. 1 Tabula I, Genealogias Imperatorum, a Julio Cæsare usque ad Constantinum M. cum Regibus Gothicis, Visigothicis, Ostrogothicis, Burgundicis, Longobardicis & Exarchis Ravennatibus, ut & cum schematismo augustissimorum finium antiqui Imperii, repræsentans. N. 2 (Tab. a) Genealogia omnium in Europa Principum, qui a Carolo M. & Sicambriæ Regibus, (Tab. b) illorum, qui a Witikindo M. (Tab. c) eorum, qui ab Ega & Dagoberto descendunt, cui Megapolitanæ gentis ab Anthyro Herulorum Rege oriunda stirps simul inseritur; n. 3 typus Germaniæ antiquæ, cum iconismis Idolorum gentilium a Germanis veteribus adoratorum; n. 4 schema Germaniæ & illarum regionum omnium, quas victoriarum cursu peragrati fuerunt Germani; n. 5 trophæum in honorem præcipuorum Germaniæ Heroum Populorumque efformatum, quod & tum signa veterum militaria, tum hodiernarum familiarum in Imperio illustrium insignia exhibet; n. 6 Chronologica introductio ad Historiam Imperii Romani a Julio Cæsare ad Theodosium I; n. 7 stemma Genealogicum Augustissimæ Gentis Austriacæ, & ceterorum in Europa Principum ex illa descendentium; n. 8 conspectus Familiarum illustrium ex stirpe Rudolphi Habsburgici, & in minori tabula e stirpe Ferdinandi I Cæsaris progerminantium, quibus insignia quoque accedunt; n. 9 Genealogia diversarum gentium, quarum Principes Imperio præfuerunt, una cum Regibus Hispaniæ ex domo Austriaca oriundis, & insignibus provinciarum domui Austriacæ in Germania subjectarum in formam aurei Velleris collocatis; n. 10 stemma Palatinum & Bavaricum cum insignibus, titulis, juribus & provinciis, quam rationem in ceteris etiam tabulis servatam observamus; n. 11 stemma utriusque lineæ Saxonicæ, Albertinæ nimirum atque Ernestinæ; n. 12 stemma Brunsvicense ac Luneburgense cum suis insignibus; n. 13 continuatio Chronologiæ Imperatorum Occidentis ab Honorio usque ad Augustulum, ut & Regum Barbarorum Imperium Occidentale destruentium, cum Exarchis Ravennatibus ab Imperatoribus Orientis in Italia



constitutis. Dissertatio III, de statu Imperii inscripta, n. 14 Hassiacam, n. 15 Wurtembergicam, n. 16 Holsaticam, n. 17 Badensem, n. 18 Megapolitanam & n. 19 Anhaltinas familias simili ratione genealogice traditas producit; hinc vero n. 20 Chronologia Imperii Romano-Germanici a Carolo M. ad Fridericum I continuatur. Dissertatio IV de Principibus Imperii tractat, n. 21 in Nassoviæ domus Genealogiam inquirat, deinde n. 22 Geographica Germaniæ tabula cum nominibus & ramis familiarum illustrium, votum & sessionem in Comitibus Imperialibus habentium, n. 23 conspectus Circulorum Imperialium, cum diversis Principibus ad Comitibus Imperii convenientibus, n. 24 nova quædam mappa, diversas Principum in Germania ditones & provincias indicans, n. 25 Matricula & forma regiminis militaris in Imperio recepti, n. 26 continuatio Chronologiæ Germanicæ a Friderico I usque ad Matthiam comparet. Dissertatio V circa descriptionem Collegiorum & Conventuum Imperialium occupatur: atque huc quidem n. 27 diversorum in Comitibus Imperialibus congressuum, atque electionis & coronationis Cæsareæ ectypi, n. 28 schematismus Comitiorum universalium, n. 29 forma regiminis Ecclesiastici & militaris, n. 30 status Curia Imperialis & hæreditariarum Austriae provinciarum, n. 31 conspectus familiarum novorum Principum atque Comitum Imperii in 4 Classes divisorum, & n. 32 nexus Chronologicus, usque ad victoriam Aldenardensem deductus, Germaniæ fere finem imponit. Dissertatio VI Borussiae & provinciis Brandeburgicis impenditur, eamque ob causam n. 33 delineatio illarum regionum late diffusarum Geographica, cum insignibus earum, ac quibusdam aliis memorabilibus, n. 34 stemmatis Brandenburgici Genealogia amplissima, tam Ascaniensis, quam Zollerani, cum diversis insignibus huc pertinentibus, n. 35 generationes Serenissimæ domus Brandenburgicæ a Friderico I derivatæ cum successione continua antecessorum, titulisque & iurium Principum nunc ibi imperantium, n. 36 effigies Electorum Brandenburgicorum usque ad Principem Regium, status regionum regiminisque Ecclesiastici, civilis & militaris, qualis fuit in Aula Regia anno octavo hujus seculi vertente, & n. 37 Chronologia horum Electorum cum descriptione coronationis Regiæ Borussicæ,



cæ, aliisque actionibus maxime memorandis, ante oculos ponitur. Dissertatio VII Hungariam & Bohemiam complectitur, & hic n. 38 nova Hungariæ tabula cum Indice Topographico & Chronologico, n. 39 nova Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ & Lusatia tabula cum insignibus harum regionum heraldicis, n. 40 tabula vetusti ac moderni status terrarum Danubio adjacentium, n. 41 Genealogia Regum Hungariæ ac Bohemiæ & regiminis usitati delineatio omnium oculos mire delectant. Quibus ad calcem Chronologia Ducum Regumque Bohemiæ & Hungariæ, usque ad Ferdinandum I subjicitur.

Posterior Pars alterius Tomi, quæ tertium Atlantis Volumen constituit, simili ratione confecta fuit. Nam Dissertatio I & II Angliam tantummodo respicit, quam illustriorem reddunt n. 42 mappa Angliæ Geographica, cum Regum Anglicorum imaginibus; n. 43 novissima Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ tabula cum insignibus regnorum, provinciis Britannicis in utraque India sitis, indiceque Topographico; n. 44 Angliæ tabula juxta ordinem ac numerum Episcopatum & Urbium præcipuarum digesta; n. 45 delineatio progressuum Anglicorum in ceteris Europæ provinciis, & jurium in Regnum Gallia; n. 46 introductio Geographico-Genealogica in Angliæ Scotiæque Regum historiam; n. 47 stemma Genealogicum Plantagenetarum aliorumque partim Angliæ, partim Normanniæ Ducum, cum illorum insignibus; n. 48 stemma familiæ Stuartæ cum omnibus posteris eorumque insignibus; n. 49 repræsentatio Comitiorum utriusque regni Curia, quas Angli Parliamentum adpellant; n. 50 forma status Ecclesiastici ac Litterarii cum effigiibus Collegiorum Oxoniensis & Cantabrigiensis Academiæ, ut & virorum quorundam ibi florentium, insignibusque Academiarum & Collegiorum; n. 51 adumbratio privilegiorum, quibus Nobiles in Anglia gaudent; n. 52 militaris & n. 53 civilis regiminis descriptio, cum (n. 54) eleganti Chronologiæ Anglicanæ compendio. Dissertatio III Scotiam & Magnam Britanniam concernit; cui adjunguntur n. 55 mappa Scotiæ Geographica cum observationibus de statu Nobilium & Civitatum in Scotia; n. 56 repræsentatio regiminis & Comitiorum in Scotia; n. 57 Geographia veteris ac recentioris Hiberniæ; n. 58 nova Hiberniæ



tabula, juxta formam utriusque regiminis adornata; n. 59 insignia & officia civilia & militaria in Hibernia; n. 60 Regum Scotiae Chronologia. Dissertatio IV de Helvetia insituitur: ibique n. 61 Geographia Helvetiae antiquae, ubi ea imprimis indicantur loca, quorum memoria sub initiis Reipubl. occurrit; n. 62 tabula generalis tredecim Helvetiae pagorum, quos ipsi lingua patria *Cantons* vocant, cum indice Chronologico & Topographico, eorumque insignibus; n. 63 repraesentatio diversorum ibi Comitiorum & Collegiorum; n. 64 tabula Rhætiorum, Neocomensium, Genevensium & aliorum Helvetico foederi accedentium populorum Geographica; n. 65 Index genealogicus variorum Principum successionem in Principatu Neocomensi (*Neuchâtel*) praetendentium, cujus tamen possessio jure merito ad Augustissimum Borussiae Regem ante aliquot annos devoluta fuit; n. 66 annales Helvetiorum leguntur. Dissertatio V Sabaudiam describit, in cujus gratiam n. 67 Genealogia Familiae Sabaudicae hodie imperantis; n. 68 Historico-Geographica Ducatus Sabaudici descriptio, cum typo civitatis Taurinensis & Veneriae, & n. 68 Historia Sabaudiae juxta seriem Chronologicam pertractantur. Dissertatio VI ad Lotharingiam pergit, quae n. 70 Genealogico-Heraldice, n. 71 Geographico-Prosopographice, ubi Lotharingia in dynastias suas divisa, successio Ducum cum effigiibus eorum & statu praesente Aulae imperantis omniumque Consiliorum ac Collegiorum exhibetur, n. 72 Chronologice depingitur. Septima tandem Dissertatio, quae de Republica Venetorum agit, agmen claudit, atque hic rursus n. 73 mappa Geographico-Topographica & Heraldica; n. 74 situs ipsius urbis Venetae, cum Indice Nobilitatis; n. 75 forma regiminis civilis & politici; n. 76 forma regiminis militaris, cum quorundam aedificiorum ludorumque publicorum delineatione, & n. 77 Chronologica Ducum Venetorum recensio exhibetur: quibus omnibus generalis quidam syllabus Genealogiarum hoc altero Tomo contentarum ad calcem subjungitur.

De insigni utilitate, quam Viri illustres & omnes elegantioribus literis dediti, sed concatenata negotiorum mole a prolixitate hujus studii abhorrentes, exinde capere possunt, nos quidem

dem



dem dicere non attinet, eaque de re diligentissimus Auctor in Præfationibus cuique Tomo præmissis ipse disseruit. Id tantum notamus, quod singulas chartas nitidissime æri incisas observationibus quibusdam necessariis & elegantissimis ubique illustraverit, quod singulis Principum imaginibus certos quosdam fortunæ aut infortuniorum morumque characteres semper addiderit, quodque Dissertationes historicas, cuique sectioni aut provinciæ tanquam luminaria quædam splendidissima annexas, celebratissimo *Guedevillio* debeamus, quem excellentissimum inter Gallos in Belgio Foederato commorantes scriptorem, non solum *Genius Aularum Europæarum* (*L'Esprit des Cours de l'Europe*) quem per annos bene multos singulis fere mensibus in publicam lucem emisit, sed hæ quoque Dissertationes historicæ summa styli elegantia & mirorum ordine confectæ nobilitant. Gratissimum quoque Editor animum erga *Ferdinandum Ludovicum de Bresler & Aschenburg*, Equitem Silesium & Republicæ Uratislaviensis Senatorem splendidissimum, Fautorem nostrum honoratissimum, in limine statim alterius Tomi testatus est, quod iste hunc Atlantem historicum multis accessionibus ampliare, pluribus in locis correctiorem reddere, & nonnullas etiam Genealogias proprio Marte stupendaque diligentia confectas addere dignatus fuerit. Ut ergo cetera Orbis Europæi regna Castellanus noster eadem dexteritate, ordine ac nitore quantocius perficere & Literatorum Procerumque desideriis ita satisfacere queat, omnes boni ac cordati merito nobiscum precantur.

*SYNTAGMA HISTORICO-GENEALOGICUM*  
*de ortu atque progressu Illustrissima & antiquissima Do-*  
*mus Comitum & Baronum WORACZICKIORUM*  
*de PABIENICZ; Autore MICHAELE ADA-*  
*MO FRANCK de FRANCKEN-*  
*STEIN.*

Pragæ, apud Carolum Rosenmüller, 1708, in fol.

Alph. 4 plag. 2 & Tabb. aliquot Geneal.

**V**etustissimæ apud Bohemos juxta ac gloriosissimæ Woraczickianæ Gentis origines atque monumenta ante annos jam



centum & ultra in suo illo insigni *Diadocho*, in quo plerarumque illustriorum Bohemiarum Familiarum stemmatographiarum leguntur, paginis aliquot complexus est celeberrimus Genealogistes *Bartholomæus Paprocus*, verum (ut argumenta nimium vasta atque universalia tractantes fere solent) breviter, nec tam accurate, quam rei amplitudo, & dignitas postulabat, idque sermone duntaxat vernaculo, ut proinde a Bohemis fere tantum legi posset atque intelligi. Præsens ergo operis Autor doctissimus non se actum agere credidit, si *Historiam Woraczickianam* ex professo, curis secundis, disertiore penna describere, tum a Paprocianis temporibus ad hanc usque ætatem proficere, & recognitam, auctam ac continuatam civitate deinceps Latina donare aggrederetur. Quod quidem ita præstat, ut Paprociana plus quam tricesies exsuperans opuscula hætenus ignota e vetustis Manuscriptis & fide dignis Annalibus eruderet; ac ne uniformitate argumenti tædium pariat Lectori, prosam carmine alternans, in varias insuper Quæstiones ac Dissertatiunculas, Historicas, Genealogicas, Heraldicas, Ethicas, Philologicas, aliasque passim excurrat, eas præcipue, quæ ad illustrationem totius Historiæ patriæ & universam Bohemicarum stirpium notitiam faciunt, adeo ut occasione Woraczickianæ Domus, quæ cum plerisque aliis illustribus Bohemiarum Familiis arcta affinitate jungitur, potioris *Bohemice Nobilitatis* brevem quandam *Sciagraphiam* tradat. Opus totum in triginta sectiones, ac velut trifariam divisum est. Pars prior historiam ordine chronologico ad nostra usque deducitur tempora, cui novissimum Cæsareum Diploma in mantissam apponitur & anacephalæosin, adjectis quoque notis, quibus præcipua Historiæ capita supplentur & explanantur. Pars inde altera Genealogicam Arborem propaginis Woraczickianæ erigit; cum prius singulos ejus ramos frondesque singulas expendisset, examinassetque accuratius radicem præsertim ac verticem utriusque superstitis lineæ, a quarta & quinta generatione. Parte denique tertia Cl. Autor virtutes præcipuas, sapientiam, dignitates, fortunas, prærogativas sæpe laudatæ gentis sigillatim considerat; tum brevissima synopsi omnia hætenus dicta constringens, mortuali Woraczickiorum præfatio, sepulchralibus monumentis ac tandem votis opus concludit, sub-

jectis



jectis Indicibus necessariis. Porro ut, quod de excursibus dictum, specimine aliquo declarem, occasione primi Familiae Woraczickianae in Bohemiam adventus [ p. 3 & 8 ] ostendit Cl. Auctor, jam ante imperium Ducis Przemyslai (contra quam aliqui Scriptores existiment) copiosissimam in Bohemia Nobilitatem confedisse: appposito etiam syllabo Nobilium Familiarum, quae cum Czecho e Croatia in oras istas advenerant. In mentione Pabieni ( qui nobilissimus Heros illustrissimae Familiae suae Woraczickianum nomen ab agriculturæ studio derivasse olim legitur ) [ pag. 15, 205 & 259 ] fuse probat, plurimisque Politicorum, atque Historicorum & Poëtarum adductis locis, ac nominatim Boozi, Cyri, L. Quinctii, Fabricii, Curii Dentati, Scipionis Africani, Serrani, M. Valerii Corvi, Camilli, Catonis, Przemyslai, Piaſti, Olechi aliorumque exemplis demonstrat, olim summos quoque Heroas, Principes atque Reges ruri fecisse opus, boves egisse stivamque tractasse. Refutat & dictum Sallustii, quo agriculturam *servile officium* pronuntiavit. Denique Scriptorum quorundam & vulgi retundit opinionem, qui de avitis Przemyslai Bohemiae Ducis natalibus vile aliquid suspicati sunt, quod eum arantem producant historiae, cum ad tori thronique consortium a Duce Libussa evocaretur. Occasione Udalrici, e Woraczickianis hoc nomine primi, Ecclesiae Pragensis Canonici & J. U. Doctoris [ pag. 27 & 329 ] adversus hodiernos rei litterariae obtrectatores affirmat multisque confirmat, dignitates Academicas non tantum nihil officere, verum potius splendoris plurimum conferre Nobilitati. Unde antiquitus in omni Europa, tum nominatim in Bohemia maximorum Procerum, Principum, atque adeo Regum filios illud honoris ac gloriae genus magno ambitu affectaverint. Sed haec ad salivam Lectori movendam suffecerint. Ceterum quod ad praecipuum operis argumentum spectat, plura Lector reperiet, Paprocio, Balbino aliisque adhuc intacta. Qualia sunt Woraczickianae Familiae a Romanis Proceribus Gracchis & Bohemiae Ducibus Crocis, atque a priscis Mielniei Comitibus per matres deductio [ pag. 4, 12, 257 ] tum quod Woraczickiani ante aliquot jam secula in numero Baronum Bohemiae & Vexillariorum Procerum, tum ante secula omnino novem in numero Comitum fuerint [ p. 106, 147, 234. ]

Marianae



Marianæ porro, ut nunc vocant, *Mature* fundatio eidem illustrissimæ Genti vindicata, [ p. 318 ] varæ narrationes de originibus urbis Czaslaviæ [ p. 198, ] de gemino Woraczickio [ p. 15, 44, 203, ] de Borzivogio Principe per Woraczickæos in thronum restituto [ p. 315, ] de Hadkone Pabienicio, Procopii Orphanorum Ducis interfectore [ p. 41, ] de Puta Urbis Plsnensis liberatore ( p. 40, ) de sepultura Czaslai ( 344, ) de mortuali Woraczickiorum omine ( p. 341, ) & alia, quæ omnia variis carminibus & artificiis poëticis, Genethliacis, Epithalamiis, Epiniciis, Eucharisticis, Epicediis, Epitaphiis, Elogiis, Anagrammatibus & Chronostichis ornantur & intermiscuntur.

**D E M O N S T R A T I O N E M**  
*richtung der ersten Christlichen Kirche.*

i. e.

**ZEPHYRINI DE PACE NECESSARIA**  
*Restauratio Ecclesie primitivæ Christianæ.*

Brunsvigæ, impensis Jo. Georg. Zilligeri, 1709, 4.  
 Alfab. 5 plag. 5.

**I**llustris Auctor hujus operis, qui sub nomine *Zephyrini de Pace* latere voluit, Scriptoribus irenicis annumerandus differit in eo præcipue de Electorali Moguntina instructione quoad unionem Evangelicorum & Romano-Catholicorum, & quidem p. 1 de qualitate personarum, qui unionis causa colloqui & agere invicem debeant, p. 21, 45, 47, 55, 58, 60 de formulis loquendi, quæ in S. Scriptura non sunt comprehensæ, p. 60, de examine Augustanæ Confessionis & Breviarii p. 26, de lectione Missæ p. 107, an missa sit sacrificium, & quale? p. 110, 148, 185, 193, 239, de futura appellatione Evangelicorum p. 288, de Papa, & pro quo sit agnoscendus, p. 293, de intermissione conviciorum & scriptorum adversus alteram partem p. 324, de administratione S. Coenæ sub utraque specie p. 337, de confessione auriculari p. 438, de cultu Sanctorum p. 597, & denique de purgatorio p. 730. Huic autem operi prolixam præmisit Præfationem, in qua improbat multitudinem librorum, qui quotidie scribuntur, præsertim in re Theologica,



gica, docetque, omnes Christianas sectas multum veri & boni habere, sed quibus falsum & malum intermixta sint; se hic agere de unione Christianorum, non autem Atheorum, & Christum negantium, aut contemnentium; irenicos Scriptores magnum charitatis opus facere, quamvis unus & alter non optime eo in negotio processerint, paucosve invenerint sententiæ suæ patronos, sicut excellentissimis Viris, Erasmo, G. Cassandro, G. Wicelio & H. Grotio contigerit: ejusmodi vero Scriptores irenicos non esse contemnendos, cum Jesus pacem tantopere suis discipulis commendavit; cujuscunque Sectæ quis fuerit, modo Deum timeat, & Christum pro Salvatore suo agnoscat, ac pie & secundum virtutes vivat, pace & charitate nostra non esse indignum; nec adhibenda esse verba: *hic est A catholicus, Lutheranus, Calvinista, Arminianus, Hereticus, & consequenter mancipium diaboli, & vicissim: hic est Papista, superstitiosus, idololatra, servus Mariae, & ideo damnatus;* quemvis se ipsum intueri debere, tanquam servum inutilem, qui non optime observavit mandata Domini sui; debere etiam agnoscere suos & aliorum errores, eosque emendare; Lutherum, Zwinglium, Calvinum satis causæ habuisse, ut obstant multis & enormibus abusibus, qui suo tempore in occidentali Christi ecclesia fuerint, sed & eruditos Viros Romanæ ecclesiæ animadvertisse, eos (sic quidem Noster sentit) ultra, quam fas est, processisse; salvos in istis Sectis factos esse homines non ex vitio & errore Sectæ, sed ex eo, quod quævis earum ex catholica Christiana religione participaret, cum nulla sit Secta Christiana, quæ non modum & medium perveniendi ad vitam æternam a Christo Joh. XVII, 3 suppeditatum acceptet, eoque utatur; necessarios fidei articulos contineri in symbolo Apostolico, adeoque in illis convenire Christianas Sectas, quia singulæ illud recipiant; neminem alteri debere irasci, si is aliter, ac ipse, aliquid interpretetur, & in articulis non necessariis, in quæstionibus Theologicis, atque in ceremoniis & ritibus ab ipso recedat; Dominum vineæ diversitatem hanc indicare quodammodo voluisse in suis operariis, satis enim esse, si singuli suo modo curent vineam, ut fructus ferat: interim pacis & unionis causa, omnes Domini operarios sic esse instruendos, ut eodem modo & conjunctim officium



peragant, ne per separationem corporum & animorum opus Domini detrimenti quid capiat. Atque huc etiam tendere ait præfens scriptum, in quo docere Germanos tot sententiis dissentientes constituit, potiores articulos, in quibus discrepant, sive ad salutem necessarii sint, sive non, ita posse explicari & dirigi, ut cum S. Scriptura, primitiva ecclesia & sana ratione consentiant, & consequenter eos, qui illos amplectantur, conjunctim pasci, atque in unum idemque Christi ovile intrare posse. Ut vero idoneus sit aliquis recipi in ovile pacis & unionis Christi, tria potissimum requiri censet, 1. ne sibi videatur, per singularem gratiam & prærogativam, affecutus a Deo esse infallibilitatem in omnibus tam credendis, quam agendis, 2. ne credat, impossibile esse, ut ipse in uno aut pluribus fidei articulis erret, 3. ne præsumat, se sapientissimum omnium, & in rebus religionis omnia affecutum esse, sed potius sibi persuadeat, alios haud paucos ad majorem, quam ipsum, cognitionem pervenisse. Atque hæc hæctenus recensere ita volumus, judicium de iis aliis relinquentes.

*CHRISTIANI KORTHOLTI, THEOLOGIÆ  
quondam Doctoris & Professoris Primarii, Academiaque  
Kiloniensis Pro-Cancellarii, Disquisitiones Anti-Baro-  
niana; accedunt ejusdem de pane ἐπιτομία Exercitatio  
Anti-Salmasiana, aliaque haud disparis argumenti scri-  
pta, una cum D. ADAMI TRIBBECHOVII Exercitatio-  
nibus ad Baronii Annales, denuo edita a SEBASTIA-  
NO KORTHOLTO, Philosoph. Moral. &  
Poeseos Prof. Ordin.*

Lipsiæ & Hamburgi, sumtibus Reumannianis, 1709, 4.  
Alph. 3 plag. 12.

**Q**Uum intelligeret Clarissimus Sebastianus Kortholtus operam suam, quam revocandis in lucem patriis scriptis hæctenus cum laude impendit, litterato Orbi non displicuisse, nunc septem Disquisitiones, a summe Venerando Parente Cardinali Baronio quondam oppositas, doctissimeque elaboratas, in apricum denuo proferre, iisque præter octavam de reliquiarum cultu, aliamque



que in Canonem sextum Concilii Niceni, & quicquid ipsa B. Parentis manus ad Dissertationes suas Anti-Baronianas passim politius limandas & perficiendas contulit, adjicere non inconsultum judicavit. Quibus novem Dissertationibus accesserunt ejusdem B. Kortholti Exercitatio Anti-Salmasiana de Pane *ἐπιτομή*, quam in Oratione Dominica petimus, nec non Joannis Paulini Olivekranzii, Christinae, Suecorum Reginae, quondam Consilarii, dominiorumque Gubernatoris Generalis, libellus sine Autoris nomine Amstelodami 1691 editus, qui hoc titulo insignitur: *Pater noster, sive Dominicae precatationis explicatio compendiaria*, una cum B. Kortholti Epistola ad Celeb. Dn. Reyherum, in qua judicium suum super hoc laudato Olivekranzii commentariolo exponit, eundemque plane aureum appellat. Præterea subjectus est syllabus omnium librorum a superstite B. Kortholto publicatorum, nulla mentione facta scriptorum posthumorum, quæ & famæ Auctoris & Lectoris expectationi plerumque minus respondere solent, quod ultima scriptoris manus & lima ad illa non accessit. Comparant quoque in hoc egregio Syntagmate D. Adami Tribbecho-vii Exercitationes V ad Baronii Annales, ubi desit Is. Casaubonus, continuatæ & anno 1666 edi cœptæ, quum in Academia Kiloniensi summe Reverendus iste Theologus Historias publice doceret. Exhibentur etiam in isto opere Epistolæ Pauli Sarpii, Veneti, & Isaaci Casauboni, quibus manu sua exaratis Vir illustris, Marquardus Gudius, tanquam thesauro quodam literario admodum pretioso B. Kortholtum quondam locupletavit, atque hæ celeberrimi Editoris Præfationi subjunguntur.

## RECVEIL DES OBJECTIONS &amp;c.

ii. e.

PHILIPPI NAUDÆI, SOCII ACADEMIÆ  
Regia Berolin. & Matheseos in Illustri Academia Professo-  
ris, Syllabus Objectionum contra Tractatum de su-  
prema Dei Perfectione factarum, cum  
Responsionibus.

Amstelodami, apud Stephanum Roger, 1709, 12.

Plag. 9½.

Qq 2

De



**D**E Cl. Naudæi Tractatu, Perfectionem Dei supremam, tanquam remedium contra dubia circa originem mali & decretum reprobationis orta, enarrantis, actum est supra M. Jan. p. II. sq. Opposuit Anonymus quidam Naudæo schedam, quæ perfalse illum tractat, & cum primis eo nomine quam maxime reprehendit, quod Deum sancto sensu auctorem peccati dici posse docuerat. Naudæus, conquestus graviter de contumelia sibi illata, primum in hac collectione schedam istam ita refutatum, & Adversarium suum cum multis aliis universalissimi patronis Pelagianismi & Arminianismi reum facit. Non deponit autem semel adoptatam & ex hypothesi de absoluta Dei perfectione statuatam sententiam de Deo peccati auctore in sancto sensu. Recipit igitur se ad phrasas Biblicas de peccato usurpatas, quæ duriores videntur, hasque ab Adversario contemni, aut in nebulas converti, ait. Censet vero, hominum malitiam in causa esse, cur tantopere a phrasi, Deum esse auctorem, abhorreatur, eam videlicet, cum possit sancte & inculpate intelligi, per malitiosam interpretationem in contumeliam Numinis pertrahi: ac si quis Jacobo Patriarchæ inimicus, audiens, illum re pecuaria familiam alere, ita rem exponeret, Jacobum pecora alere studio illa crudelissime mactandi, adeoque stragis sanguinaræ auctorem esse. Negat & pernegat, jus homini aliquod contra Deum esse, usus similitudine a Rege petita, qui exercitum justis de causis in expeditionem deducat, inque itinere isto ingentem formicarum vim cum exercitu conculcet, nulla equidem ratione peccans, quia ipsi non formicarum, sed expeditionis, habenda esset ratio. Cum primis vero indignatur, Jo. Clericum, V. Cl. tantis commendationibus ab Adversario ornari, qui in negotio purioris doctrinæ reprehendendus potius sit, cujusque editionem Novi Testamenti publica auctoritate Berolini reprobata esse sciat.

Hæc prima hujus Syllabi pars est. In secunda Amicorum quorundam monitionem perpendit, minus æque ferentium, quod Molinæum, Dallæum & Claudium nominatim refutasset; & fatetur, se non omnium prudentissime hæc in re versatum esse, potuisseque eorum doctrinas, non citatis nominibus, refellere. Credit tamen eos, cum homines fuerint errori obnoxii, non Prophe-



tæ vel Apostoli, etiam nominatim confutari potuisse. In tertia portiuncula Lutherano cuidam, quem vocat, Theologo, respondet, cui difformem omnino nostris Ecclesiis sententiam adscribit, quod videlicet de salute eorum, qui Christum nunquam noverint, si bonæ mentis morisque fuerint, desperare nolit. Naudæus vero tales existere negat, cum omnis vera morum mentisque probitas in Christo sit atque ex Christo. Cum eodem de voluntate antecedente fusius agit, sed ita ut novam plane huic phrasi significationem uterque adscribat. Quarta portio hominis a religione tantum non alieni, & ipsam fere providentiam negantis, argumenta considerat, cui fortiter Naudæus respondet. In quinta particula res ipsi est cum Doctore Universalista, qui negabat, Deum vere sui honoris causa agere vel ad illum actiones dirigere posse. Sexta portio alius Universalistæ argumenta contemplatur, qui ad incomprehensibilitatem Dei se receperat, statueratque, nihil de tota re pronuntiandum. Septima Theologo Lutherano opposita est, qui infinitatem meriti Christi Naudæo objecerat. Credit, se hic Nostrates ad silentium redegisse, & a præcipuis Theologis ne quidem responderi posse ad argumenta a se contra nostram sententiam prolata, alterum a statu hominis lapsi, qui cum mancipium peccati sit, nihil aliud possit, quam perpetuo malitiose resistere, alterum ex eo, quod non repudiare & recipere gratiam, quæ nos distinguamus, prorsus & per omnia sint eadem. Sed hæc Theologis commendamus. Octava portio velut in lancefatura aliorum objectiones colligit, & ad illas respondet. Tandem de Concione quadam Eliæ Saurini contra Supralapsarios habita agit, eamque refellit, ratus, rationem nostram, quæ semper viis Dei obmurmuret, plerosque a sua & Supralapsariorum hypothesis facere alienos.

*EPHRAIMI GERHARDI DELINEATIO PHILOSOPHIE Rationalis eclecticæ efformatæ & usui sæculi accommodatæ, sive de Intellectus humani usu atque emendatione Libri duo.*

Jenæ, apud Henr. Christ. Croëkerum, 1709, 8.

Constat plag. 15.

Qq 3

Autor



**A**utor Cl. in Præfatione laudat Autores, quorum scriptis in suo concinnando fuerit adjutus. Nominat ex veteribus *Nizolium, Vivem, Melanchthonem & Petrum Ramum*; ex recentioribus *Thomasium, Buddeum, Grosserum, Cartesium* cum sequacibus *Claubergio, Le Grand, Jensio & Autore Artis cogitandi, Weisium, Schilterum, Bayerum*. Se legisse quoque ait Medicinam Mentis Dn. *de Tschirnhausen*, & ultimo tempore sibi innotuisse *Clerici, Lockii, Titii* atque *Prælei* præceptiones. Veteribus parum tribuit suorum in Philosophia rationali profectuum: plurima autem se debere fatetur *Thomasio*. Hujus potissimum & *Celeb. Buddei* (qui sæpe cum illo consentit) cogitata approbat & contra *Consult. Titium* nostrum, si quando dissentit, propugnat. Ex *Tschirnhausiana* Medicina Mentis vix quicquam desumptum reperies, nec explicatae potissimum in excellenti hoc opere Geometrarum methodi ulla injicitur mentio. *Aristotelis* dogmata Logica passim perstringit, in primis, quæ de Syllogismorum figuris tradidit: id quod hodie a plerisque fieri consuevit. Equidem nostrum jam non est Logicam *Aristotelicam* ad examen revocare, & de perfectione ipsius decernere; cum tamen videamus, plerosque scopum illius non satis perspicere, ideo unice monemus, quod *Aristoteles* examen cogitationum verarum ad evidentiae gradum ultimum perducere intenderit, ita ut secundum coeptas leges cogitationes dirigens aberrare non possis, etiamsi in arduis meditationibus nondum satis fueris versatus, & ut certa veritatum normandarum regula habeatur, quæ ipsis sensibus evidentiam earundem percipiendam exhibeat. Huic quantum satisfecerit scopo, examinandum, & quousque ille in Logica intendendus, dispiciendum erat iis, qui in eam invehere conantur. Non adeo tempus falleret, qui Logicæ Aristotelis ex ipsius Scriptis hauriendæ Trutinam orbi literato exhiberet. Sed videamus, quænam Autor noster in sua Logica proponat. Librum primum de conceptibus Logicis communibus; alterum de negotiis Logicis specialibus inscribit. In illo definitiones & distinctiones de eruditione, philosophia generatim, philosophia rationali, intellectu humano, cognitione, ignorantia, veritate & certitudine, falsitate verosimili & dissimili, objecto cognitionis & cognitionis impedimentis attulisse plerumque



que contentus, in hoc alias de impedimentorum remotione, experientia, meditatione, ratiocinatione, lectione & auscultatione, interpretatione, opinionum dijudicatione, veri communicatione generatim, communicatione veri, quæ ore tenus fit, libris scribendis & arte disputandi & confutandi superaddit, & paucas hinc inde regulas inspergit. Speciminis loco quasdam definitiones, distinctiones & regulas proferemus. Per eruditionem se intelligere ait, quicquid disci potest, eam tamen distinguit ab artibus Mechanicis, quæ etiam discuntur, & sapientiam vocari ait, quatenus non ab aliis inculcatur, sed per se ipsam innotescit. Ultramque docere debere, quæ bona sint, quæ mala, quod illa eligenda, hæc vitanda. Hinc eruditionem esse infert habitum recte utendi intellectu circa acquirendam conservandamque hominum felicitatem, quæ in vita naturæ humanæ conveniente, hoc est, in naturæ humanæ conservatione consistat. Tot adeo esse eruditionis, quot felicitatis humanæ partes. Grammaticam, Rhetoricam, Poësin, Historiam, partem Matheseos, disciplinas vocat, quæ non tam vitæ, quam scholæ esse existimentur. Improbat divisionem in quatuor Facultates, quam fundamento destitutam, confusis conceptibus formandis aptam & veræ sapientiæ, h. e. vi superiorum, iis, quæ proprio Marte discimus, infestam asserit. Philosophia ipsi est doctrina tradens notitiam, amorem usumque rerum natura cognoscibilium & ad humanam felicitatem pertinentium: cujus tot esse affirmat partes, quot eruditionis. Logica vero eidem est doctrina cogitationum plurium iusto nexu cohærentium. Intellectum inter alia dividit in activum & passivum. Illum vocat, si motum ex se producat: hunc vero, si ab extra moveatur. Illum ait gignere cognitionem mortuam, cerebrinam & idealem; hunc vero vivam, affectivam & sensualem. Intellectum quoque purum dari largitur, sed rariorem esse, prout ingenia abstractionibus nata rariora existant, nec late admodum patere. Mentis existentiam per motus celerrimos probat, qui intus contingant, propterea quod concipi nequeat, quomodo crassa corporis materia sine tali motore agat. Certitudinem dividit in sensualem & idealem. Ultimum veritatis criterium cum *Cartesio* facit: quicquid clare & distincte percipio, illud est verum. Clare autem & distincte



ete rem percipere idem esse, ac vel sensus, vel idearum evidentia  
 ita convinci, ut, cur de rei veritate dubitemus, nihil restet. Ad  
 verosimile requirit, ut possit esse verum, & ut menti sub specie  
 veri appareat. De eo sequentes affert regulas: 1 quarum idea-  
 rum nexum natura rerum patitur, illarum conjunctio est verifi-  
 milis: 2 quarum idearum harmoniam qualiscunque ratiocinatio  
 ostendit, illa est verosimilis. Impedimenta cognitionis recentet  
 rerum absentiam, nimiam objecti distantiam, nimiam rei propin-  
 quitatem, subtilitatem, motum objecti & inconstantiam, natura-  
 lem mentis hebetudinem, præjudicia, negligentiam, contemptum  
 rerum quotidianarum & neglectum rerum ad animam pertinen-  
 tium, stultam de eruditione persuasionem, multitudinem libro-  
 rum, Eruditorum, Academiarum, instituta inveterata, distinctio-  
 nem Facultatum, statum Eruditorum &c. quæ fufius a se pertra-  
 ctata ait in Dissertatione de præcipuis sapientiæ impedimentis, cum  
 in finem ad calcem libri adjecta. Impedimenta remoturus præ-  
 cipit, 1 mentem sanam esse debere in corpore sano, 2 dubitan-  
 dum esse, 3 curandum, ut res sint præsentis & in debita distantia.  
 De experientia, quam ex aliquot repetitis perceptionibus nasci sta-  
 tuit, non opus esse regulis arbitratur, cum sit cognitio evidens & in  
 se certa. Experimenta sumtuosa magis luxui & curiositati, quam  
 veræ sapientiæ inservire ex *Thomasii* tentamine de essentia spiri-  
 tus repetit. Regulas syllogisticas *Aristotelis* rejicit, quoniam re-  
 gulas circa rem naturalem tradere sit Soli viam monstrare, adeo-  
 que homo ratione utens non opus habeat magno regularum ap-  
 paratu. Nos iis carere posse, si adhibeamus hanc cautelam: non  
 esse ratiocinandum, nisi de rebus magna ex parte cognitis. Ver-  
 ficulos de signis ab otiosis hominibus esse excogitados. Conscri-  
 psit Autor hunc libellum, ut inserviat Prælectionibus privatis in  
 Academia Jenensij habendis.

*ISRAELIS CONRADI, MED. DOCT. PHYS.*  
*Gedan. Senioris, Cognitionis sui ipsius problematica*  
*Philosophico-Medica.*

Gedani, sumtibus Autoris, 1708, 8.

Const. plag. 2 $\frac{1}{2}$ .

Autor



**A**ltor ætate & doctrina venerandus ex eorum numero est, qui principium movens in homine spiritum esse, omnis corporeæ naturæ expertem, negant, ita tamen, ut ei præ crassa materia peculiare perfectiones tribuat. Lucem enim esse statuit, quæ sit *substantia a Deo creata, finita & simul indefinita, ratione nostri conceptus spirituosæ, seu spiritus non immaterialis, simplicissima, invisibilis, denique secundum voluntatem Conditoris peculiaribus donis aucta vel augenda, ut ad singulas destinationes ipsi soli notas diversa genera & species lucis constituere sit apta.* Lucem vero Deum in principio rerum præter Solis lucem, & hac multo puriorem, condidisse supponit doctissimus Autor, cujus conditiones & modi queant esse varii, atque ex ejus ordine primo loco vitalis spiritus putatur esse, vitæ præses, & qui sustentationis & propagationis negotium in animalibus quibusque sine ullo principio alio perficiat, non ad solas Mechanices regulas, sed qua ratiocinandi facultate intrinseca est præditus, quam magis vel minus in brutis, pro diversitate horum naturæ præstantiæ, exerit. Alia autem est iterum lucis species, quæ homini est propria & intelligendi vi pollet, & summi boni capax est, quæ dicitur esse *substantia a Deo creata spiritualis non immaterialis, luce constans, vivens, intelligens, cogitans, sui conscia, ratione, perceptione, sensu, judicio, consilio, memoria, voluntate prædita, denique & immortalis, in qua sola apud hominem imago Dei queri & inveniri queat.* Hoc problema tam diu consistere debere Cl. Autor postulat, donec alius quid evidentius & ad principii moventis & intelligentis naturam capiendam aptius in medium adferat. Media autem hæc videtur via esse inter sententias, quarum altera animum asserit esse spiritum immaterialem, cujus nec distinctos conceptus suppeditare potest, nec subsistendi rationem tradere, aut phaenomenorum nodos solve, altera materiam substituit, crassiorem quidem, & operationibus mentis perfectionibus impari. Proniori quidem nexu videntur Nostro ex sua sententia fluere, quæ ad commercium inter mentem & corpus pertinent, ad quod facere quoque permultum putat sanguinis ac reliquorum, quæ in corpore sunt, indolem, nec non, quæ externe accedunt, ut sunt aer, alimenta, educatio, consuetudo, valetudo, morbus, & hujus

Rr.

naturæ



naturæ alia. Absolvitur vero illa mutua actio inter mentem & organa corporis, per medium vitalem spiritum, qui luce animi est inferior, & corporis, cui quoque lucis certa & deterior forte portio tribuitur, lumine præstantior. Quæ quidem omnia ita proponuntur ab Autore, ut meliora docentem sequi paratus sit. Subjiciuntur primæ tractationis parti plura Scripturæ loca, quæ quoquo modo argumentum explicare possunt, in quibus partim literæ sensus, partim allegoria locum obtinet. In secunda parte occupatur in exponenda natura corporis, ubi ad tria respiciendum esse commonet, qualis nimirum homo sit in matris utero, qualis extra eum, & quid post obitum illi accidat. Quoad primum conciliantur illorum opiniones, qui vel ex ovo, vel ex vermibus hominem nasci docent, etenim vermiculi feminis ovulis in utero bombycum instar se possunt includere, quibus operam suam confert deinde vitalis spiritus ante jam expositus, qui & vitam ipsam cum intra uteri claustra, tum quando homo in lucem exponitur vitalem, constituit, quæ vita, uti & corporis sanitas, consistit in hujus spiritus actione & justa partium formatione, dispositione, proportione, quantitate & debito situ, nec non motu sanguinis & aliorum fluidorum ac solidorum, in quæ vitalis hic spiritus virtutem suam exercet, qui ita constitutus nutritionis etiam, digestionis, secretionis, excretionis, retentionis & alia munia obit. Functiones animo & corpori communes fiunt beneficio materiæ lucidæ subtilis in canalibus corporis contentæ & ad cerebrum appellentis, cui vestigia, nescio quæ, imprimit; cogitatio, imaginatio, ingenium, & quæ huc spectant, ope potissimum cerebri vel juvari, vel impediri possunt, quamvis & stomachus, & viscera, & sanguis non excludantur plane. Ratio, meditatio, judicium, voluntas & intellectus mentis propria sunt opera. Sensus externi a societate mentis & corporis dependent. Quæ ultimo loco sequuntur, agunt de conservatione corporis sani, ut sana in eo mens degere valeat, verum ea ulterius prosequi non fert instituti ratio: quæ vero corpori post mortem eveniunt, relinquuntur altioribus innutritis. Ceterum doctissimus Autor præter hoc Problema Physico-Medicum *Inscriptiones* quoque *miscellaneas* eleganter satis conscriptas simul in lucem edidit.



*VITI RIEDLINI, ULMENSIS, OLIM Augustæ Vindelicorum, nunc in Patria Pbyfici, & Academicè Curiosi, Curarum Medicarum, in quibus varii Casus, Historia & Observationes &c. continentur, Millenarius.*

Ulmae, apud Georgium Wilhelmum Kuhnium, 1709, 4.

Alphab. 4.

**Q**uantæ curæ nostro fuerit Autori utilissimam Artem Medicam non solummodo rite exercere, sed & observationes proprias literis consignando eandem promovere, tot historiæ sub Linearum Medicarum titulo per continuam sex annorum seriem, ab A. videlicet 1695 ad A. usque 1700 editæ atque in Actis nostris recensitæ, satis superque fecerunt testatum. Neque curam talem ab eo adhuc esse abjectam, vel abjectum facile iri, Casuum præfens Millenarius octo abhinc annis jamjam typis destinatus, modo citius Bibliopolarum aliquis curam eorum in se suscepisset, sub Curarum Medicarum nomine recens divulgatus, testatur, testabunturque aliæ Observationes, quarum vel duos Millenarios denuo paratos habet, suo tempore sub aliis forsan titulis, Deo juvante, cum publico communicandæ. Quæ tamen antequam lucem adspiciant, nobis nunc curæ erit ex Casibus hisce, quos præmanibus habemus, observata pauca, non tam aliorum subinde interspersa, quam Autoris propria, pro more excerpere. Nobilis Viri *Obs. 26* fit mentio, qui catarrhis obnoxius pro lubitu uvulam modo exserere quasi & oculis exponere, modo iisdem denuo subtrahere valuerit. Cortex Peruvianus Cephalalgiaë periodicæ non minus, ac aliorum morborum periodicorum, genuinus & strenuus debellator *Obs. 27* evincitur; tabes vero lethalis à doloribus arthriticis incauta alumini cum albumine ovi applicatione sedatis, enarratur *Obs. 29*. Febris quartana non omnis longa & curatu difficilis *Obs. 69* confirmatur, dum mercator aliquis quinquagenarius a potiunculæ sudoriferæ & pulverum febrifugorum sale armoniaco auctorum usu loco tertii paroxysmi totus sudore perfusus mox perfecte convaluit. Mirum antipathiaë exemplum in Matrona quadam illustri, quæ spongiam siccam absque insigni-



totius corporis horrore nunquam attingere, eandem vero aqua madefactam impune tractare potuit, *Obs. 91* notatur; ophthalmiam autem, quæ fonticulis alias curatur, fonticulo etiam clauso succedere *Obs. 167* ostenditur. Incubum incantatione indutum, & incantatione curatum exhibet *Obs. 176* cum a cucurbitulis non scarificatis pone cervicem applicatis, & hinc per totum dorsum ad nates usque sæpius tractis, multam urinam moveri, *Obs. 183* edoceat. Guttam rosaceam, quemadmodum a nimia sanguinis profusione subortam, *Obs. 230* exponit; ita dolores ischiadicos a potione cathartica discussos *Obs. 242* designat. Ileos a vermibus lethalis *Obs. 250*, hydrops uteri conceptionem insequens *Obs. 253* totiusque tumor ab erysipelate faciei neglecto *Obs. 269* commemorantur. Quæ in Autoris filio atrophix lethalis post mortem patuerit causa, *Obs. 344* refertur, massa videlicet carnosa pugni fere magnitudine intestinum duodenum stipans, hocque adeo coarctans, ut non nisi parum succi chylosi, ex stagnatione corrupti, ad reliqua intestina satis bene constituta, exceptis glandulis eorum majoribus, potuerit deferri. Salivationis mercurialis efficaciam in mensibus referendis, quos brassicæ muraticæ & carnis suillæ esus in virgine 20 annorum obstruxerat, demonstrat *Obs. 366*, postquam martialia, aloetica, succinata & volatilia nequicquam profecissent. Narium catarrho, per aliquot mastiches grana sedato, in Matrona quadam fluorem album successisse, pilulis Francofurtensibus & spiritu Terebinthinæ curandum, tradit *Obs. 402*. Unicornu marinum in vigiliis pertinacibus, aquam vero simplicem pane tosto alteratum, in doloribus nepleriticis egregie conferre, ex *Obs. 412* & *413* innotescit. Fistulam ani in natibus aliquando exeuntem, aut dolores in mamma cancrosa ab emplastro saturnino excitatos, *Obs. 494* & *507* testantur. Cum aliquis ex alvi obstructione sine doloribus vivere desisset, post sectionem non solum plures excrescentiæ carniæ in intestino recto, sed & externa massa informis carnosæ partim, partim glandulosa, pugni virilis magnitudinem excedens atque intestinum rectum prope vesicam urinariam comprimens, juxta *Obs. 536* fuerunt detectæ. Ab haustu lactis calidiusculi dolorem illum ventriculi mitigatum, quem mercator quidam a cibo nimis fervente



fervente in itinere ingesto diu perceperat cum faciei colore mutato, loquitur *Obs. 564*. Tumorem manuum subitaneum non tam a Tinctura bezoardica sudorifera, quam a cathartico aliquo dissipatum sistit *Obs. 694*, prout Anafarcam a pomis in nimia quantitate assumtis & oriri posse, & purgantibus atque martialibus facile cedere, in *Obs. 724* legitur. Carnem suillam fumo induratum per duos menses in ancillæ cujusdam ventriculo hæsisse, testis est *Obs. 829*, dum terra sigillata in antiquo ventriculi dolore compescendo *Obs. 868* laudatur. Arthritidis e pedibus in pectus metathesin periculosam *Obs. 883* comprobatur; e contrario decoctum Coffée salutare cum in ventriculi doloribus præcavendis, tum in chylicatione promovenda, si post coenam hauriatur, perhibet *Obs. 941*. Gravida denique *Obs. 957* innuitur, quæ sebum, ex quo candelæ conficiuntur, tam avide comederit, ut eodem nunquam potuerit exsatiari.

*GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI de Nitro, cum Veterum, tum Nostrorum, Commentatio.*

Amstelodami, apud Jansonio-Waesbergios, 1709, 8.  
Constat plag. 17.

**H**Abuit *B. Hermannus Conringius* Helmestadii anno superioris seculi trigesimo nono *Dissertationem publicam de Sale, Nitro & Alumine* inscriptam, in qua tamen nonnisi de sale doctrinam explicavit, reliquorum consideratione in aliud tempus dilata. Avocatus vero majoribus & ad universum Germanicum Imperium attinentibus negotiis, nihil amplius de reliquis literis consignavit. Quæ tamen eodem, quo de sale factum erat, modo illustrari, cum publico multum interesse cognosceret *Gener* ejus, *Clarissimus Schelhammerus*, cujus aliquoties jam in Actis nostris mentionem fecimus, defectum hunc supplere in se suscepit, & hac vice præsentem de Nitro commentationem conscripsit, in qua tam veteris quam nostri ortum & naturam excutit, multa de eo veterum Græcorum, Latinorum, Arabum loca corrupta emendat, & explicat, virtutesque ejus & utilitates ad rectæ rationis leges expendit.



Cap. I.  
II.

- Videlicet Nitri, succi concreti rectius, quam salis dicendi, Veterum tria erant genera, Nitrum scilicet proprie & simpliciter vocatum, aphronitrum & spuma nitri. Nitrum vel nativum vel factitium erat; illud modo nascebatur ex terra, & in ejus superficie efflorescebat, modo ex aquis petebatur; & in his quidem citra humanam opem pulso calore Solis superfluo humore vel in summo innatabat, vel concresebat in fundo, indeque postea extrahebatur. Sub terra vero illud etiam reperiri aut aliorum fossilium instar durum spissumque cædi, boracemque nitri genus & ex eo conflatum esse, contra Agricola negatur. Factitium solum sola Africa suppeditabat, cum nativum in diversis Europæ & Asiæ locis inveniretur. Ægyptii scilicet Nili aquas vel nitrariis infundebant, vel incilibus inferebant, iisque exhalantibus tollebant ex fundo nitrum. Nec dubitat Clariss. Autor, in America simile reperiri nitrum, cum vastissimam mundi partem hanc ea solam & penitus destitui vix credendum sit. Aphronitrum Asiam patriam habuit, & ex supremo antrorum fornice initio sub liquidi succi forma destillans in fundo concrevit, & condensatum fuit in solidam substantiam, ex speluncis extrahendam, & Sole siccandam. Cui simile Leucopetræ in Ser. Principis Confessionarii cella hodie num destillat. Spuma nitri, ἀφρονίτης dicta, erat genus nitri omnium tenuissimum & præstantissimum, unde & flos nitri vocabatur, ac modo in Asiaticis campis ipsi nitro insidebat, ubi spissum gignebatur, ubi minus, e terra efflorescebat, modo in Ægypti nitrariis colligebatur. Antequam enim Nilus in nitrarias immittebatur, prægnans nitro terra rore cadente & mox illucescente Sole subtilissimum hoc operimentum ducebat. Neque dubium, recedente Nilo, post nitrum sublatum rursus in foveis hisce ex fundo & parietibus, humido aeris vel roris denuo illabente, effloruisse.
- V. Sed aliud genus nitri datur, quod ex combustionem quercus, vel stirpis salici affinis parabatur, ex aere, nitro imprægnato super hujus foliis, velut alibi manna depositum, vt credit Noster, nisi forsan succus ille ex teneris ramusculis foliisque arborum transfudaverit. Veterum hæc nitra, quanquam hodie ignota sint, existere tamen adhuc, fusius probat Noster; rationem hujus incuriæ partim in bella, cum bonis literis etiam ipsarum rerum notitiam

tiam



tiam omnem evertentia, partim in artificium nostratum, nitrum ex terra excoquentium, ab Arabibus forsan inventum, rejiciens. Nostrum enim nitrum omne factitium est, sive apud nos fiat, sive Cap. VII. aliunde afferatur, & paratur ex terra, non qualibet, sed nitrosa, cujus signa & modus excoquendi illud describuntur; imò in Gallia ex saxo conficitur, nunquam tamen sine calcis cinerumve adjunctione. Hinc in nitri primam originem inquit Clariss. Schelhammerus, atque omne ab ortu mundi extitisse negans, metallorum & lapidum instar quotidie crescere, atque in terra arte præparata provenire, in eaque exhausta denuo gigni probat. Exque his omne nitrum terram matrem agnoscere, non aquas, hincque Nili aquas non nitrosas esse evincit; in nitrarias vero Nilum Ægyptios immisisse eam ob causam putat, non quod nitrum eum vehere existimarent, sed ob commoditatem loci, & quia aliis aquis carebant. Causam efficientem calorem asserere non dubitat; in nativo enim Solem in terra ad id idonea primitias nitri, si non gignat, certe promovere, siquidem ille in regionibus calidioribus vel propellit in superficie nitrum, vel exhaustis aquis in cremorem aut frustra coagulat: in artefacto vero igne, cineribusque, qui acrimoniam & consistentiam nitro largiantur, opus esse dicit. Qua stante sententia, nec aerem nitrum continere, nec hoc ex acido & alcali componi, nec sulphur, sal volatile, aut sal-fum illud ingredi, fusius probat. In specie *Dominici Guilielmini*, cujus *de Salibus dissertationem Epistolarem* Anno superiori Mense Februario pag. 72 recensuimus, hypothesein examinat, nitrum esse unum ex salibus primis naturæ, quorum essentias figuræ constituent, asserentis, contra quam tamen evincit Noster, quoniam salia prima Guilielmino dicta, scilicet marinum, nitrum, alumen, & vitriolum non perpetua sunt, sed destrui & in se mutari possunt, nativa salia nusquam dictis figuris sese exhibent, & idem schema in aliis apparet, quæ non sunt vitriola, figuras has solutioni deberi, non naturæ particularum, esseque adscititias. Sed ad nostrum nitrum pergit Autor Clarissimus, quod eundem nanciscitur ortum cum veterum nitro, terram scilicet, vel sponte nitro foetam, vel stercorebus & urina animalium auctam, coctura tamen opus habet, & maceratione præcunte, quod nostro climate frigidiore illud

VIII.

IX.

X.

XI.



ad maturitatem sponte perducere non potest. Non nisi candidum est, neque tamen sordibus omnino caret, cineribus infectum, solutione, filtratione, & coalitu novo depurandum; cum veterum nitrum vel candidum, vel fuscum, vel rufum, vel nigrum fuerit. Nostrum præter saporem aliquatenus amarum, acrem & falsuginem quadam præditum, cum veterum nitro communem, frigoris quoque sensu linguam afficit, quod aquæ densius coactæ & multæ additæ debetur. Consistentia nativum crassius nonnihil, terreum, laminosumque, minus vero pellucidum fuit; Nostrum vero tenuius, depuratius, crystallinum evadit. Prædurum erat veterum, nostrum mollius, fragile & facile contritu. Igne exustum prædurum nitrum cineres post se relinquebat, & tenuius fiebat, quod terreis partibus admixtis in acceptum referendum; nostrum vero acrius & crassius fit, aut, ut loquuntur, fixius. Aqua utrumque solvitur, nativum vero non totum, propter terream partem intactam. Aeri expositum, sicco quidem, nullam patitur mutationem, humido vero, cum nostrum tum nativum diffuit. In usum porro inquiri nitri cum veteris, tum nostri, & virtutes medicinales, mutationesque, quas patitur illud ab igne, & medicamenta ex eo parata rimatur; Schröderi & Zwelfferi circa nitrum errores detegit. Hinc domesticum ejus usum & quem publico præstat, inquiri. De cetero optamus, ut constantes corporis animique vires otiumque Viro clarissimo largiatur Divinum Numen, ut quas meditatur de Alumine, Chalcantho, & reliquis atramentis συζητήσεις, ad umbilicum ducere valeat.

Cap. XII.

XIII.

XIV.

XV & XVI.

*EXPERIMENTA NONNULLA DE COLORIBUS per confusionem diversorum fluidorum producendis, exhibita a CHRISTIANO WOLFIO.*

**E**quidem Robertus Boyle in Tractatu de Coloribus & Mariotte sub finem Tentaminis de eodem argumento multa de coloribus per confusionem diversorum fluidorum producendis experimenta dederunt: quoniam tamen, cum nuperrime eadem repperemus, nonnulla mihi sese obtulerunt, quæ ab iis annotata non reperio, haud ingratum fore rerum naturalium curiosis arbitror, si eadem cum ipsis communicem.

Primo



Primo igitur methodum reperi peculiarem tinctura ligni Nephritici mirabili colores pristinos restituendi, postquam eidem adempti fuerant. Ipsam inter lucem & oculum positam cœruleam, oculo autem inter eandem & lucem posito rubram ordinariè videri notissimum est. Sed instilla aliquot guttas olei vitrioli, color aureus in omni positu apparebit. Cavendum vero, ne plures instillentur: alias enim turbida & impura evadit tinctura. Quodsi itaque pauca guttæ colorem aureum non producant, id indicio erit, illam esse aqua diluendam. Similiter tincturæ ligni Brasiliensis guttas aliquot olei vitrioli instillabis, ut color intense ruber in aureum itidem convertatur. Hæc tamen tinctura non nimis saturata, sed potius diluta esse debet. Novum huncce colorem instillatis aliquot guttis olei Tartari per deliquium intendes. Utut enim massa quædam rubinea ad fundum vasis vitrei præcipitetur, cum tamen ebullitio frigida contingat, per tincturam rursus dispergitur, vitro inprimis agitato, nec ullam coloris mutationem inducit. Quodsi jam duo hi liquores commisceantur, miscibilium colorem communem retinet mixtum: at si aqua sale Tartari saturata affundatur, cœruleus & rubineus prodit color, multo tamen intensior, quam ab initio in tinctura ligni Nephritici fuerat. Magis colores ad primigenios accedunt, si tinctura ligni Nephritici & ligni Brasiliensis fuerint satis dilutæ, multoque gratiores existunt, quam ubi nimium saturatæ. Ceterum constare suppono, tincturas memoratas parari, si asserculis lignorum aqua limpida affundatur.

Si tincturæ ligni Brasiliensis per oleum vitrioli alteratæ ab instillato oleo Tartari per deliquium infundatur aqua sale Tartari imprægnata, facta ebullitione color ruber redit. Sed si ante instillatum oleum Tartari eadem affundatur, color aureus intenditur. Suspiciari poteras, posse quoque tincturæ ligni Nephritici ablatis per oleum Vitrioli colores restitui, si instillato oleo Tartari per deliquium affundatur aqua sale Tartari saturata: sed spem eludi eventu experieris. Aureus enim color non nisi intenditur. Imo deprehendi experimentum non succedere, nisi singula eo ordine peragerentur, quem paulo ante insinuavi: id quod mirum videri non debet; fluida enim sibi mutuo permixta moleculas va-



rie dividunt & combinant. Actus vero divisionis & combinationis quo ordine fiant in generationibus rerum, plurimum utique refert in nostro imprimis casu. Omnis enim transmutationis colorum ratio huc redit, quod pro diversa molecularum dispositione alia atque alia ratione transitus radiis lucis concedatur. Cum exemplo *Gassendi* aridis aliquot rosarum foliis paucas olei vitrioli guttas, cum aqua limpida affudissem, non modo illorum color valde intendebatur, sed & tinctura coloris rosei maxime perspicua extrahebatur. Sola vero aqua affusa odorem quidem, sed colorem nullum contraxit, utut ultra 24 horarum spatium concederetur, imo plurium dierum. Priori tincturæ cum aqua sale Tartari saturatam affunderem, color roseus in viridem abibat: paucae vero guttæ olei Vitrioli ebullitione frigida cum strepitu facta colorem rubrum, sed minus clarum revocabant. Quod si eidem tincturæ instillentur aliquot guttæ aqueæ Mercurio sublimato saturatæ, color prorsus non perturbatur: ast infusa aqua sale Tartari imprægnata oleum Vitrioli colorem rubrum, sed a priore prorsus diversum reducit. Tincturæ posteriori nullius fere coloris infusum salis Tartari colorem viridem, largius vero flavum conciliabat. Paucae quidem guttæ olei Vitrioli eidem colorem roseum largiebantur: is tamen per infusum salis Tartari in viridem mutari non poterat.

Denique aqua aluminosa alteri sale Tartari imprægnatæ permixta lacteum producit colorem. Cumque uterque liquor sit summe pellucidus, mixtura imperspicua evadit.

### CONTINUATIO MONITI AD TYRONES

*Mathematicos in pag. 628. Tractatus, cui tit.*

*ANALYSE DEMONTREÉE, supra*

*M. Majo p. 224 sqq. inserti.*

**Q**Uæ in opere *de Analyfi demonstrata* præscribitur mensura temporis ad curvas motu naturaliter accelerato percurrendas consumendi, singulæ curvæ a Gravi deorsum peragratae rectificationem supponit. Sed id a vero longe recedere nihil evidentius probat quam motus horizontalis & æquabilis cum motu verticali & variato comparatio, sive horum amborum motuum synchronismus. Ima-



Imaginemur in plano verticali curvam aliquam AGD, ad perpendiculum AE rectis horizonti parallelis GM, gm, &c. relatum; simulque in plano horizontali aliam curvam AΦΨ, quæ ad diametrum AE ipsi perpendiculo AE æquale referri queat per rectas normales Φμ, Ψν, &c. quibus segmenta μA, νA, &c. (segmentis MA, mA, &c. æqualia) respondeant. Sit  $v$  velocitas variabilis curvam plani verticalis percurrens, respectu ordinatæ ad horizontem perpendicularis  $x$  exprimenda. Omnium  $v$  ultimam sive ejus multiplicem aut submultiplicem representet unitas ipsiusve multiplex aut submultiplex  $nx$ ; cujus unitatis loco scribenda est quantitas cognita ceteris quantitatibus homogenea, sicut pro litera  $n$  intelligendus est numerus integer aut fractus. Constans autem velocitas  $nx$  curvam plani horizontalis decurrere concipiatur. Liquet utrumque motum eodem tempore fieri, si momentis respective æqualibus correspondentia ambarum curvarum AGD, AΦE elementa Gg, ΦΨ cum his velocitatibus conficiantur. At ex dictis eG = mM = μν = Φθ est  $dx$ : Ponatur vero eg =  $dy$ , & θΨ =  $dz$ : Fiet Gg =  $\sqrt{dy^2 + dx^2}$  & ΦΨ =  $\sqrt{dz^2 + dx^2}$ . Quæstio igitur nostra postulat esse  $\sqrt{dx^2 + dy^2} : v = \sqrt{dz^2 + dx^2} : n(V)$  ubi statim apparet  $\int \sqrt{dx^2 + dy^2} : v$  (quantitatem temporis, quo spatium curvilineum motu variato a Gravi cadente peragitur) idem esse, quod  $\int \sqrt{dz^2 + dx^2} : n$  (ratio longitudinis alterius spatii curvilinei ad datam velocitatem). Posochronismum ergo curvarum, rectificationem non ipsarum sed aliarum supponere constat. Qua observatione faciliorem in tota scientia physicomathematica invenies nullam. En aliquot exempla, quibus hæc veritas clarius adhuc patebit. Esto in plano verticali recta linea EA ( $a$ ) ad horizontem perpendicularis; per quam Grave, celeritates  $\sqrt{x}$  successive & celeritatem  $\sqrt{a}$  ultimo acquirens, libere decidit: Quæritur, quo tempore quodlibet ejus segmentum Em, EM, &c. ( $x$ ) percurrit. In Formulæ (V supra) membro dextro scribatur  $\sqrt{x}$  pro  $v$ , & deleatur  $dy^2$  ob perpendiculum; in sinistro autem membro ponatur  $\sqrt{a}$  loco unitatis; dein utrinque quadretur, multiplicetur in crucem, transponatur, radix quadrata extrahatur, proveniet æquatio  $dx\sqrt{na-x} = dz\sqrt{x}$  ad semicycloidem cujus axis est  $= na$ , & cujus



singulus arcus  $2\sqrt{nx} = 2\sqrt{x}$ ,  $n\sqrt{a}$ , qui ab ipsius vertice usque ad ordinatam basi parallelam & hujus axis segmento rectæ verticali  $x$  æquali correspondentem interciperetur ac per constantem velocitatem  $n\sqrt{a}$  divideretur, exprimeret quæsitum casus naturaliter accelerati ex quavis altitudine  $x$  super totalem  $a$  tempus  $2\sqrt{x}$ ,  $n\sqrt{a} : n\sqrt{a} = 2\sqrt{x} = 2x : \sqrt{x}$  idem valore algebraico quod ratio dupli singulæ verticalis  $x$  ad singulam velocitatem acquisitam  $\sqrt{x}$  non secus ac Auctor Tractatus *de Analyfi demonstrata* recte pro rectis præscribit. At pro curvis absolute spectatis sive singulis longe aliter statuendum esse Analysis ipsa demonstrat.

Itaque proponatur curva in plano verticali descripta, cujus natura ea sit quam æquatio  $ady = dx\sqrt{4x^3 + ax - a^2}$  exprimit; ubi posito  $ady = 0$  resultat  $x^3 + \frac{1}{4}a^2x - \frac{1}{4}a^3 = 0$  divisibilis per radicem realem unicam  $x - \frac{1}{2}a = 0$  indicantem quod si recta verticalis AE ( $a$ ) ordinatis Em, EM, &c. ( $x$ ) parallela bifariam secetur, & e puncto sectionis recta horizontalis agatur usque ad curvam, occurfus fiet in sublimi ejusdem curvæ puncto, unde Grave casum inchoare supponitur cum celeritate jam impressa quantam cadendo ex  $\frac{1}{2}a$  adipisceretur. Talis curva describi potest per rectangulum  $ay$  æquale areæ curvæ secundi generis sub æquatione  $4x^3 + a^2x - a^3 = at^2$ , in qua Ordinata  $t$  fit  $= 0$ , quando Abscissa  $x$  est  $= \frac{1}{2}a$ , &  $t$  reperitur  $= 2a$ , quando  $x$  sumitur  $= a$ . Inveniendum est autem tempus, quo Grave hanc curvam percurrens ad extremum infimum A verticalis AE perveniret. In Formula superiore (V) substituatur  $dx\sqrt{4x^3 + ax - a^2}$  in locum  $\sqrt{dx^2 + dy^2}$ ;  $\sqrt{x}$  in locum  $v$ ; &  $n\sqrt{a}$  in locum  $n$ . Utrobique quadrando, transponendo, & radicem quadratam extrahendo, invenietur  $dx\sqrt{4n^2xx : aa + nn - 1} = dz$ : factoque  $n = 1$ , prodibit pro curva plani horizontalis  $2x dx : a = dz$  cujus integrale  $xx = az$  ostendit posochronismum curvæ propositæ pendere non ab ipsius longitudine, sed a rectificatione Parabolæ vulgaris parametrum suam rectæ datæ  $a$  æqualem habentis: ita ut arcus ejus inter rectas ad Axem ordinatas  $\frac{1}{2}a$  &  $a$  comprehensus, si per velocitatem descensus ultimam  $\sqrt{a}$  dividatur, verum hujusce descensus tempus exprimat.



Sunto nunc in Formula (V)  $\sqrt{dx^2 + dy^2} = a^{m-1} x^m dx$  pro infinitis numero curvis plani verticalis, nempe isochronis nostris;  $v = (a-x)^{1:m}$  pro motu accelerato; &  $n = na^{1:m}$  pro motu æquabili. Multiplicatio in crucem dabit  $nadx : (a-x)^{1:m} x^{m-1} = \sqrt{dx^2 + dz^2}$ , non integrabile algebraice, quoniam numero  $m$  superante unitatem quantitas  $2m-1, :m$  nequit esse numerus integer positivus. Quapropter convenientibus reductionibus procedatur ad æquationem totidem curvis plani horizontalis communem, videlicet  $dx \sqrt{(n^2 a^2 - (a-x)^{2:m} x^{2m-2})} : (a-x)^{1:m} x^{m-1} = dz$ ; in qua ponendo  $m = 2$  (præcipuam hypothefin descensus naturaliter accelerati & cycloidis primariæ) fit  $dx \sqrt{(na : a = ax + xx) : \sqrt{(ax - xx)} = dz$ ; deinde integrando respectu denominatoris primum membrum, ac faciendo  $2 \sqrt{(naa - ax + xx)} = a - 2x$  ope ipsius  $n$ , qui hinc concluditur  $= \frac{1}{2}$ , emergit  $\sqrt{(ax - xx)} = z$  ad semicircumferentiam super diametro  $a = EA$  descriptam, quæ ab E (ubi  $x$  est  $= z$ ) usque ad A [ubi  $x$  est  $= 0$ ] motu æquabili, cum velocitate  $\frac{1}{2} a^{1:2}$  dimidia datæ  $\sqrt{a}$ , horizontaliter conficeretur tempore eodem, quo semicyclois inversa axem ipsi  $a$  æqualem EA habens, motu naturali Gravium, verticaliter transmitteretur, cum velocitatibus crescentibus  $\sqrt{(a-x)}$  quarum ultima evaderet ipsa  $\sqrt{a}$ . Itaque denominata Circuli genitoris peripheria  $c$  datur hoc tempus, propter motum æquabilem, æquale  $\frac{1}{2} c$  divisæ per  $\frac{1}{2} \sqrt{a}$ ; quod est, ut  $a$  (diameter) ad  $\frac{1}{2} c$  (semicircumferentiam) sic  $2 \sqrt{a}$  (tempus casus e diametro erecta) ad  $c : \sqrt{a}$  (quæsiti temporis quantitatem recte ab Hugenio determinatam) rem igitur aliter determinare non levis error in Mathesi censetur. Adde quod hypothefis Galilei de descensu Gravium admittit quoque curvam a Cycloide diversam, æquatione  $dy = dx \sqrt{(2a : x + x : a - x)}$  expressam, cujus sunt eadem ad basin perpendiculares Ordinatæ  $a-x$ , idem axis  $a$ , idem & posochronismus  $c : \sqrt{a}$ , sed alia prorsus longitudo  $\int dx \sqrt{(2a : x + a : a - x)} = \int (dx \sqrt{a : \sqrt{x}}) \sqrt{(2a - x)} : \sqrt{(a - x)}$ . Quare a Gravi eam deorsum percurrente alia eodem tempore acquireretur velocitas  $\sqrt{(2a - x)}$  naturaliter crescens usque ad ultimam  $\sqrt{2a}$ , non e quiete sed post conceptum aliquem impetum  $\sqrt{a}$ . Divide porro duplum hujusce longitudinis per hanc velocitatem ultimam  $\sqrt{2a}$ ; nequaquam obtinebis



pro quotiente, circuli radio  $\frac{1}{2}a$  descripti peripheriam  $c = \int adx : \sqrt{(ax - xx)} = \int dx \sqrt{a : \sqrt{x}, \sqrt{a} : \sqrt{(a - x)}}$  divisam per  $\sqrt{a}$ . At tamen in Formula superius notata (V) scribe  $dx \sqrt{(2a : x + a : , a - x)} = dx \sqrt{a : \sqrt{(ax - xx)}, \sqrt{(2a - x)}}$  pro  $\sqrt{(dy^2 + dx^2)}$ ;  $\sqrt{(2a - x)}$  pro  $v$ ;  $\sqrt{\frac{1}{2}}$ ,  $\sqrt{2a} = \sqrt{a}$  pro  $n$ ; statim invenies  $adx : \sqrt{(ax - xx)} = \sqrt{(dy^2 + dx^2)}$  cujus integrale non est aliud nisi circumferentia circuli diametrum  $a$  habentis, quam motu æquabili cum velocitate  $\sqrt{a}$ , eodem temporis intervallo  $c : \sqrt{a}$ , quo dictam curvam motu accelerato, mobile peragraret. Quod autem ad naturam ejusmodi curvæ spectat, æquatio, qua hic exprimitur, construi potest ex æqualitate supposita inter rectangulum  $ay$  & aream loci geometrici secundi generis  $a^2 t^2 + 8a^2 r^2 - r^2 t^2 - 4r^4 = 8a^4$ , ubi (crescentibus  $x$  a puncto fixo ad rectæ datæ  $a$  longitudinem) assumerentur Abscissæ  $r = \sqrt{ax}$  a minima  $= 0$  usque ad maximam  $= a$ , & ordinatæ correspondentes  $t = 2\sqrt{(2aa + xxx : , a - x)}$  a minima  $= 2a\sqrt{2}$  usque ad maximam  $= a\sqrt{\frac{1}{0}}$  infinitæ longitudinis nempe Asymptotum parallelam.

Hactenus determinata in plano verticali motus variabilis via curvilinea, synchronam motus æquabilis semitam (cujus longitudo potius quam figura attendenda est) super planum horizontale investigavimus. Nunc quomodo hac data illa pariter inveniantur, uno & altero exemplo ostendamus.

Primo imaginamur in plano horizontali FYO rectam ad libitum ductam  $AE = d$ , & quodcunque ejus segmentum ab extremo A coeptum  $AB = \delta$ , nec non circum descriptas totidem peripherias  $E\psi Ay$ ,  $\beta\pi A\lambda$ , & similes, quas (causis motricibus necessariis suppositis) mobilia æqualia, cum constantibus celeritatibus in ratione diametrorum proportionalibus  $\sqrt{d}$  &  $(\delta\sqrt{d}) : d = \delta : \sqrt{d}$ , temporibus proinde æqualibus (ex proprietate motus æquabilis) percurrunt. Hinc tot curvarum in plano verticali, eodem tempore, motu deorsum naturaliter accelerato e quiete respectu altitudinum segmentis  $\delta$  (rectæ  $d$ ) æqualium, ab iisdem mobilibus æquali gravitate præditis conficiendarum naturam quaerimus. Omnes hujusmodi circumferentias communi æquatione  $zz = \delta x - xx$  exprimi patet propter arbitrariam  $\delta$ : Itaque in locum elementi curvilinei generalis  $\sqrt{(dz^2 + dx^2)}$  contenti al-

tero



tero membro Formulæ superius indice (V) affectæ, substituimus specificum ejus valorem  $\delta dx:V$  ( $\delta x - xx = \delta dx:V xV$  ( $\delta - x$ )) sicut constantem velocitatem  $\delta:V d$  in locum  $n$  (faciendo  $n = 1$ ) & variabilem  $V$  ( $\delta - x$ ) in locum  $v$ . Unde notis reductionum operationibus adhibitis habemus  $(dy^2 + dx^2):\delta - x = d, dx^2:dx - xx$  ac tandem  $dyV x = dxV$  ( $d - x$ ); ubi, ex eo quod evanuit arbitraria  $\delta$ , & data  $d$  (cujus segmentum est) nihilominus remansit, apparet omnes curvas plani verticalis quæsitæ  $AGg$ ,  $AGP$ , &c. altitudinibus  $Am$ ,  $AB$ , &c.  $= \delta$  correspondentes, omnibusque plani horizontalis circulis  $\beta\pi A\lambda$  circa diametros  $A\beta$ , &c.  $\delta$  descriptis relativas, in unam maximæ altitudini  $AE = d$  respondentem coalescere curvam  $AGgPD$ , idcirco physico-isochronam, nimirum semicycloidem hic toties obviam.

Secundo super horizontali plano, a certo termino  $E$  aut  $\beta$  ad alium quantumvis distantem  $A$ , Mobile cum impressa celeritate quacunque  $nV a$  tempore fertur brevissimo. Quænam esse debet natura curvæ  $AGP$ , ad quam in plano verticali deorsum percurrentem æquale mobile, æquali terminorum  $E$  (aut  $B$ ) &  $A$  intervallo ad horizontem perpendiculari descendens, æquale tempus impenderet? Quæsitum haud difficili negotio ita obtinebitur. Spatiorum omnium linearium, quotquot inter duo puncta concipi possunt, minimum certe est rectum ( $x = EA$  aut  $x = nna = \beta A$ ) Temporum ergo omnium, quibus hæc spatia cum celeritate constante  $nV a$  peragrarentur, brevissimum erit  $x:nV a$  aut  $(x - nna):nV a$ : cujus singulum instans fit  $= dx:nV a = V dx^2:nV a$ . Quare in Formula (V) supra deleatur  $dz^2$ , scribatur tam  $nV a$  pro  $n$  quam  $V x$  pro  $v$ , & utrinque quadretur. Hinc  $(dy^2 + dx^2):x = dx^2:n^2 a$ ;  $ndyV a = dxV$  ( $x - nna$ ); tandemque [integrando]  $nyV a = \frac{2}{3} V [(x - nna)^3]$  quod [supponendo  $x - nna = u$ ] reducitur ad  $\frac{9nn}{4} ay^2 = u^3$  æquationem Parabolæ cubicæ secundæ, cujus parameter adæquaret  $\frac{9nn}{4} a$ , & vertex sublimis (P) distaret [propter  $x = nna$ , ubi  $u$  fit  $= 0$ ] intervallo  $nna$  (RD) a recta horizonti parallela (ED) ordinatas  $x$  verticales terminante. Quantitas igitur  $[x - nna]:nV a = BA V DP = x:nV a - nV a$  vera est expressio temporis, quod consumeretur a  
Gravi,



Gravi, dum impulsus cum tanta celeritate  $n\sqrt{a} = \sqrt{DP}$  quantum delapsus ex altitudine  $na = DP$  quadrupla nonæ partis parametri acquisivisset, motu continuo uniformiterque accelerato per quemlibet hujus Parabolæ arcum PGG a vertice coeptum descenderet. Integretur nunc ejusdem Parabolæ elementum  $\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = dx\sqrt{x:n\sqrt{a}}$  [ex ostensis supra]; reperietur  $2x\sqrt{x:3n\sqrt{a}} - \frac{2}{3}na = \text{arc. PGG}$ ; cujus duplum, si dividatur per velocitatem in G acquisitam  $\sqrt{x}$ , præstabit quantitatem temporis  $4x:3n\sqrt{a} - 4na:3\sqrt{x} = \frac{1}{3}\sqrt{a}$ , sumptis  $x = a$  &  $n = \frac{1}{2}$  præcisa superius inventa  $x:n\sqrt{a} = n\sqrt{a} = \frac{3}{2}\sqrt{a}$  majorem.

His ita demonstratis, quisquis Mathematicæ candidatus, in Problematis physico-mathematicis posochronismum alicujus curvæ sibi proponet investigandum; vel integret, quod ejus fieri poterit, quotientem quem dat elementum hujus curvæ divisum per velocitatem variabilem ea percurrenda acquisitam; vel utatur Formula nostra (V) motus variabiles cum æquabilibus conferente: ad verum recta perveniet.

*JOANNIS ERNESTI FRANZENII COMMENTATIO DE FUNERIBUS VETERUM CHRISTIANORUM.*

Helmstadii, apud Salomonem Schnorrium, 1709, 8.

Alph. i plag. 6.

**C**OMMENTATIO hæc comprehenditur VI Libris, quorum primus agit de veteribus Christianis morti vicinis, eorumque eucharistia, poenitentia, colloquiis, legatione bonorum, precibus, osculo amicorum, signo crucis, & commendatione Deo facta, de assistentia item necessariorum, amicorum & Episcoporum, extrema unctione, osculo morituris dato, & exceptione sanguinis martyrum: secundus de piis circa mortuos a præcisis Christianis observatis ritibus, usque ad funeris elationem, ubi differitur de cura præcisorum pro mortuis rite sepeliendis, compressione oculorum & oris defuncti, manuum compositione, capitis erectione, & pedum reductione, de osculis & lacrymis, quibus defunctum profecuti sunt, de lotione, conditura, involutione, & inclusione corporis in arca, de expositione funeris, & vigiliis usque ad elationem celebratis



bratis, immunitate heredum a creditorum impetu, tempore humanæ mulieris prægnantis, collatione baptismi & eucharistiæ, & inscriptione nominum in diptychis: tertius de elatione funeris, & in specie de tempore & forma elationis, de cantu psalmodum & hymnorum, palmis & thuribus in elatione adhibitis, prælatione facum & cereorum, ubi & de cruce quæritur, de comitibus & spectantibus funeris, moribus lugentium, expositione funeris in templo, eique per hymnos & oscula exhibito honore, de oratione funebri, precibus pro defuncto apud sepulcrum, eucharistiæ celebratione & oblationibus, de osculo dato & pace jam sepeliendo optata & de sepultura: quartus de cœmeteriis, sepulchris, inscriptionibus & signis in sepulcris, ac de religione erga sepulcra: quintus de ritibus propter mortuos & sepultos, & speciatim de annuis martyrum festis, itemque de annuis defunctorum memoriis & tempore luctus, de commemoratione fidelium defunctorum in eucharistiæ mysteriis, & oblationibus pro defuncto ad altare: sextus de cultu defunctorum ac reliquiarum civili atque religioso, ubi sermo instituitur de numis in Magnatum memoriam cussis, imaginibus mortuorum sanctitate & dignitate conspicuorum in templo positus, earumque cultu, de sacellis, oratoriis, templis, altaribus, super aut juxta martyrum sepulcra exstructis, de cereis claro die ad sepulcra accensis, precibus ad sepulcra Sanctorum factis, & peregrinationibus illuc institutis, de precibus ad sanctos factis, & credulitate patrocinii eorundem, de reliquiarum translatione, distractione, missione ad alias ecclesias, furto, venditione, osculo, religioso contactu, adhibitione ad veritatis inquisitionem, ac juramenti penes illas præstitis; denique usus hujus Commentationis varius ostenditur. D. Jo. Fabricius, Abbas Regiæ Luteræ, Præfationem præmisit, in qua refert, quod ipse Collectanea beati D. Jo. Sauberti, olim Helmstadii, deinde Altorfi Theologiam docentis, hac de materia Autori communicaverit, quæ cum parum subsidii dederint, fatetur, tractatum hunc potissimum Franzenii indefessæ operæ esse tribuendum. Post Præfationem sequitur Epistola D. Jo. Andr. Schmidii, Abbatis Mariævallis, Autorem a doctrinæ & probitatis studio laudantis, ejusque præsens opusculum commendantis. Epistolam hanc excipit Index librorum & capitum.



## TRADUCTION DES EGLOGES DE VIRGILE.

i. e.

## VERSIO ECLOGARUM VIRGILII CUM

*Notis Criticis & Historicis.*

Parisiis, apud Jacobum Stephanum, 1708, 8.

Plag. 16.

**A** Nonymus Versionis hujus Notarumque Autor, quod in Præfatione fatetur, non cœco studio Virgilii secutus est Interpretes, nec sine prævio examine, quæ in nobilissimum Poetam commentati fuerant alii, consarcinavit, sed potius vitam ipsius historiamque ejus temporis, quo vixit, diligentius volvens, quæ ad eruendum verum Eclogarum sensum faciunt, non sine felici successu inde hausit. Ita vero novis passim interpretationibus illam Poematum Virgilii primam partem illustravit, & nova Eclogis dedit argumenta, atque locis obscurioribus affundens lucem ab istis longe semet sejunxit, qui neglecta temporum ratione, quibus unumquodque scriptum est carmen, sententiam quandam haud raro Poetæ attribuunt cum ipsius mente neutiquam convenientem. Statim in primæ Eclogæ sub Tityri persona non ipsum Virgilium, sed Patrem ejus latere docet, propterea quod senior iste & ætate provecus memoratur, qui agros suos recepit; at vero Poeta scribens ea non nisi novem & viginti habebat annos, natus nimirum Cn. Pompejo M. & M. Licinio Crasso Coss. a quo tempore ad imperium L. Antonii & Servilii Isaurici, quibus Consulibus Cremonenses atque Mantuani agri militibus divisi sunt, quod Appianus refert, anni omnino intercedunt viginti atque octo. In Eclogæ II, quæ in aliis editionibus nona est, & Moeris inscribitur, sed eodem tamen, quo prima, conscripta fuit, anno sub Moeridis persona senior iterum exhibetur Virgilius, quippe qui aliquot a recuperata sua villula mensibus in novum ejusdem amittendæ discrimen venit, cum, quod ex Appiano perhibetur, Fulvia M. Antonii uxore legiones Antonianas adversus Cæsarianas concitante, Arius earum partium Centurio hostili animo in illum tum agrum ingressus esset. In exponendo scopo Eclogæ quintæ, nobis quartæ hæctenus, multorum desudavit labor, & post Servium plerique



que Salonini, qui Pollionis fuerit filius, & ab occupata Salona nomen sit fortitus, celebrari nativitatem crediderunt. At vero primum deprehendisse Reverend. Patrem de la Rue subjicit, quod neque Pollio habuerit unquam filium ejus nominis, sed nepotem saltem, neque filius etiam natus, ut creditur, Patre Consule eo nomine potuerit insigniri, cum Salona anno post Consulatum ejus demum fuerit expugnata. Missa ergo ea interpretum sententia, neque istam cum temporum ratione congruere scribit, quæ in Diario Trevoltiano A. 1702 M. Julio legitur & Drusum Liviae filium ab Augusto adoptatum illum hujus Eclogæ heroem constituit, utpote qui, Dione teste, A. U. C. 716 & biennio adeo post Consulatum Pollionis natus est. Alium ergo partum hic prædicari affirmat, Octaviae nimirum, quæ soror Cæsaris & Marcelli nuper defuncti conjux, jam facta Cæsarem inter & M. Antonium pace, in hujus ipsius thalamum prægnans venerat, & paulo post pepererat filium Marcello Patri cognominem, cujus morti Aeneidos L. VI parentaverit Poeta: hic vero in natalitiorum ejus laudibus multa e Sibyllæ Cumanæ oraculis depromi ad Christum venturum spectantia & ad Marcellum hic detorta docet. Similiter in explicandis reliquis Eclogis doctissimus procedit Interpres, & in sensum uniuscujusque inquirit accurate, ita ut temporum adhibita distinctione, quam bene suæ ὕποθεσι subserviant omnia, in subjectis Notis ostendat.

### ELOGIUM MARTINI HANKII.

**A** Misit nuper Uratislavia Virum Nobilissimum, *MARTINUM HANKIUM*, Gymnasii Elisabethani Rectorem ac Professore, ceterarumque Scholarum Augustanæ Confessionis addictarum Inspectorem gravissimum, senem multis in litteras & litteratos meritis insignem. Natus ille fuit *Borne*, qui pagus tertio a Uratislavia lapide distat, A. MDCXXXIII, XV Calend. Martii, Parentibus *Joanne Hankio*, Bornensium tum Pastore, inde autem Uratislaviæ ad D. Barbaram Ecclesiasse, Matre *Agnetæ Pittichia*, Martini Pittichii, Fulsteinensium in Ducatu Carnoviensi Pastoris filia, matrona virtutibus sequiorem sexum decentibus ornatissima. Prima studiorum rudimenta posuit in Gymnasio Ura-



Utravisiensium Elisabethano, Elia Majore, Christophero Colero, Joanne Fechnero, Joanne Gebhardo, multiplici doctrinae, industriae, fidei experimento notissimis illius Scholae Professoribus usus; a quibus ad sublimiora satis praeparatus Jenam, celebre literarum in Thuringia emporium, adit, ministrantibus consilium & auxilium tum *Georgio Franizkio*, Consiliario sanctiore ac Cancellario Gothano, cognato ipsi semper venerando, [cui deinde A. 1659 d. 15 Januarii ad superos evolanti, egregio sermone panegyrico parentavit, vide ejus *Orationes num. I pag. 1-58*] & *Joanne Hankio*, tum Philosophici Ordinis apud Jenenses Adjuncto, postea Waldeburgensium in Dynastia Schoenburgensi Pastore ac Superintendente, fratre Martini nostri dilectissimo: per quem etiam Joanni Frischmutho, Danieli Stahlio, Paulo Slevogto, Joanni Zeifoldo, Erhardo Weigelio, Joanni insuper Musæo, Joanni Tobiae Majori, Christiano Chemnitio & Joanni Ernesto Gerhardo gnaviter commendatus, eos in Philosophia ac Theologia progressus fecit, ut cum plausu omnium primam alteramque in Philosophia lauream consequeretur, & Generosissimo Equiti Gedeoni Wangenheimio Ephorus constitueretur, cum quo noster per biennium Erhardi Weigelii, Mathematici clarissimi, hospitio ac convictu fruebatur. Quum ergo eodem tempore Wangenheimii Equitis indolem ad decora nobilitatis efformaret, & privatis simul aliis auditoribus disciplinas scientiarum exponeret, mox etiam *de Bonitate & Malitia Morali, de Simulatione & Dissimulatione, uti & de Spiritu Sancto*, publice disputaret; ea quidem res adeo illum bonis omnibus commendabilem reddidit, ut gratiosissima voluntate Serenissimi Principis ERNESTI PII, Gothani inter Saxones Ducis, *Physicam, Ethicam, Politicam & Historiam* in Auditorio Gothanorum selecto docere juberetur. Quæ sparta quia novas ipsi laudes quotidie peperit, almam quoque matrem Utravisiaviam permovit, ut majora indies merituro A. MDCLXI, VI Id. Decembris *Professoris Philosophiae Practicae, Historiarum & Eloquentiae* munus; anno MDCLXX *Bibliotheca Publica Elisabethana Praefecturam*; anno MDCLXXXI prid. Non. Sept. *Pro-Rectoris Elisabethani* officium; anno MDCLXXXVIII Idib. Mart. *Gymnasii Elisabethani Regimen, reique Scholasticae*



*Inspectionem* benignissime conferret. Itaque non tantum de juventute nostra, sed de re omni litteraria peregregie meritis, de *Romanarum Rerum Scriptoribus Librum Priorem* Lipsiæ A. MDCLXIX, 4; de iisdem *Scriptoribus Librum Secundum* Lipsiæ MDCLXXIV, 4; de *Byzantinarum Rerum Scriptoribus Græcis Librum*, Auctorum quinquaginta, qui de Constantinopolitanis aliisque tam civilibus quam ecclesiasticis antiquitatibus monumenta nobis reliquerunt, *Vitas, Scripta, & de Scriptis* judicia distinctiorem in modum recensentem, Lipsiæ MDCLXXVII, 4; *Orationes vero parentales, nuptiales, dramaticasque, & Poemata* varia, circa annum MDLXXII, 8vo publicavit. Atque ex hoc scriptionum genere tantam nominis famam consequutus est, ut ab Augustissimo Imperatore LEOPOLDO, ad quosdam in Bibliotheca Cæsarea Scriptores rite ordinandos, Uratislavia Viennam Austriæ evocatus, & præter insignia perpetuæ gratiæ documenta, torque aureo a Sacratissimo litteratisque faventissimo & indulgentissimo Principe donatus fuerit. Conversis deinde studiis ad patriæ Civitatis ac gentis historiam illustrandam, Anno MDCCI *Uratislavienses eruditionis Propagatores*, id est, Uratislaviensium Scholarum Præsides, Inspectores, Rectores, Professores, Præceptores, Tabulis chronologicis in folio comprehensos, ab anno MDXXV ad MDCC cum annotationibus & tribus Indicibus edidit; anno autem MDCCII in 4 *Antiquitates de Silesiorum Nominibus*; eodem anno *Antiquitates de Silesiorum Majoribus ab Orbe Condito ad Annum Christi DL* in 4; anno MDCCV *Exercitationes de Silesiorum rebus ab Anno Christi DL ad MCLXX* in 4; anno MDCCVII *Librum singularem de Silesiis indigenis eruditis*; post litterarum culturam cum Christianismi studiis anno DCCCCLXV susceptam ab anno MCLXV ad MDL; & alterum librum *de Silesiis alienigenis eruditis* ab Anno Christi MCLXX ad MDL publicavit: plura hujus argumenti scripta proxime in lucem emissurus, nisi graviorum negotiorum perpetua moles, morbique postea corpus affligentes obstitissent, ac fata tandem suprema scribendi filum abruptissent. Quæ quidem res eo magis dolenda est, quod vix aliquem iterum Silesia inventura sit, qui & pari conatu rem aggredi, tot adminiculis in-



structus esse, & continua quinquaginta annorum lectione satum tale volvere aut velit aut possit. Quod ad rem familiarem attinet, anno MDCLXII pridie Cal. Novembr. ornatissimam Virginem *Theodoram*, Joannis Fechneri, Gymnasii Magdalenei apud Uratislavienses Rectoris clarissimi filiam, thalami sociam sibi delegit, ex qua liberorum quatuor pater factus, *Joannem & Theodoram* ad coelites præmisit, *Reginam* vero Virginem pudicissimam & *Godofredum* filium, ad Aedem XIM Virginum suburbanam Pastorem meritissimum, funeris comites cum Vidua inestissima post se reliquit. Ipse post quinquaginta Scholastici laboris annos, magis integris animi, quam corporis, podagricis doloribus & febrili languore multoties vexati, viribus, summa cum laude exactos, die VIII Cal. Maji anni MDCCIX, & annis LXXVI, septimanis IX, diebus V, vitæ celebratissimæ expletis, annorum honorumque satur, inter lacrymas suorum placide exspiravit, & III Non. Maji ad S. Elisabethæ templum splendido, ceu decebat, funere elatus fuit.

Quod reliquum est, gratiosa Illustris Senatus Uratislaviensis ordinatione Cl. V. *Gottlob Krantzius*, ejusdem hætenus Gymnasii Pro-Rector & Bibliothecarius, in locum Rectoris & Inspectoris Elisabethani; in Krantzii locum M. *Joannes Erdmannus Daschitzkius*, Gymnasii Magdalenei antea Pro-Rector ac Professor; in Daschitzkii locum M. *Christianus Stieff*, ejusdem Gymnasii Magdalenei Professor hætenus tertius & Collega noster perindustrius, & in Stieffii denique locum M. *Joannes Georgius Hocheisen*, Ulmenensis, Facultatis Philosophicæ apud Wittebergenses Adjunctus, succedent.

#### NOVA LITTERARIA.

**F**RANCISCUS Hesselius, Eloquentiæ in Athenæo Roterodamensi Professor, Roterodami superiori mense prelo subjecit Vibium Sequestrum *de Fluminibus, Montibus &c.* cum MSptis collatum & Notis illustratum. Ultrajecti Adrianus Relandus, qui nuper quatuor Dissertationibus de Numis Samaritanis quintam adjecit, nunc in eo est, ut Borhaneddini *Enchiridion*, quod vocat, *Studiosi*, cum duobus codicibus MStis collatum, Arabice edat, addita Viri Ill. Friderici Rostgaard, qui Regi Daniæ a consiliis justitiæ est, versione



versione Latina. Prodiit ibidem T. Petronii Arbitri *Satyricon*, cum integris doctorum Virorum Commentariis & Notis Nicolai Heinsii & Guilielmi Gœsii nunc primum editis: accedunt Jani Douſæ præcidanea, D. Jos. Ant. Gonſali des Salas *Commenta, variae Dissertationes & Praefationes*, curante Petro Burmanno. *Ultraj. apud Guil. van de Water, 1709, 4.* Amstelodami Thomas Lombrail, Bibliopola, Menandri *Λειψανα* prelo subjicere cœpit in forma octava, quibus Celeb. Jo. Clericus & versionem addet, & notas tum suas, tum H. Grotii & aliorum subjiciet. Ibidem *Novum Testamentum Græco-Latinum*, cum variis Lectionibus & recensione Lud. Kusteri, & Aristophanis *Comædia Gr. Lat.* ex ejusdem Viri Cl. recensione propediem prodibunt. Antverpiæ *Actorum Sanctorum* Tomus vicesimus tertius primi semestris, seu quintus Junii, qui sex ultimos dies, in iisque Sanctos plusquam trecentos complectitur, a celeberrimis e Soc. Jesu Viris, Henschenio, Papebrochio, Baertio, Janningo & Sollerio digestus hoc anno prodiit. In his Sanctis primum locum tenent Petrus & Paulus, Apostoli, quorum hic acta, Ecclesiæ, monimenta plura recensentur, & de Marco quoque Evangelista, qui & mense Aprili relatus fuit, multa hic habentur, quod caput existimatus est Patriarcharum Alexandrinorum, quorum adeo Historia Chronologica, usque ad nostra tempora deducta, huic Tomo præmittitur, cum Appendice de initiis, erroribus & institutis Copto-Jacobiticis atque ex occasione etiam de Habessinibus Æthiopibus. Plura patent ex *Synopsi* Tomi hujus, quam nuperrime pro more vulgarunt Cl. Editores.

Ex Italia Illustris senex, ANTONIUS MAGLIABECHIUS, nuperrime sequentes novorum librorum titulos nobis transmisit. 1: Agnelli, qui & Andreas, *Abbatis S. Mariæ ad Blachernas, & S. Bartholomæi Ravennatis Liber Pontificalis, sive Vitæ Pontificum Ravennatum.* D. Benedictus Bacchinius, *Abbas S. Mariæ de Lacroma O. S. B. Congregationis Casinensis, ex Bibliotheca Estensi eruit, Dissertationibus & Observationibus, nec non Appendice Monumentorum illustravit & auxit ac Ser. Raynoldo Estensi, Mutinæ, Regii &c. Duci D. D. D. Mutinæ, typis Antonii Capponii, 4.* 2: *Dissertatio Apologetica ad vindican-*  
dam



dam Mediolano SS. Corporum, Protasii & Gervasii, antiquissimam possessionem, a contrariis recentium Scriptorum sententiis; Autore Jos. Antonio Saxio, SS. Ambrosii & Caroli Oblato, S. Th. & Collegii Ambrosiani Doctore. Mediolani excudebat Marcus Ant. Pandulphus Malatesta, 1708, 4. 3: Neo-Statica; Auctore Hieronymo Saccherio, e Soc. Jesu; in Ticinensi Universitate Matheseos Professore; Excell. Senatui Mediolanensi dicata. Ib. 1708, 4. 4: Dominici Lazzarini, ex Nobilibus de Murro, Defensio in P. Bartholomæum Germonium; edita studio Cajetani Lombardi, Philosophi & Medici Neapolitani. Venetiis, apud Nic. Pozzanam, 1708, 4. 5: Le Vite degli Arcadi Illustri, scritte da diversi Autori, e publicate di Ordine della Generale Adunanza, da Gio. Mario Crescimbeni, Canonico di S. Maria e Custode d' Arcadia. — Parte prima. Alla Santità di N. S. Papa CLEMENTE XI. In Roma, nella stamperia d' Antonio de Rossi, 1708, 4. 6: Lettera ad un Cavaliere Fiorentino, devoto de' Santi Martiri, Cresci e Compagni, in risposta di quella scritta dal P. Frà Gherardo Capassi, dell' Ordine de' Servi di Maria, a Giusto Fontanini, contra gl' Atti de' medesimi Santi, date in luce da Giacomo Laderchi, Prete della Congregazione dell' Oratorio di Roma, 1708, 4. Huic epistolæ nec nomen Autoris nec editionis locus additus.

Moscuæ A. 1707 die 8 Maji primarius Metropolitæ, Stephanus Jaworowsky, cujus Ideam Anti-Christi fusius recensuimus A. 1706 p. 92 sqq. libellum Russico sermone edidit unius plag. cum dimidia in 8, cui tit. *Brevis Responsio ad famosum Scriptum de nato his temporibus Babylonia Antichristo*. In eo de astutia Satanæ nonnihil præfatus, invehitur in Autorem improbi scripti, quem vel Judæum, vel Schismaticum certe ac instrumentum Satanæ fuisse censet. Respondet vero ad singula, usus imprimis Patrum, Jo. Chrysolstomi & Joannis Damasceni, nec non Hyppolitii P. R. testimoniis, tandemque de Romanæ Monarchiæ consumptione nonnihil meditatus, precatur serio, ne Mosci seduci se his nugis patiantur.





# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Augusti, Anno MDCCIX.*

DES HEZE RÖMISCHEN REICHES  
teutscher Nation Reichs-Tags-Staat/ von  
Anno 1501 bis 1508. K.

i. e.

COMITIORUM S. ROM. GERMANICI IM-  
perii Status, qualis is fuit ab A. 1501 ad 1508; Autore  
JOANNE JOACHIMO MULLERO, Secretario Ju-  
diciali Saxonico & Archivario  
Vinariensi.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1709, 4.

Alphab. 4 plag. 9.

**N**obilissimus Autor in Præfatione, præmissis nonnullis de antiqua Germaniæ conditione, illius Status sub Franco- rum quoque imperio post Caroli M. tempora speciem quandam pristinae libertatis per crebra servasse comitia monstrat, docetque, quomodo successu temporis magis magisque Procerum Germaniæ potestas creverit. Magistratus fere primitus erant, nec ulla sibi hæreditario jure subjectas habe- bant provincias, donec paulatim per ævi istius turbas in illud per- tingerent fastigium, ut, quas Regum antea Germaniæ auspiciis ad- ministraverant regiones, suis denique regerent, supremum licet Regum istorum dominium agnoscentes. Hinc comitia, quæ unius olim diei spatium raro excefferant, longius in posterum ob mayo- rem statuum auctoritatem extrahebantur. Quæ ergo hujus gene- ris comitia inde a Friderico IV usque ad Rudolphi II tempora sint

U u

habita



L. I.

C. I.

2-5.

habita, iusto opere ex publicis Actis ineditisque maximam partem monumentis sub titulo *Theatri Comitiorum Imperii Romano-Germanici* exhibere constituit doctissimus Autor. A Friderico IV ideo faciet initium, quod tum novam comitia formam induerint, in Rudolpho autem II finiet, quod ab ejus excessu Lunderpius Acta sua publica sit exorsus. Istius interim Theatri prodromum quodammodo præsens liber præbet, ea, quæ sub Maximiliano I & Friderico III Saxonum Electore Imperatoris vices gerente ab A. 1501 usque ad 1508 gesta sunt, complexus. Quinque Libris absolvitur, quorum primus, de Consilio seu, ut vocant, Regimento Imperii (*Reichs-Regiment*) Norimbergæ habendo, prout constituerat Maximilianus, agit. Jam A. 1495 Wormatiæ in Imperii comitiis Consilii istius constitutio proponebatur, ob futuram maxime Imperatoris absentiam, in Italiam ad rejiciendos Gallos abiturientis. Non consentiente tamen ipso Imperatore in annum 1500 res rejecta est & in comitiis resumta, quæ tum Augustæ Vindelicorum erant convocata. Annuit tandem Imperator, & senatum ejusmodi, cui vel ipse præesset, vel alium (non tamen Barone inferiorem) præficeret, quater quotannis Norimbergæ convenire voluit. Præter præsidem viginti ex Statibus Imperii electi assidebant: unus nempe ex Electoribus per singulas trium mensium vices ipse præsens esse jubebatur, & si abesse forte ob fonticas causas contingeret, alius vel Electorum vel Principum in locum ejus sufficiens erat; reliqui quinque Electores legatos mittebant. Porro unus ex Secularibus assidebat, unus item ex Ecclesiasticis Principibus, pariter per vices, consiliarius Austriacus, consiliarius Burgundicus, unus ex quatuor Præsulibus, unus ex Comitibus, duo consilarii ex octo Civitatibus Imperii, alternis vicibus sibi successuri, sex denique Equites, Doctores aut Licentiati ex senis Imperii circulis ad eum confessum admittebantur. Concedebatur huic Consilio potestas agendi, sententias ferendi, quin & exequendi omnes res ad jura pertinentes & pacis negotia, propulsionem item injuriarum & violentiæ ab exteris hostibus illatæ. Quod si tamen graviora quædam contingerent, convocabantur ad istud consilium reliqui Status Imperii, ut omnium consensu sententia fieret. Ad hæc expresse monet Autor, neutiquam successisse hoc consilium in comitiorum



mitiorum, bene tamen in annuorum conventuum locum, qui ante habebantur, a comitiis penitus diverſi. Interim cum Imperator, quem bellica alio vocabant negotia, præſſe non poſſet iſtis conventibus, qui A. 1500, non 1501, ut quidam volunt, cœpere, Fridericum III Saxonix Electorem ſuffici ſibi volebat, cui pro præſtandis operis annui 6000 floreni Rhenani numerabantur. Inter res, quæ ad illud conſilium ſunt relatæ, primum ſortiuntur C. 6-9. locum Gallica negotia, tum temporis Italiam maxime, cui Ludovicus XII inhiabat, concernentia. Exponuntur ſic ſatis prolixè machinationes Gallorum, Pontificis & Venetorum nefariæ, quibus Auſtriacæ genti dignitatem Imperatoriam, Italiæque Regnum ibant ereptum, ad quæ Gallus irritò licet conatu adſpirabat. Quin ad Pontificem quoque legatio Imperii nomine deſtinabatur, quæ tum pecunias a Germanis acervatim exactas ad bellum contra Turcas impendi urgeret, tum aliis quoque incommodis, iis maxime, quæ crebrum ſimonix exercitium afferebat, remedium flagitaret, Italisque, quos clam, ut palam Gallus, premebat Alexander, proſpiceret. Nec tamen iter inſtituit ea legatio, Pontificis Nuntio ad indicendum Jubilæum in Germaniam per idem tempus veniente, cui quidem id permittere initio Imperii Conſilium nolebat, tandem tamen annuebat, ea conditione, ut iſtæ, quæ corradebantur, pecuniæ bello contra Turcas impenderentur, non minus ac illæ, quas ex Annatis Pontifex colligebat, cum iſti præciſe uſui reditus hi priſtinis temporibus fuerint deſtinati. Haſtenus enim Cæſar nothus Alexandri filius maximam partem eas inter ſcorta & computationes dilapidaverat. Quod ne deinceps quoque fieret, ſollicite compoſitis, qui iſtam pecuniæ diſpenſationem dirigerent, articulis A. 1501 cavebatur. De rebus aliis in ſolenniori conventu Procerum Imperii A. 1501 tranſactis parum dici poteſt, cum nihil pene negotiorum fuerit conſectum, tantum non omnibus ob abſentiam plerorumque Statuum in proxima comitia rejectis. Id tamen obſervandum, quod ad pacem Imperii (*Land-Frieden*) quæ, licet jam olim, & noviſſimè modo in Auſtaniſ comitiis eſſet conſtituta, crebris tamen diſſidationibus (*Befehdungen*) violabatur, firmandam, Legatus Apoſtolicus, petente Senatu Imperii, publice robur ſe illi adde-

10.

19 &amp; 21.

17.



C. 22.

L. II.

C. 7.

9. 10.

16.

17.

re, transgressoribus Ecclesiasticas quoque poenas & censuras minitans, sit professus, quamvis quæ ex Imperii parte huc erant conferenda, dictis pariter comitiis reservarentur. Præterea hoc ipso anno pax inter Maximilianum & Ludovicum sancita Tridenti, qua Ludovicus Claudiam filiam Caroli Philippi Austriaci filio promittebat, Delphinumque olim ex Philippi hujus filiabus unam ducturum in matrimonium, pollicebatur, fidem etiam suam de præstando adversus Turcas auxilio, promovendaque Austriacæ domus in Regna Hungariæ, & Bohemiæ, Hispaniæ item successione obstringens. Maximilianus contra investituræ Ducatus Mediolanensis, quam petebat Ludovicus, annuit. In pacis hujus Instrumento id notatu dignum, quod Maximilianus semper futuri Imperatoris (coronari enim adhucdum volebat) quandoque tamen Cæsareæ Majestatis titulo appelletur, quin ipse Maximilianus in litteris ad Status Imperii se ita vocat, quos Constantiam congregari volebat ad comitia, quæ exhibentur L. 4. Post hunc annum vero ista Senatus Imperii congregatio, in sex quidem annos instituta, dissensu procerum & inter se & cum Imperatore dissolvebatur, neque adeo Fridericus Saxo pro Imperatore amplius rerum publicarum curas gerebat. Comitiam interim, quorum aliquoties mentio est facta, Francofurti habenda, instantibus licet Electoribus, extrahebantur tamen, & inde singulares conventus Electorum aliorumque Principum aliquoties habebantur, de quibus Libro secundo Nobil. Autor agit. Cum Electores A. 1503 mense Novembri Francofurti ad Moenum convenirent, unanimi consensu se in posterum biennio quoque ipsos, singulis vero annis per legatos esse conventuros, licet c. 12 Aureæ Bullæ, ut ipsi semper, non missis legatis, adessent, fuerit constitutum. In eadem congregatione Imperator desiderabat, ut in proximis comitiis, Colonia vel Aquisgrani convocandis, præesset Filius Philippus, idemque in Electorum cooptaretur numerum: utrumque rejiciebant Electores. De hoc cum per legatos suos cum Maximiliano egissent Principes, in eo quidem, quod ad præsidium Philippi in comitiis, acriter persistebat, verum caput de Electorali ejusdem dignitate mittebat, causatus se illud non nisi per consilii modum proposuisse. Tali rescripto ad Electores perlato, illi

con-



constanter Philippum in comitiis haud alio ac Principis Imperii titulo admitti posse affirmabant. Tandem A. 1504 Francofurtum comitia indicebantur, quod inter Rupertum Palatinum & Albertum Bavariæ Ducem ob successionem in Georgii Divitis Ducis Bavariæ regiones bellum exarsisset. In sequentibus comitiis, Hagenoæ A. 1505 congregatis, pax inter Ludovicum XII Gallia Regem & Maximilianum confirmabatur, investiebatur etiam Ludovicus, pro se & hæredibus suis masculis legitimis, iisque deficientibus pro filia Claudia & genero ex illa Carolo, vel si illa moriatur, pro alia primogenita, quæ Carolo nuberet, Mediolanensi Ducatu, cum homagium pro Rege suo legatus ejus Cardinalis de Ambosia præstitisset. Ob Palatinum bellum alia rursus convocabantur comitia eodem anno Colonia, cum in prioribus transactum nihil esset, ubi utroque Principe sententiæ Imperatoris se parituro promittente, ita statutum est, ut aliquid Ruperti, qui tum erat mortuus, filii, reliqua Albertus acciperet, quamvis ea res confecta non sit ante A. 1507, moras quippe neccentibus & Alberto & filiis Ruperti. Præterea in hisce comitiis de restauratione Consilii Imperialis, & Judicii Cameralis, quod suspensum quasi per aliquod tempus fuerat, de pace in Imperio confirmanda, de expeditione contra Turcas aliisque rebus actum est. Id paucis adhuc memorandum, in animo Maximilianum habuisse solenne in Italiam ad coronationem iter, a quo tamen res Hungaricæ, quæ a Zipsensi Comite turbabantur, eum revocaverunt. Gallus interim pacem, de qua supra, non dubitavit violare, quippe & Claudiam Carolo destinatam Francisco Engolismensi in matrimonium collocabat, & Venetos & Pontificem in Maximilianum profectioem illam meditantem concitabat, illisque, ne transitum ipsi concederent, nisi paucis comitibus, suadebat, parva sic manu munitum ad Padum intercepturus; præterea Ferdinandum Philippi socerum proposito matrimonio suæ ex sorore nepotis fasciabat. Hæc, ut Constantiam nova comitia A. 1507 Maximilianus indiceret, effecere, quibus & ipse cum aliis Principibus adfuit, de profectioem in Italiam & violata pace cum illis acturus. Et primum quidem cum Helvetis conventum est, qui in foedere erant cum Ludovico, ut non solum contra Imperium nullas copias ipsi concederent, vel commodarent, sed & ut

L. III.

C. I.

2.

3.

4.

5.

6. 7.

8. 9.

10.

L. IV.

C. I.

4.



C. 5.

sex millibus militum Maximiliano subvenirent, si ab Italia per Gallos arceretur. Dein emissarius quidam Ludovici, Eleemosynarii regii titulo ornatus, ad disseminandas variis contra Maximilianum calumniis discordias, cum litteris ad Principes (excepto inter Electores solo Saxone) Constantiam missus deprehensus & custodia detentus est, expositisque ejus machinis & conscripta pro Imperatore Apologia, communi consensu dimissus & a comitiis Germaniæque finibus rejectus est. Hinc cum in lucem omnia essent protracta, summo studio se copiis & opibus juvatuos Imperatorem pollicebantur Imperii Status. Legatio tamen prius ad Gallum mittenda decernebatur, quæ, ut aditus ad Italiam non solum non occluderet, sed & eos Germanis præsiidiis permetteret, provincias Italas Imperio restituendas non defenderet, Mediolanensis Ducatus partem Imperio tanquam sequestro traderet, ab ipso flagitaret. Quoniam vero & a Venetis non parum metuebatur, non occulto amplius ad Gallos iuclinantibus, a legato ipsorum Constantiæ tum morante liber per ipsorum ditionem transitus, quod olim jam factum erat, poscebatur. Is autem cum Rempubliacam id non passuram, nisi sine exercitu transire vellet Imperator, declarasset, sine mora Germania decedere jubebatur. Quamvis enim Veneti & Pontifex contra Ludovicum Imperatoris auxilium implorassent, cum Ludovicus Italiam cum exercitu intraret, mox tamen, cum Galli Genua occupata recessissent, Imperatori sese opposuere. Ceterum præter alia, quæ intacta mittimus, Palatini cum Bavaro dimicationes, eo, quo supra diximus, modo penitus componebantur. Instante igitur Maximiliani profectioe, Fridericus Saxonix Elector in locum Imperatoris iterum substituebatur, cum plena in negotiis Imperii potestate, adjunctis tamen, ne solus regnare videretur, aliis quibusdam Principibus, quo ipso nihil tamen Maximilianus Vicariatus juribus, quæ Fridericus obtineat, derogari aperte testabatur. Palatinus vero Elector Philippus (simul fortassis cum Saxone ob Vicariatus communionem sibi hanc dignitatem conferendam ratus) solenni per Notarium facta declaratione, ne quid inde sua jura detrimenti caperent, cavebat. Ita constitutis Imperii negotiis ducebat Maximilianus exercitum in Italiam, qua postmodum expeditione Venetos pertinaces ita

coerce-

L. V.

C. 1.

2.

3.



coercebat, ut omni pene continentis possessione exuerentur. Interim cum extractum iri bellum cerneret, nec nisi eo confecto Romam abire posset, titulo Imperatoris propria autoritate, non expectata coronatione, uti A. 1508 constituit; & ne negligi coronatio videretur, quam tantum non necessariam istorum temporum superstitione iudicabat, electum Romanorum Imperatorem se vocari voluit, quod in hunc usque diem obtinet, & a Carolo V non ante coronationem modo, sed & post eam quandoque observatum est. Pontifex Julius II a Maximiliani exercitu suis provinciis, quas Imperio detraxerat, metuens, lætus hac occasione, per legatum ad Imperatorem missum, titulum hunc novum sibi non solum probari declarabat, sed & Imperatoriam dignitatem per eundem legatum Maximiliano Tridenti publice conferebat. Cum ergo Romam adeundi necessitas nulla esset, Friderici pro Imperatore administratio finita est. Licet enim Imperator, cui cum Venetis adhuc res erat, vellet, ut Fridericus vel belli dux esset, vel Imperium suo nomine ulterius administraret, attamen & illud Elector ipse, & hoc Imperii Status, Wormatiæ A. 1509 congregati, abhorrebant. Ceterum nihilominus a Maximiliano, usque ad mortem suam, quæ in A. 1518 incidit, titulo Locumtenentis generalis compellatus est, quin usque ad Caroli V imperium numi sub Friderico cussu eundem hoc titulo insignem ostendant. Hoc argumento Saxonibus principibus haud parum glorioso colophonem libro imponit Nobilissimus Autor, majoris operis non spem solum nobis faciens, sed & insignem expectationem excitans. Omnia, quæ refert, testimoniis Actorum publicorum accurate confirmat, variasque de argumentis obvientibus observationes inspergit. Sic ex Historia de vita Alexandri VI Pontificis ab Ill. Leibnitio edita observat, Innocentium IIX & Alexandrum hunc cum Turcis fuisse in foedere, ita ut & Cardinales a Bajazete commendatos creaverint. Iudicium aulicum Imperatoris constituto Camerali neutiquam, quod quibusdam visum, cessasse notat. Occasione indignationis, quam contra Electorum conventus Maximilianus conceperat, Auream quidem Bullam præcepisse monet, ut singulis annis convenirent, non tamen id incivile licuisse aut invito Imperatore. Contraria tamen consuetudine hac

C. 6.

7.

8. 10.

p. 242.

269.

284.



p. 290.

561.

721.

hac lege sæpe neglecta, a Caroli V temporibus majorem hac ex parte libertatem Electores nactos, Carolo sub jurejurandi fide pollicito, se ejusmodi conventus nec impediturum, nec ægre laturum. Guicciardini duo loca ex operibus ejus sublata, quod iis Alexandri libido & luxuria, tum & modi, quibus Pontifices tantas opes acquirant, exponerentur, seorsim Basileæ 1569 Latine, Italiane & Gallice edita commemorat. De legatorum juribus, & quæ eorum sit inviolabilitas, si pessima quæque contra Principem, apud quem munus suum obeunt, machinentur, accurate differit. Vicariatum denique Imperii & Palatino & Saxonico Electoribus simul, non *ἀναγκαστος* solum tempore, sed & in casum absentia, (nisi alium constituerit Vicarium Imperator) vindicat. Vides igitur, Lector, ex hoc proscenio, quam pulchrum adhuc post aulae Theatrum lateat.

CONVEYUNG ZUM ZEITGESCHEN  
Münzwesen mittler Zeiten/ &c.  
id est:

JOANNIS PETRI LÜDEWIG, JCTI, PORUS-  
sæ Regis in Heroico Judicio, eoque supremo, Adsefforis,  
Consilarii, Professoris Juris & Historiarum atque Archiva-  
rii, *Introductio ad Rem Monetariam Germanorum mediæ  
ævi; accessit numerorum bracteatorum in Hallensi vi-  
cinitate A. 1708 repertorum explicatio,  
cum figuris.*

Halæ Venedorum, apud Jo. Christoph. Rengerum, 1709, 8.  
Alphab. I.

**D**octissimus Autor in Cap. I Romanæ antiquitatis studium inter Germanos tantopere coli miratur, doletque Theologiam & Jurisprudentiam Criticis fere destitui; patriæ autem monimenta negligi a civibus, quæ tamen majora longe reipublicæ comoda adferant, quam rerum peregrinarum studium. Capite II custodes pariter & scriptores enarrat numerorum Germanicorum mediæ ævi, & in illis memorat ante alios Comitem Suarzburgicum lineæ Arnstadiensis, in his Olearios, J. A. Schmidium Abbatem, Tenzelium, a Mellen, Sperlingium, Sagittarium, Schilterum, Schlegelium,



gelium, Wedelium, Molanum Abbatem Loccumensem, alios: speratque fore, ut hoc seculo, relicto Romanæ antiquitatis studio, historia & diplomata mediæ ævi majori cum industria evolvantur. Cap. III historiam recenset bracteatorum mense Octobri A. 1708 effossorum in area agricolæ, pago Goeriz adscripti, in vicinia Halensi: sexcenti numi bracteati fuerant generis fere ejusdem. Cap. IV explicat discrimen inter solidos & bracteatos, originesque aperit verborum *Hohlünzen/ Schüsselünzen/ Pfennige/ Des leichten/ weichen und harten Goldes.* Cap. V fallas causas ridet confutatque eorum, qui, fraudis cavendæ ergo, factum esse existimarint, ut bracteæ tenuissimæ in uno tantum latere fuerint excusæ & efformatæ. Cap. VI novam aperit, tribuitque bracteatos ignorantia mediæ ævi in arte sculptoria & æris maximæ tum penuriæ. Inde nullam fere bracteatorum memoriam, nisi in Germaniæ provinciis versus Septentrionem & Orientem reperiri censet. Cap. VII originem adfert bracteatorum a temporibus Ottonum. Tum enim monetandi jure ex levissima quaque causa ordinibus concessio, immanes procuratos horum numorum abortus, quosdam etiam memoriæ tantum causa factos fuisse docet. Cap. VIII de jure monetandi sigillatim agit, temporum & Principum factis periodis. Ubi singulare illud est, quod arguit, originarios Imperii Duces monetandi facultatem jure territorii habere, juniores deinceps accepisse eandem Cæsaris privilegio. Casum etiam p. 59 adfert, quo pastor ovium monetas cudit, sua quidem auctoritate, idque impune. Abusum dolet medallionum, ut vocant, quod hoc numi genere nunc effingantur mercatorum, mystarum, pædagogorum imagines, & Principibus autor est p. 65, ut medalliones in cupro aut plumbo afforment, neutiquam vero in auro & argento, quæ dissolvat mortalium avaritia. Cap. IX materiam investigat bracteatorum, quæ diversa est, vel ex auro, cupro, ferro, ut plurimum autem ex argento; ubi singularia habet de cujusque valore & de proverbio: *Kupffer Geld/ Kupfferne Seelmesse.* Cap. X formam expendit eorum, & primo quidem magnitudinem, cujus diversitas regulas excedat, addit tamen, quo quisque major sit, eo etiam tenuiorem, quo crassior, eo minorem esse. Capite XI totus est Noster in



describendis figuris vetustis quidem, sed nullius artis. Principio existimat, improbum vere esse Dei aut Christi imaginem exhibere in numis quotidianis, qui sorditiei & improbitatis plerumque sint instrumenta, idque sentit contra Zonaram p. 82; quin & Sanctos non minus putat in numis apparere inconcinne. Tum Cæsarium icones recitat in numis bracteatis. Ubi singularia sunt, quæ habet de globo aut orbe (*Der Reichs-Kugel*) ubi expenditur sententia Schilteri, qui rosam in bracteatis Cæsarium numis pro Imperii insigni venditavit. Causam etiam indicat Cl. Autor, cur Cæsares fellis, raro equis insidentes numi exhibeant. Porro ubi Principum numos considerat, eos iterum in originarios distinguit & oriundos, quales disiectis in partes Principatibus Imperii fuere. Illos quandoque in sella, cum corona, cum ense, tunicis & mitris mure pontico [*Zermelin*] ornatis conspici docet, non alteros, qui equis defixi compareant cum vexillis. Dissidiorum componendorum inter Hanoveranum Electorem & Wurtembergicum Ducem nova ratio ostenditur p. 110, ubi de tribus vexillis Imperii. Heraldicæ quoque arti magnum lumen accedere a bracteatis, exemplis docetur. Præterea Episcoporum habitum Noster examinat in numis, quoque jure omnes sellæ conspiciantur affixi, tum de mitra p. 109, de pedo p. 110, de quo argute dictum Puffendorffii affertur, de cruce porro, quæ varia & multiplex, utque olim Antistitis fuit insigne, ita hodie ratione antiquitati ignorata solius Papæ & Primatum est, p. 112, de lilio item, palma & sacro vexillo p. 114 disquirat. Miratur Archiepiscopos *Serenitatis* titulo haud frui, cum tamen ordine præcedant illi Principes, qui *Serenitatis* vocabulo compellantur. Tum pictorum ignorantiam detestatus, verbis *Dei gratia* cur usi olim fuerint Antistites, & cur aliqui eorum offendantur cum pomo aut orbe Imperii (*Reichs-Äpfel*) p. 117 explicat. Quod sacerdotes & clerici non tam vita & moribus internoscantur, quam singulari genere vestimentorum, illud probat veteri ecclesiæ ignoratum esse & hodie superstitionem maximopere promovere. De nimbo quoque Sanctorum & de immani apparatu sanctarum reliquiarum templi Hallensis, quoque ille sit spolio subreptus, exponit p. 127. Ad extremum numi evolvuntur Civitatum non solum Imperii, sed etiam muni-



municipalium, qui provinciæ parent p. 132, ubi illos Cæsarem utique, hos minus referre notat. De insignibus quoque civitatum singularia admiscet p. 133, & appendicis loco aliarum figurarum in bracteatis conspicuarum meminit p. 137. Cap. XII de inscriptione numorum agit. Hic p. 139 singulare est, quod unum Autor omnium linguarum magistrum & parentem faciat, clave ostensa, qua omnes invicem queant conciliari. Idem fere p. 143 de litteris docet, exemplo Runicarum. Hæ enim hætenus diversæ creditæ sunt a Græcis & Romanis; sed Autor novam plane rationem aperit, unde intelligatur, Runicas litteras easdem plane esse cum Romanis. P. 146 causæ habentur, quibus Romana lingua gentibus probata, receptaque sit Europæ universæ, tum ut Leges etiam Romanæ occuparint omnem cultiorem orbem. P. 154 ostenditur, quod in numis mediæ ævi litterarum figuræ habeantur, non monachis usitatæ (*Münchs-Schrift*) sed aureæ Romanorum ætati. P. 156 numi habentur, ubi litterarum elementa convertuntur, contrahuntur, interpolantur, transponuntur, summaque imis miscentur, ut virgula opus sit divinatoria, ad sensus eorum eruendos. P. 160 errare dicuntur, qui orthographiam emendare velint ex inscriptione numorum, quæ plurimum fallat, judiciaque non hominum eruditorum probet, sed opificum. P. 162 punctis distinguere ea, quæ typis expressa sunt, indicium esse Noster credit hominis ignari, cum periculum non sit verba confundi, quod olim metuendum fuerit in lapidum inscriptionibus. P. 166 sperat, fore, ut Germanicæ quoque linguæ verba contra ordinariam constructionem immutentur, structuræ & numerica causa. P. 170 singularia de moribus prodit seculorum, ubi numero plurali utimur, quando unum alloquimur, & peregregiam epistolam Pii II Pontificis affert p. 171 de eodem argumento, ubi & promittuntur *Epistolæ Aeneæ Sylvii*, Scribæ curiarum Cæsaris primum, tum Papæ. Mox quare titulo *Dei gratia* Episcopi utantur in Diplomatis, non in numis, expendit, nimirum quia cudendi jura non Deo referant accepta, sed Imperatori. Tum de Porussæ Regis instituto p. 190, quo præmia distribuit optimis rerum numis inscribendarum inventoribus, de historia excellentium in re monetaria sculptorum, quam Raimundus Falzius molitus est, qui ta-



men A. MDCCIII morte præventus est, de ingenioso item numo Ducis Guelferbytani A. MDCCII cuso p. 197 agit, & cur chronologia desideretur in omnibus mediæ ævi numis, p. 200 docet. Caput XIII de valore bracteatorum conscriptum est. Hic vectigalia patriæ nostræ hodie longe quam olim minora esse, dominosque eorum lædi putat, cum ob homonyma panningorum & grossorum, tum ob argenti pretium nostra ætate diminutum, additque paradoxon, inter sæculi nostri infortunia esse nimiam copiam argenti. Cur diversissimi nobis sint mensurarum & ponderum modi, causam quoque aperit, quoniam nimirum rarissimæ Germanis emtiones, permutationis autem contractus illis omnium solennissimus. Tum cur hodie usuræ honestæ sint, quæ olim fuerint execranda, nova ratione expeditur p. 210. Addit nonnulla de reliquiis Lutheri indecoris p. 213, de raritate numorum diversi generis p. 216, deque numis Brandenburgicis, nondum editis, p. 218, & spem simul facit *Historia Numorum Brandenburgicorum*. Cap. XIV de ratione, qua numi bracteati & excusi sint, & dati, acceptique, brevius agit. Cap. XV de modo veteres mediæ ævi numos recuperandi disquirat. Singularia hic de ordine & periodis recepti juris Romani in Germania, atque de testamentis Germanorum, sæculo jam novo in patria nostra solennissimis, inspergit, & fraudem virgulæ divinatoriæ, singulari ratione elusam ostendit p. 244. Denique Cap. XVI de arte agit delineandi numos & novas edendi formas eorum. Additur novus deinde tractatus de moneta Halensi p. 258. Principio promittitur historia omnis generis numorum mediæ ævi, Cæsarum ac ordinis diversi procerum Germaniæ. Deinde ratio traditur, quare Hala Venedorum dici debeat hæc urbs, non Salana, Saxonica aut Magdeburgica. Tum agitur de imagine S. Mauritii & abusu signorum crucis. Post de Burggraviatu, subfeudo, ut credit, Antistitis Magdeburgici p. 265. Præterea de origine rei monetariæ Halensium, ubi hujus argumenti notatu dignum neque dum editum diploma affertur p. 267, unde constat, anile figmentum esse, Halam quondam in classe fuisse Civitatum Imperialium; Antistite Magdeburgico rei monetariæ Halæ & autore & auctore. De reliquiis tandem patrii juris, quo actor, qui causa cecidit, poenæ loco aliquid æris solvit



reo victori, & ad extremum de vectigali monetarum Halensium,  
*Der Hällischen Münzen*/ cum nova, tum peculiaris congerun-  
 tur. Accessit opusculo Index rerum accuratus.

ORIGINES ECCLESIASTICÆ; OR THE ANTIQVI-  
 ties of te Christian Church.

feu

ORIGINUM ECCLESIASTICARUM LIBRI  
 duo; Auctore JOSEPHO BINGHAM,  
 -*Rectore.*

Londini, apud Robertum Knaplock, 1708, 8.

Alph. 1.

**S**pecimen sistunt præsentis Antiquitatum Ecclesiasticarum Libri  
 duo majoris operis, quo ad exemplum Virorum percelebrium,  
 qui vel Græcarum, vel Romanarum, vel etiam Judaicarum Anti-  
 quitatum Thesauros nobis hætenus dederunt, nunc quoque An-  
 tiquitatum Ecclesiasticarum Sylogem, sed in sua capita distinctam,  
 parat Vir Cl. Josephus Bingham, in civitate Headborn-Worthy  
 prope Vintoniam Scholæ Rector. Neque etiam dissimulat Bing-  
 hamius, quod studio quodam æmulo in Gronovium Grævium-  
 que ad laborem hunc fuerit impulsus. A quorum tamen institu-  
 to in eo admodum abit, quod ei non integros aliorum Tractatus  
 in unum aut plura volumina congerere, prout Duumviri isti cla-  
 rissimi fecere; nec etiam Chronologico-Historicum saltem, vt in  
 Annalibus sit, rerum in Ecclesia gestarum recensum contexere  
 animus sit: quin potius ritus & consuetudines in Ecclesia veteri  
 omnes sub capita certa & propria ita redigere constituit, vt ri-  
 tus, consuetudinisve cujusvis notitia uno Lectori obtutu velut of-  
 feratur; quale quidem opus nondum exstaret. Nam quod com-  
 munes Historiæ Ecclesiasticæ compilatores, ut ipsi audiunt, attinet,  
 Centuriatores & Baronium, Noster partim Voluminum suorum  
 spissitudine & multitudine, partim nimia rerum per tot volumina  
 dispersione laborare, legendoque tædium parere notat. Nec im-  
 munes ab hac labe pronuntiat Albaspinæi, Justelli, Petavii, Va-  
 lesii, Cotelerii, Baluzii, Sirmondi, Gothofredi, Fabroti, Beyeregii



Notas & Observationes, quas editis a se vel antiquorum Patrum Operibus vel Conciliorum Canonibus subinde adjecissent. Gavantum, Casalium, Durantum, aliosque Ecclesiæ Romanæ addictos Scriptores in palliandis magis & vernice illiniendis modernis Ecclesiæ ritibus, quam in nativa rituum antiquorum venustate representanda esse occupatos; notante ex ipsis Pontificiis Cardinali Bona Rerum Liturgicarum L. I. C. XVIII n. 1, qui tamen nihilominus circa Liturgiæ Latinæ Historiam, perinde ut Habertus circa Liturgiæ Græcæ descriptionem, in idem penitus præjudicium erroresque eosdem incidisset. Ut adeo genuina & a præjudiciis omnibus libera Antiquitatum Ecclesiasticarum Historia a solis Protestantium Scriptoribus petenda sit & expectanda: quorum tamen Opera hanc in rem hucusque edita utramque nondum Binghamio nostro paginam faciunt. Præterquam enim, quod Protestantium Scriptores Ecclesiastici omnes in generali saltem, ex ejus judicio, antiquitatum harum tractatione subsistant, vel eoque unice procedant, quoad inde rituum novorum in Ecclesia Romana antiquitas prætenso destrui possit: Hospinianum speciatim notat, quod amplissima ejus volumina de origine templorum & festorum, item de monachatu & eucharistia certa tantummodo Antiquitatum Ecclesiasticarum capita tractent, adeoque punctum nondum omne ferant, & relationibus quoque recentioribus nimium abundant. Ac utut Spalatensis in libris suis de Republica Ecclesiastica paullo altius videatur progressus: eum tamen tractandis controversiis Pontificiis plus justo ubivis esse intentum, & plura etiam ex Gratiano & Jure Canonico petiisse, velut argumentum κατ' ἀνδραγωγῶν unice structurum. Magis ad rem facere censet Suiceri Thesaurum Ecclesiasticum; in quo tamen illud reprehendit, quod in modum Vocabularii aut Lexici, & ex Græcorum tantum Patrum Operibus maximam partem, esset collectus. Qua de causa palmam præ reliquis defert Viri eruditissimi, D. Guil. Cavei, quem Deus diutissime servet, libro præstantissimo de Christianismo primitivo, quod omnium maxime methodicam rerum hujus generis tractationem in eo servasset. Ast cum tamen Cavei scopus eo collimet, ut moralem cum primis Christianismi primitivi partem delineet atque commendet; & præterea Bebe-



lli Antiquitates Ecclesiasticæ, item Martinæi de Ritibus Ecclesiæ, & Hendecii de Antiquitatibus Ecclesiasticis libri, nec non Quenstedii Antiquitates Biblicæ & Ecclesiasticæ, sane elegantissimæ, ipsi nondum in conspectum venissent: idcirco se, Episcopi Rev. Morleyi & D. Radcliffii bibliothecis instructissimis adjutum, integram nunc & justam Antiquitatum Ecclesiasticarum Collectionem, sed in usum unice conterraneorum suorum lingua vernacula compilatam, moliri monet, ejusque specimen quoddam præsentibus duobus libris exhibet. Nempe dum libro statim primo de nominibus diversis, classibusque primorum Christianorum distinctis tractat, initio de nominibus Jessenorum, Therapeutarum, Electorum, Pisciculorum, Christophorum, τῶν τῆς δόγματος, Christianorum, Catholicorum, aliisque sermonem prolixum instituit, quæ Christianis primitivis velut propria erant, eosque ab aliis gentibus sectisve discriminabant. Dehinc de nominibus Nazaræorum, Galilæorum, Atheistarum, Græcorum & Impostorum, de nominibus novæ Superstitionis, Sibyllistarum, Biothanatorum, Desperatorum, Sarmenitiorum, Lucifugæ Nationis, Plautinæ Profapiæ, Sinedrianorum, Apostaticorum, Psychicorum, Chronitarum, Simplicium, Philosarcarum, aliisque appellationibus convitiosis ex Patribus tum Græcis tum Latinis differit, quibus vel Judæi, vel Infideles, vel etiam Hæretici Christianos primos proscindere & sugillare allaborassent. Demum classes Christianorum primorum distinctas & subordinatas, τῶν ἡγχιμένων videlicet, τῶν πιστῶν & τῶν κατηχισμένων, perlustrat; ac ubi cognomina τῶν πιστῶν singularia, quibus ab aliis mox οἱ φωτισόμενοι, illuminati, mox οἱ μεμνημένοι, initiati, mox vero οἱ ἅγιοι, feu chari Dei, salutabantur, una cum prærogativis τῶν πιστῶν præ Catechumenis peculiari capite illustravit, antiquitatem speciatim distinctionis inter τῆς ἡγχιμένης & πιστῆς contra Rigaltium, Salmasium ac Seldenum vindicat; & observationes quasdam non ineruditas de diversis Clericorum & Laicorum nominibus officiisque superaddit. Librum secundum Autor noster evolvendis distinctius Ordinibus Cleri superioribus in Ecclesia primitiva destinavit. Ubi adeo primum in eo est, ut ordinem Episcoporum divinum prorsus & Apostolicæ institutionis esse, eumque Presbyterorum ordine superio-



rem semper habitum ex consensu antiquitatis demonstret. Inde cognomina Episcoporum primæ Ecclesiæ Christianæ perhonorifica enodat, ut quod primum Apostoli, dein successores Apostolorum, & sedes eorum sedes Apostolica dicta, quod item Principes populi, *προεσώτες*, Principes Sacerdotum, Pontifices Maximi, Pape, Patres Patrum, Episcopi Episcoporum, Patriarchæ, Vicarii Christi, Angeli Ecclesiæ, atque sic porro, fuerint cognominati. Tertio hujus libri capite in eo desudat, ut officia Episcoporum ab officiis Presbyterorum distincta fuisse, Ignatii, Cypriani aliorumque Patrum auctoritate ostendat. Id quod vel ex eo comprobare satagit, quod officia communia, ut baptizare, prædicare, Eucharistiam administrare, Episcopi ex potestate absoluta & independente, Presbyteri autem ex potestate delegata & dependente obierint; quod item officia certa, ut Ordinationes Episcoporum & Presbyterorum, solis Episcopis propria, non autem Presbyteris simul communia fuerint; & quod denique Presbyteri rationem actorum Episcopo Dioceseos suæ reddere, censuramque hujus subire obnoxii fuerint, a qua vero subordinatione & censura Episcopi penitus immunes extitissent. Postmodum de potestate Episcoporum in Laicos, Monachos, Magistratus subordinatos, Ecclesiamque universam; de independentia Episcoporum ætate Cypriani, maxime autem in Ecclesia Africana; de potestate Episcoporum in audiendis & decidendis causis secularibus; de privilegio antiquo Episcoporum pro personis criminis manifesti reis, non autem in casu pœnæ pecuniariæ, intercedendi; de ætate justa, aliisque legitimi Episcopi requisitis; de Chorepiscopis & suffraganeis; de Intercessoribus item & Interventoribus in Ecclesia Africana; de Primatibus & Metropolitanis; de Patriarchis; de *αὐτοκεφάλαις* seu Episcopis independentibus; de Presbyteris; de Diaconis; de Archi-Diaconis & demum de Diaconissis multum doctumque sermonem ex Patrum optimorum scriptis, diligenter ubivis allegatis, necit. Plura non addimus, ne integrum specimen hoc loco contra institutum nostrum inferre voluisse videamur: nisi quod Summe Reverendus Fabricius noster haut ita pridem (conf. M. April. hujus anni p. 148 seq.) Voigti libro posthumo de Altaribus veterum Christianorum, a se edito,



edito, aliam longe delineationem Thesauri Antiquitatum Hebraicarum & Christianarum præmiserit, qui non minori universæ Reipublicæ litterariæ, [adeoque non Anglorum solum,] utilitate edi posset, quam a Grævio & Gronovio Romanarum Græcarumque Antiquitatum Thesauri sunt collecti.

THE DOCTRIN OF FAITH AND JUSTIFICATION, set in a true light.

hoc est,

DOCTRINA FIDEI ET JUSTIFICATIONIS  
dilucidata a JOANNE EDWARDS, Theol. D.

Londini, apud Jonathanem Robinson, Joannem Lawrence  
& Joannem Wyat, 1708, 8.

Alphab. i plag. 7.

Postquam Autor de variis vocis fidei acceptionibus disseruit, in naturam fidei inquirit, distincte considerans tres ejus partes constitutivas, assensum, consensum & acquiescentiam seu fiduciam. Ad assensum requirit materiarum divinarum apprehensionem & judicium de iis, ita ut mens veritatis earundem convincatur. Objecta fidei sunt Deus trinunus ejusque verbum, tum quatenus historias, tum quatenus doctrinas, tum quatenus præcepta, promissiones, comminationes & prædictiones continet. Motiva, seu rationes assensum elicientes numerat naturam Dei, quatenus scilicet omnisciens & verax, miracula, quibus non solum a viris Θεοπροϋεσσις, sed & immediatis eorum successoribus veritas revelata confirmata; admirandam religionis Christianæ propagationem; testimonia etiam humana historicas Bibliorum veritates passim approbantia. Religionem Christianam rationalem esse demonstrat, sive consideremus, quod veras rerum notiones & vera cognitionum principia nobis suppeditet, sive quod actiones nostras dirigat & in vitam nostram immediate influat. Quæ de opere redemptionis in Scriptura traduntur, rationi conformia esse non tam probat, quam supponit, quod, quæ opponi queant, ipsi non succurrant. Atro tamen carbone notat Joannis Tolandi de Christianismo nihil mysterii habente libellum, impugnatum jam ante



a *Joanne Norris*, uti retulimus in Actis A. 1697 p. 442, quod revelationem divinam assensus motivum esse neget. Nec mitius de *Joannis Craigii* (cujus in Geometriam merita ex Actis hisce passim clarent) Principiis Mathematicis Theologiæ Christianæ Londini 1699 in 4 editis judicat, quod in fidei definitionem probabilitatem invexerit. Fidem scilicet is in probabilitate historica Evangelii fundat & hanc a numero testium, a tempore, per quod transmittitur & a distantia locorum pendere assumit. Quare per calculos Analyticos ingeniose non modo probabilitatem historiæ, quæ viva voce traditur, sed & quæ per scripta transmittitur, computare docet, & hisce innixus p. 21 affirmat, probabilitatem historiæ Christi, quantum a traditione tantum orali dependet, sub finem seculi octavi evanuisse: ast p. 24 invenit, probabilitatem historiæ Christi scriptæ post annos 3150 a nativitate evanescere debere. Unde ex loco Luc. XVIII, 8 inferre non dubitat, ad judicium haudquaquam venturum esse Christum, antequam a nativitate ipsius elabantur anni 3150, hoc est, a præsentis tempore 1441, & gravis erroris arguit, qui ad nostra tempora tam prope constituunt adventum Christi. Similiter per calculos non minus ingeniosos gradus voluptatis determinat, ut tandem demonstret, conatus ad obtinendam vitæ futuræ voluptatem debere esse infinite majores conatibus obtinendi vitæ hujus præsentis voluptates, si conatus nostros sapienter dirigere velimus; atque Christianum esse omnium sapientum sapientissimum, Atheos vero & Deistas stultorum omnium stultissimos. Utut autem *Craigianam* fidei notionem non probet, bene tamen evincit, quod ipsa quoque ratio fidem juvare possit, humanis nempe argumentis auctoritati divinæ junctis. Immo rationem ad Christianam religionem absolute necessariam esse ostendit, quo veram præ falsa eligamus, illamque contra adversarios vindicemus. Addit evidentiam fidei ideo resolvi in rationem, quod in auctoritatem Dei resolvatur. Si enim quis quærat: cur doctrinam Evangelii admittis? respondebis: quia a Deo. Si instet: unde nosti, quod sit a Deo? ad argumenta provocabis, quibus divinitatis ejus ratio convincitur. Alteram fidei partem facit noster consensus, quo iis, quæ de Christi persona & beneficiis, de ejus legibus & de interno bonitatis ac efficaciam earundem

sensu



sensu traduntur, calculum adjicimus. Fundamenta illius in sublimitate doctrinarum revelatarum tam in credendis, quam faciendis, & in divina, quæ per Evangelium offertur, gratia ponit. Ad tertiam denique fidei partem essentialem omnimodam a Deo dependentiam cum in temporalibus, tum in spiritualibus requirit, cujus rationes Dei promittentis veracitatem, omnipotentiam & misericordiam pronunciat. Explicata fidei natura ad opposita singularum ejus partium enucleanda progreditur, de ignorantia, incredulitate, infidelitate, Atheismo, apostasia, parti primæ aliisque partibus reliquis contrariis agens. Expendit postea fidei effectus, spem in Deo, charitatem, professionem veritatis, resistantiam spiritibus malis factam, querelas de tentationibus mundi, obedientiam & bona opera, liberum ad Deum precantis accessum, comoda ex verbo divino & Sacramentis in credentem redundantia, pacem internam & gaudium, constantiam & perseverantiam, desiderium moriendi & certitudinem salutis.

Ad justificationem, cujus causam efficientem principalem Deum esse probat, requirit, ut peccata remittantur, & justii declaremur. Ubi duplicem considerat imputationem, nostrorum scilicet peccatorum Christo, & hujus justitiæ nobis factam, tum ex multis locis Scripturæ, tum ex scriptis Patrum probatam, refutatis Pontificiorum, Socinianorum & Fanaticorum hoc in argumento erroribus. Justificari autem peccatorem fide sola, ex variis Scripturæ locis evincit, non neglectis rationibus, cur non per opera, sed per fidem solam justificetur homo. Multus tamen est in conciliando *Jacobo* cum *Paulo*, quorum illum de justificatione coram hominibus, hunc de justificatione coram Deo agere ait, & distinctionem quorundam Theologorum inter justificationem in baptismo & justificationem in judicio extremo tanquam omni in Scripturis fundamento destitutam impugnat. Hac nimirum distinctione usi sunt *D. Blackball* in sermone de initiatione p. 12, 13, & *D. Stanhope* in sermone in Epistolam Dominicæ XIII post Trinitatis Festum, ad conciliandum *Jacobum* cum *Paulo*. Epilogi loco *Herberti* de fide Poema Anglicum subjicitur, in quo ejus virtutem & efficaciam canit Vates.



MISCELLANEA CURIOSA, CONTAINING  
a Collection of Curious Travels, Voyages and  
natural histories of Countries.

hoc est,

COLLECTIO CURIOSORUM ITINERUM  
& *historiarum naturalium Regionum.*

Vol. III.

Londini, apud J. Wale, J. Senex & C. Price, 1708, 8.

Constat 1 Alph. 5 plag. & 5 Tabb. æn.

**H**orum Miscellaneorum Curiosorum Volumina I & II, schediasmata maximam partem Mathematica, in Transactionibus Anglicanis publicata, continentia, dudum in his Actis recensuimus. Ut igitur de tertio quoque dicamus, fas est. Reperies vero in eo multa argumenta ad mores & consuetudines nationum exterarum & ad historiam naturalem regionum, quas incolunt, spectantia. Certe sub initium in Diario itineris, ex Anglia Constantinopolin a *Thoma Smith* 1668 facti, de varietate colorum aquæ marinæ notatu digna occurrunt. Notat autem Observator, eam potissimum a ventis & tempestatibus, luminisque facta reflexione pendere. Color naturalis est intense viridis, sed cœlo nubilo vel pluvio superficies subnigra apparet. In mari mediterraneo per aliquot hebdomades color perfecte cœruleus visus. Sole splendente, cœlo admodum claro, undarum partes superiores purpureæ, interdum rubræ conspectæ sunt. Idem color in locis non admodum profundis ab arena subjecta prodit. Cum vento frigido navis plenis velis progredieretur, undas in capite ac lateribus exiguo quodam splendore præditas miratus est; sed multo magis flammæ quandam speciem aliquando noctu flante vento Orientali a remis celeriter in mare delapsis excitatam; quod phænomenon agitationi particularum salinarum adscribit. In observationibus historicis Constantinopolin concernentibus & earundem continuatione inter alia Turcærum dogmata in compendio proponuntur, & civitatis *Pruse*, quæ est Bithyniæ metropolis & a Turcis *Bursia* dicitur, descriptio exhibetur. Docent scilicet Turcæ, Christum natum ex immaculata virgine Maria, a Deo electa & sanctificata



clificata præ omnibus foeminis, atque angelum Gabrielem annun-  
 ciasse ejus nativitatem. Miraculosum istiusmodi partum nunquam  
 alias contigisse, & Christum a Spiritu S. conceptum esse atque mi-  
 racula multa patrasse. Esse magnum Prophetam a Deo missum  
 ad homines convertendos a vanitate & errore falsæ religionis ad  
 agnitionem veri Dei, ad prædicandam justitiam & ad instaurandam  
 humanæ naturæ imperfectionem. Vitam egisse sanctam, & quæ  
 aliis exemplo esse debeat, fuisse legatum Dei, Evangelium ipsi re-  
 velatum de cœlo & nunc ipsum in cœlo ad thronum Dei consiste-  
 re. Rident vero mysteria Trinitatis & Divinitatis Salvatoris opti-  
 mi. Hunc crucifixum negant & alium ejus loco a Judæis in cri-  
 cem actum affirmant. Ipsum vero ascendisse in cœlum, etsi  
 haud mortuum, & consequenter pro peccatis non satisfecisse.  
 Medicos magno in honore habent Turcæ, utut ipsimet  
 huic professioni parum se addicant: Medici enim plerique aut  
 Græci sunt, aut Judæi. Ignorant autem usum medicamentorum  
 chymicorum. Præter Alcoranum metaphysicis de attributis divi-  
 nis subtilitatibus & aliis antiquis notionibus speculativis indulgent;  
 Astronomiam imperfecte admodum in usum Astrologiæ tra-  
 ctant. Ingens Astrologus, qui inter suos habebatur pro divino,  
 cœlestem & terrestrem Globum, quem Autor secum habebat, pro-  
 fus attonitus admirabatur. In Geographia & arte navigandi ad-  
 modum imperiti: historiam aliarum notionum non curant &  
 Chronologiam præsertim negligunt. Unde Jobum unum ex Ju-  
 dicibus Salomonis & Alexandrum M. præfectum exercituum ejus  
 summum; Samsonem, Jonam & S. Georgium Christo coævus fa-  
 ciunt, similesque fabellas lepidas complures comminiscuntur.  
 In tribus schediasmatibus satis prolixis antiquitates Palmyrenæ  
 egregie illustrantur. Primum a Reverendo Viro *Wilhelmo Hal-*  
*lifax* conscriptum & per *Eduardum Bernhardum*, quondam A-  
 stronomiæ Professore Savilianum in Academia Oxoniensi, cum  
 D. Thoma Smith anno 1695 communicatum syllogem continet  
 epigrapharum e columnis Palmyrenis descriptarum. Alterum  
 est Diarium duorum itinerum, a mercatoribus Anglis illuc susce-  
 ptorum. Tertium denique est relatio *Hallejana* de antiquo sta-  
 tu civitatis Palmyræ cum animadversionibus in inscriptiones ibi



reperitas. Enimvero cum de hoc argumento multa dixerimus, Cl. *Selleri* Antiquitates Palmyrænas Tom. III Supplem. p. 89 & sqq. recensentes, de his Criticorum delitiis in præsentis nil dicemus. Sequuntur duo itinera ab Imperatore Sinensi in Tartariam Orientalem A. 1682 & in Tartariam Occidentalem A. 1683 facta. In urbe *Xinyam*, quæ est Provinciæ *Leaotum* metropolis, sub latitudine  $41^{\circ} 56'$  nulla deprehensa est acus Magneticæ declinatio, observationibus aliquoties iteratis: ast in urbe *Ulam* sub latitudine  $44^{\circ} 20'$  observata est  $1^{\circ} 4'$  ab Austro in Occidentem. In Tartaria Occidentali mensibus Julio & Augusto noctu præsertim venti adeo frigidi flare perhibentur, ut contra frigus vestimentis peculiaribus corpus munire incolæ teneantur, atque humida in glaciem concrecant. Extraordinariam hujus frigoris causam in situm regionis elevatiorem, montium multitudinem atque salispetræ abundantiam conjicit Autor anonymus. Reperies præterea aliquot conjecturas circa characteres Sinenses, qui a primo ipsorum Rege & Philosopho *Foby* annis ante Christum natum 2950, adeoque ante Moysen 1400 inventi dicuntur, cujus adeo liber *Yekim* scriptum sit omnium antiquissimum. Conveniunt quodammodo cum notis numericis in eo, quod in variis linguis legibiles sunt. Eorum vera pronuntiatio amissa, nec præsens Sinensium lingua ullam cum ipsis affinitatem habet. Ipsi Sinenses sibi persuadent, characteres esse reales, non litterales, ita, ut per eos notiones simplices exprimantur: veruntamen eorundem usum ignorant. Ob affinitatem argumenti Epistola additur de characteribus variis incognitis ex rudibus Persepolis depromptis, cujus urbis antiquitates alia *Witsenii* Epistola ad *Martinum Listerum* perscripta ulterius illustrantur. Mineræ adamantinæ prolixè describuntur, & litteræ ex India Orientali a *Joanne Marshal* ad D. Coga datæ religionem, ritus, notiones, consuetudines ac mores Sacerdotum gentilium, quos *Bramines* vocant, accurate exponunt. Statuunt autem, Deum esse ens immateriale, mundum in instanti creatum, qui sit corpus Dei: coelos nempe esse caput, ignem os, aerem halitum, aquam semen, terram denique crura & pedes ejus. Deum ante creationem mundi in vacuo habitasse & in eo angelos, animas & spiritus, gradu puritatis inter se differente



ferentes creasse. Angelos nec bonum, nec malum agere, animas aut bonum aut malum, spiritus fere non nisi malum. Omnibus viventibus animas tribuunt, actiones earum fatali cuidam necessitati adscribunt a conditione status præexistentis pendenti, ubi variis affectibus tentatæ fuerunt. Animas subita & infortunata morte a corpore separatas diabolos fieri, reliquas in corpora pecorum migrare: animas vero sacerdotum & sanctorum hominum cum angelis inter astra commorari. Infinitos dari mundos nungantur, quos Deus sæpius annihilavit iterumque produxerit. Cum mundo quoque annihilari angelos, animas & spiritus: factaque respiratione creaturas de novo a Deo produci. Ab ultima creatione anno 1670 numerarunt annos 3892771. Ante annos 21000 diluvium universale contigisse memorant, ubi in quodam montis vestigio servatæ dicuntur creaturæ viventes 1800000, quas inter 7 homines. Systema mundi Ptolemaicum defendunt. Deum homini liberum relinquere ajunt, quomodo eum venerari velit, sive sub Sole, sive sub Luna, sive sub alia creatura, modo id fiat animo sincero atque honeste & ex intimo cordis affectu. Deum præsentem esse iis in omnibus actionibus, qui voluptatem mundi negligunt. Aliquando sub forma hominis apparuisse & meliores vivendi regulas præscripsisse: a quibus cum deflecterent, decrevisse eos viæ suæ permittendos. Peccata certis anni temporibus in fluvio *Gange*, quem sacrum dicunt, abluunt: quod antequam fiat, sacerdotes de officiis sermones ad populum habent, preces prælegunt & imprimis ad misericordiam & liberalitatem adhortantur. Ut intelligant, quorsum abierit anima, in loco, ubi primum jacuerat mortuus, combustæ cadaveris cineres spargunt cum variis floribus odoriferis. Elapsis horis ex vestigio pedis vel ovis, vel canis, vel bovis &c. ibi conspicuo judicant, in cujusnam animalis corpus anima migraverit. Si nullum istiusmodi vestigium adparet, inter stellas translatum colligunt. Quoniam in quavis regione ad vitam hominis necessaria reperiri arbitrantur, Geographiæ studium negligunt, tum & variis superstitionum divinationum generibus delectantur. Varias Sinensium consuetudines recenset *Cunningham*, & *Joannes Clayton* in litteris ad Societatem Regiam datis varia in Virginia circa aerem, aquam, solum, aves,



aves, bestias notatu digna commemorat. Mores Æthiopum in parandis præsertim eduliis describit *Israel Jones* : de catacombis Romanis & Neapolitanis differit *Joannes Monro*, & præter alia nonnulla tandem sub finem proponitur discursus doctissimi *Halleji*, in quo disquiritur, quo tempore *Julius Caesar* primum in Britanniam descenderit. Demonstrat autem ex characteribus chronologicis, ab ipso *Cæsare* & *Dione Cassio* memoratis, id contigisse anno ante Christum natum 55 d. 26 Augusti.

ANTHROPOLOGIA NOVA; OR A NEW  
System of Anatomy, &c.

id est:

NOVUM ANATOMIÆ SYSTEMA, OECONOMIAM  
animalem describens, variosque morbos corporis  
humani succincte innuens; Autore JACOBO DRA-  
KE, M. D. Collegii Medicorum & Societatis  
Regiæ Socio.

Londini, apud Samuel Smith & Benj. Walford, 1707, 8.

Alph. 2 plag. 8½ Figur. Tabb. 83.

Præf.

**D**UO equidem Anatomiam præsentem minus commendare videntur : primum, quod Autor ipse naturæ prius cesserit, quam ultimam illi manum addere ac de amplissimo Anatomes in Praxi, cum Medica, tum Chirurgica, usu in Præfatione differere, aliumve etiam librum de morbis congeneribus absolvere potuerit; deinde, quod easdem Figuras comprehendat, quas *Blancardus* in Anatomix suæ Editione prima ex aliis Autoribus, nulla mentione horum facta, partem maximam inversas exhibuit, utpote ad Bibliopolæ Londinensis desiderium brevi commentario a Nostro illustrandas. Quibus tamen non obstantibus, totum *Systema*, quod hic sistitur, *Anthropologicum*, quatuor Libris in duo Volumina digestis constans, tanto majorem meretur & invenit applausum, quanto pluris æstimanda venit opera, quam *D. Branchwait* consilio & calamo, *Cowperus* autem Observationibus, errorum correctionibus, capitibus integris, & figuris quamplurimis Autori nostro, dum viveret, aliis negotiis detento, strenue commodarunt; reliquæ



reliquæ namque figuræ, præter tres ex *Swammerdamio*, & unam ex *Valsalva* desumptas, non minus, ac quæ de pene nasoque agunt capita, *Compero* laudato debentur, cum *Blancardi* figuræ *Appendicem Voluminis primi*, nomine Autorum una adjecto, tantummodo constituent. Sed ut nonnulla circa partium modo structuram naturalem, modo functionem rectam, vel dispositionem morbidam, subinde additas, decerpi nunc queant, ad *Librum I*, qui *Volumine primo* continetur atque potiorum partium solidarum & fluidarum descriptiones non tantum in genere, verum & potissimum partes abdomen contexentes in specie complectitur, accedamus. Cuticulæ, ceu cutis integumento, sua quoque esse vascula, a nemine licet adhuc detecta, ex glandulis colligitur, quæ in eadem, vesicatorii adminiculo elevata, conspiciantur; nec dubitatur, quin alia pariter incognita microscopio exactiori in simili cuticula valeant reperiri. Lepra Græcorum & Arabum, utraque cuticulam afficiens, non nisi gradu differre reputatur, in quantum salia vehiculo humido in priori gaudere, in posteriori vero carere tali videantur. Quod homines autem plerumque semel solum in toto vitæ curriculo corripiantur variolis, tanquam lepra critica, glandularum & pororum cutis immutationi ac dilatationi per eadem jam ita factæ adscribitur, ut febre etiam simili præsentem materia liberum transitum inveniat, neutiquam vero pro pustulis excitandis subsistere cogatur. Tympanites verus in sero inter peritonæi duplicaturam extravasato collocatur; dum villi crustæ œsophagi ac ventriculi villosæ pro canaliculis glandularum excretoriis venditantur. Musculi cephalo-pharyngæus, sphæno-pharyngæus, & a *Valsalva* glosso-pharyngæus atque hyo-pharyngæus additi, cum *Compero* pro uno musculo pterygo-pharyngæo habentur, a diversis tantum partibus enascente, principium siquidem ejus, a processu etiam pterygoideo regulariter occurrens, a *Valsalva* frustra negari. Nomine fermentationis, a qua fluidorum animalium genesin, perfectionem & decrementum plerique derivent, talis partium, mixtum corpus constituentium, motus intestinus expansivus in genere intelligitur, qui ad permanentem corporis fermentati alterationem [unionem videlicet, aut dissolutionem] tendat, ab aere, tanquam instrumento primario, si naturalis fuerit,

p. 17.

23.

25.

40. 302.

61. 69.

63.

91.

131.



p. 178.

181.

186.

201.

202.

210.

218.

219.

231.

259.

279.

313.

392.

peragendus. Salivæ & liquoris gastrici usus potior asseritur, variorum cibi & potus fluidorum miscelam unionemque in formam lactescentem adjuvare, postquam solidiores alimentorum partes ab aere ipsis intertexto, æque ac ossa in machina Păpiniana, fuerunt resolutæ; quemadmodum famis sensatio in ventriculi vacui motum peristalticum, rugas tunicæ nerveæ conterentem sive ad se invicem affricantem, rejicitur. Lienis glandulæ in dubium vocantur; arteriarum vero & venarum anastomoses in hoc viscere, si in ullo alio mercurii injectione ostenduntur facillime, in quantum mercurius, prout vel in venam, vel in arteriam impellitur, per arteriam aut per venam eadem promptitudine remeet, hincque vasa cuncta in liene sic præparato, ac per mensem illis ligatis suspenso, ab incisione in dimensionibus suis appareant. Flatum a D. D. Branthweit in porum hepaticum intrusum per plurima oscula folliculi fellis aperti erupisse indigitatur; prout arteria hepatica in homine major, quam in brutis notatur, similemque etiam valorum differentiam circa alias partes diligentius ab aliquo consignari desideratur. Arteriæ spermaticæ minores in exortu, quam in progressu sic perhibentur; brutorum autem penem organis paulo aliis erigi, ac in homine, Masculi Marsupialis, Delphini atque canis exemplo evincitur; in Marsupiali enim sanguinis per venas penis refluxum imprimis a sphinctere ani juxta *Cowperi* observationem, ex *Actis Anglicanis* in nostra *Acta A.* 1705 p. 111 transcriptum, impediri; in Delphino autem duo ossa cum suis ligamentis eundem in finem efformata, & in cane musculus digastricum, tendine medio venis incumbentem, *Cowperum* laudatum vidisse. Infans commemoratur puella, cujus clitoridis excrefcentia nimia in causa fuerit, ut pueris a parentibus, hermaphroditis vero ab aliis illa accenseretur; neque mentio negligitur alicujus gravidæ, quæ foetum putrefactum cum vivo in lucem ediderit.

In *Libro* hinc II, qui cum duobus reliquis *Volumen secundum* complet atque thoracis partes exhibet, systolen cordis a diaphragmatis & musculorum intercostalium motu diversimode in inspiratione promoveri, ejusdem autem diastolen ab ipsa atmosphæra aeris, externe corpori incumbente, adjuvari, prolixis ipsisque verbis, quæ jam in *Actis Philosophicis Anglicanis* N. 281 p.



1217 leguntur, demonstratur. Quamvis aqua tracheæ pulmonum cujuscunque animalis in situ verticali infusa, dum repletis vasculis aereis per vasa sanguifera effluit, realem aeris cum sanguine in pulmonibus miscelam videatur persuadere, quia per arterias tamen non minus, ac per venas egreditur, de via dubitatur, annon talis rursus potius vasorum, ab aquæ pondere inductæ, debeatur. Sanguificationis duō admittuntur gradus, quorum primus mera chyli cum sanguine confusione, sive miscela ejusmodi, qua rursus ab hoc rubicundo possit secedere, absolvatur, alter vero, in perfecta chyli albi in purpuram sanguinis exaltatione consistat, utraque nihilominus a motu sanguinis, tum intestino, tum progressivo, perficienda.

In *Libro III* capitis partes ossaque in genere ac eorum connexionem involvente, primum nervorum par verius processuum papillarium titulo, quam olfactoriorum, censetur innuendum, ramulusque etiam paris sexti nervorum ad linguam pro gustatu deducitur. Glandula pituitaria, cujus usus dubius, brutis major, quam hominibus, vindicatur; *Bidloo* autem erroris arguitur, quod cerebro venas denegaverit. Puer octennis sistitur surdus, quia in meatu auditorio ea membrana restiterit, quæ hunc in fœtu alias solet tueri; & quemadmodum muscoli, quos trago & antitrago auriculæ *Valsalva* assignat, reputantur imaginarii, ita eum itidem musculum, quem *Valsalva* novum tubæ, & alii pterygo-staphylinum vocant, a toto tubæ latere anteriori enasci, negatur.

Tandem in *Libro IV* partim musculos & glandulas mucilaginosas in genere, partim ossa & musculos omnes in specie pertractante, in dubium vocatur, num fibræ musculorum carneæ mera existant vascula arteriosa & venosa invicem continuata, numque in piscium etiam caudis venarum cum arteriis continuitas recte demonstratur. Musculum quippe omnem cingi membrana, & ab hac alias membranas ad singulos fibrarum carnearum fasciculos, ut tales pariter investiantur aptique ad sanguinis expansionem reddantur, protendi; in caudis vero piscium sanguinem microscopio unice eum, qui ad nutritionem in extremitatibus requiritur, non vero, qui ipsis partibus musculosis sive moventibus inexistit, conspici. In infantium difficilius dentientium gingivis tumidis

p. 434.

455.

457.

484.

486. 517.

491.

496.

562.

563.

590.

625.

626.

653.



P. 677.

pertundendis instrumentum aliud, magis appropriatum, quam lanceolam, Anglis in usu nunc esse traditur. Cum triangularis sterni musculus antagonista omni destituatur, ab ejus continua tensione sternum paulo incurvari, in infantibus autem, rachitide laborantibus, sterni morbosam acuminationem a nimia ipsius contractione dependere, eo verosimilius conjicitur, si musculus dictus in tenellis comparative amplior, quam in adultis, occurreret; qui musculus vero psoas parvus audit, dorsi potius, quam femoris, annumeratur musculus.

720.

De cetero sicuti Systemati huic Index omnium capitum, & Syllabus contentorum singulis capitibus præmittitur, ita Index pariter rerum generalis sub calcem ejus adjicitur.

### JOANNIS FRANCI HERBA ALLELUJA.

Ulmæ, literis Gassenmajerianis, 1709, 12.

Constat 17 plagulis.

**A**Utor Clarissimus, cujus *Historiam Trifolii fibrini in Actis nostris Anno 1701 Mense Julio pag. 328 explicatum dedimus*, strenue pergit in Regni Vegetabilis thesauris investigandis; quapropter impræsentiarum Herbam Allelujam examini subicit, cujus vires insigniores in nupera Anni 1703 & 1704 febre Epidemica Ulmæ observaverat. Alleluja scilicet, Monachis sic dicta, quæ aliis Autoribus Jecoraria, Lotus pusillus, domesticus, Cucullaria, Trifolium acidum, vulgare, acetosum, aureum, oxalis minima, tri-cordium, Acetosa arvensis lanceolata audit, est planta palmam alta, radicem habens subrusam, squamis contextam, parum geniculatam, in transversum longam, fruticosam, & capillamentis multiplicem, saporis cum levi adstrictione amaricantis, cauliculos plurimos, rotundos, subtiles, & tenues, circa radicem subrubentes, lanugine obsitos, folia ferens terna in singulis petiolis longis extremo sinuata in forma cordis, coloris jucundissimi, viridis, omnem viridiorum amœnitatem superantis. Flores in simplicibus pediculis inter folia e radice profilientes pentapetaloides; stellæ figura, communiter lacteos, venis purpurascens contextos, rarius purpurascens vel subcœruleos & luteos obtinens; delapsis flosculis luteum ad albedinem vergens in lunatis siliquis semen late vel



vel ex maturitate vel levi tactu dispergens. Ubique crescit hæc planta, & locis imprimis sabulosis delectatur. Flos circa finem Aprilis & initium Maji emicat; semen Mense Junio & Julio suam acquirit maturitatem. Adveniente nocte vel etiam appropinquante tempestate folia quasi hebetata concidunt, & sese demittunt instar pileoli Japonensium. Quod autem flores Allelujæ copiosi crebras illius anni pluvias & aquarum inundationes certo portendant, pauci contra siccitatem, falsum esse, annus, quo scripsit hæc Noster, qui erat siccissimus, evicit. Hoc insuper mirandum plantæ huic inest, quod patiatur deliquium, & tacta semina ex lateribus ejaculetur, osculis mox iterum conniventibus, ut filiquas dissiluisse non appareat. Tota planta obtinet particulas tartareas, salinas, volatiles, cum multo phlegmate mercuriali; hinc aperit, fluxilitatem humorum promovet, particulas tartareas dividit, cruditates corrigit, spiritus excitat, & adstringit. Ut taceamus alios morbos, in quibus depellendis planta nostra tam externe admota, quam interne propinata egregiarum observata fuit virium, specifica facultate febrium malignarum est antidotus & cordialis audit, quo sub nomine in febre Epidemica superius commemorata, quæ 4265 Gallorum & Bojorum, 3383 civium, 749 captivorum Cesareorum e vivis sustulit, egregie se commendavit. Cujus in rei fidem ultra trecenta allegat Noster exempla ægrorum, quorum plerique ex ejus usu cum valetudine in gratiam redierunt, & quinque communicat medicamentorum sibi usitatorum compositiones, quarum basis est Alleluja.

**NOUVEAU SYSTEME, OÙ NOUVELLE EXPLICATION du mouvement des Planetes.**

hoc est,

**NOVUM SYSTEMA, SEU NOVA EXPLICATIO motus Planetarum; Autore PHILIPPO VILLEMOT,**

*Sacerdote SS. Theol. Doctore.*

Lugduni Gallorum, apud Ludovicum Declaustre, 1707, 12.

Constat 11 plag. & 12 Tabb. æn.

**C**artesium fere primum fuisse ait Autor ingeniosus, qui leges Mechanicas ad motus cœlestes applicavit, aut oblitus, quæ



de causis eorundem physicis tam in Commentariis de motibus stellæ Martis, quam in Epitome Astron. Copernic. Lib. 4 tradidit *Keplerus*, aut forte *Keplerianas* explicationes non satis físicas esse ratus: quanquam & *Gallileus* alicubi Mechanicæ cœlestibus applicaverit; immo apud veteres *Leucippus* jam de vorticibus sit locutus. Theoriam vero *Cartesianam* perpendens statim convictus fuit, dari vortices & Planetas motu fluidi delatos diversam ab ejus celeritate habere non posse. Ast quoniam in generalibus substitit *Cartesius*; ipse quidem explicare constituit, quomodo motus cœlestes a vorticibus æthereis ortum ducant, ita quidem, ut observetur lex a *Keplero* in Planetis antiquis primum constituta, dein a *Cassino* in satellitibus Saturni ac Jovis confirmata, quod scilicet tempora motuum periodicorum habeant sesquiplenam rationem distantiarum a Sole. Equidem illustris *Leibnitius* hoc institutum in Actis A. 1689 p. 82 & seqq. præclare dudum executus est, atque systematis sui de Planetis harmonice circulantibus in fluido similiter circulante præstantiam adversus objectiones Viri doctissimi *Davidis Gregorii*, in Elementis Astronomiæ Physiçæ & Geometriçæ Lib. 1 Prop. 78 f. 101 & seqq. propositas, in Actis A. 1706 p. 446 & seqq. vindicavit: sed cum *Leibnitii* nullam mentionem injiciat (qui regulam *Keplerianam* ab æqualitate virium in qualibet sphæra vorticis Planetarii etiam deduxit) credibile redditur, ipsi meditationes *Leibnitianas* non innotuisse. Fateretur equidem in Præfatione libelli, *Newtoniana* Philosophiæ Naturalis Principia Mathematica (quæ nunc curis Autoris posterioribus multo auctiora in Anglia recudi accepimus) in manus suas incidisse, sed tum demum cum opus suum jam absolvisset, ita ut illorum usum nullum in eo condendo facere potuerit. Addit textui Gallico e regione versionem Latinam, ut exteri quoque Gallici idiomatis ignari ad lectionem & examen libelli admittantur.

Quod jam Systema Autoris nostri attinet, ex unica propositione fundamentali rationem præcipuorum phænomenorum circa motum Planetarum obviorum in hypothesi *Copernicana* deducere conatur. Triplicem in corporibus cœlestibus motum considerat, nempe 1 motum primum, 2 motum proprium, 3 motum partium a peripheria versus centrum, sive gravitatem, & in motu proprio



proprio inclinationem atque parallelismum axis Planetarum, hujusque in Tellure variationem, nodos & Apogæum a priori explicat, motus autem lineam, quam *Keplerus* Ellipsin statuit, non considerat. Propositio fundamentalis hæc est: Si plura inter se æqualia corpora singula diversa velocitate primarias circulationes efficiant, ab iis describi peripherias, quæ ad se mutuo eandem rationem habeant, quam habent velocitatum, quibus describuntur, quadrata. Vocat autem *circulationes primarias*, quibus corpora in fluido homogeneo circumaguntur, & quarum velocitas augeri nequit aut minui, quin circumactorum corporum ampliores aut breviores evadant circuli. Non hic commemorabimus, quomodo ope hujus theorematis, in subsidium vocata hypothesi, quod Deus materiam vorticis omnes Planetas continentis fluidam creavit & ejus duntaxat portionem motu orbico pernicissimo, at in omnibus partibus motis æquali, circa communem axem rapuerit, genesis systematis Planetarii declaret; sed suffecerit indicasse, quasnam in systemate jam constituto motuum coelestium causas proximas assignet. Notandum itaque, quod magnum vorticem in tres partes distribuatur, quarum una a centro Solis usque ad Mercurium, altera usque ad Saturnum, tertia usque ad fixas pertingit. Illa cœlum Solis, ista cœlum Planetarum, hæc cœlum Cometarum ab Autore dicitur. De motu Planetarum in genere dum agit, eos eadem celeritate moveri probat, qua fluidum movetur. Hinc ulterius demonstrat, duorum Planetarum velocitates esse reciproce sicut distantiarum a centro radices; has vero in cubos suos ductas habere rationem statutorum temporum, quibus Planetarum conversiones fiunt. Unde tandem infert theoremata *Keplerianum*; distantias a centro in cubos ductas esse ut quadrata statutorum temporum. Demonstrat præterea vires centrifugas ductas in superficies suas sphæricas esse in systemate Planetario ubique æquales, atque adeo cum per hæc facta virium quantitates declarentur, quamlibet sphæram coelestem suam sedem tueri debere, cum omnes inter se libratae sint ceu pondera statera appensa, quorum moles dispar æque dispari velocitate pensatur. Centrum magni vorticis æstuat juxta Nostrum, quod sphærarum velocitas eo major, quo centro propior, sicque naturam Solis a priori declarat suumque:




suumque ipsi locum in universo assignat, curque salvo systemate mundano desinere nequeat, ostendit. Tantum vero æstum Solis esse debere demonstrat, quantus corpori intra horam ad 226484 leucarum propellendo par foret. Cometas supra Saturnum locat, quia irregulariter moventur & parallaxi carent; infra fixas tamen rejicit, quia a Sole illustrantur: ubi contra *Newtonum* disputat, qui illis infra Saturnum locum concedit. Cometas gigni ait per conglomerationem partium crassiorum, quemadmodum insulæ in fluminibus prodeant, & in cœlo commorantes variis fluentis agitato secundum *Kepleri* legem moveri non posse. Terram tam circa Solem, quam circa proprium axem revolvi & convolvi debere, ex natura magni vorticis demonstrat: idemque de reliquis Planetis valere monet, addita ratione cur Luna tantum libretur. Enimvero demonstrationes prolixiores sunt, quam quæ huc transcribi possint. Inclinationem axis Planetarum ad aream motus communis heterogeneitati materiæ, ex qua constant, partiumque situi tribuit, cum a motu pendere nequeant. Parallelismum axis ex duplici e. g. Telluris circa centrum conversionem derivat, quarum una 24 horis circa axem æquatoris Terræ, altera anno integro circa axem ad Eclipticam perpendicularem absolvitur. Planetas moveri ait in orbitis Eclipticam secantibus, quia, quicquid duobus diversis motibus agitur, quantum in se est, utriusque aream retinet, atque adeo Planetæ & ad motus communis sive Eclipticæ, & simul ad motus proprii sive sui æquatoris aream se accommodare, consequenter inter utramque mediam capessere debent. Ipsam quoque Tellurem ideo ad veram Eclipticam vorticis inclinari, sed cum eam ignoremus, orbitam Telluris pro Ecliptica assumi. Demonstrat quoque, cur Planetarum primariorum nodi lente in consequentia, Lunæ vero celerius in antecedentia moveantur. Causam progressus nodorum in inæqualitatem conjicit, quæ est inter Eclipticam & circulos ad eam parallelos. Gravitatem æstui in centro cujuslibet Planetæ æque ac in centro vorticis generato, utut longe minori, adscribit. Materia nimirum æstuans e. g. in Terræ centro cum recta ab eo recedere molitur, nec tamen queat, urget juxta Autorem materiam a centro ad peripheriam, atque hoc pulsu crassiora corpora ad centrum trudit.

Hunc



Hunc pulsum *Vim tendentem* appellat, eamque instar radiorum luminis reciproce ut quadrata distantiarum minui debere observat. Ab eadem vi tendente gravitatem Planetarum deducit, e. g. Lunæ a vi tendente Telluris, ex hac vero gravitatione Apogæi & Aphelii rationem ulterius reddit. Duplex autem in Planetis Aphelium considerat, quorum alterum ex conflictu orbis & vorticis Solaris, alterum partim a gravitate propria Planetæ, partim a conflictu vorticis ejus cum Solari petit. Æstum maris per contrarium motum vorticis Lunaris & Terrestris explicat. Magnetismum non quidem eadem prorsus cum *Cartesio*, nec tamen prorsus differente ratione exponit. Ceterum notabile est, quod p. 27 incidenter de viro quodam ipsi noto narrat, qui aperto campo de repente se violento turbine circumdari ac vultui sonorum ictum ceu colaphum tanta vi sibi incuti sensit, ut sanguis naribus manaret.

PHÆNOMENON COELI SINGULARE OBSERVATUM Moscua A. 1708 d. 18. Dec. st. v. h. 2  
30 circiter a meridie.



Quidem parelia sæpius observantur; sed quod hic exhibemus phænomenon, singularibus quibusdam circumstantiis notatur. Ad latera Solis A conspiciantur duo parelia, D & E, quæ duæ pilæ incurvatæ ab Horizonte assurgentes C & B fere bisecabant.



Ex vero Sole radii pellucidi ad utrumque latus D & E, nec non sursum ad E spargebantur, ubi quidem igneus quidam arcus apparebat, qui fere in punctis L & M attenuabatur. Hæc omnia iris permagna comprehendebat, quæ Horizontem versus vivacissimi, versus Zenith languidioris erat coloris. Altitudo Solis 6 graduum existebat.

ELECTA REI NUMARIÆ;

feu

*SELECTÆ DISSERTATIONES DE RARIORIBUS NUMIS ANTIQUIS, TAM GRÆCIS QUAM LATINIS, AD HISTORIARUM VETERUM MONIMENTA ILLUSTRANDA, & ANTIQUITATES GRÆCORUM PARITER ATQUE ROMANORUM DILUCIDANDAS INSIGNITER FACIENTES; EX GALLICO MAXIMAM PARTEM LATINE TRANSLATÆ & JUNCTIM EDITÆ.*

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1709, 4.

Alph. 2 pl. 3 & 5 tabulis æn.

**C**Um tot elegantis doctrinæ Dissertationes iam ab aliquot annis in publicum emissæ sint, quæ historiarum veterum monumenta ex numis potissimum illustrant, illæ vero, mole exiguæ, ad spectui nostro se subducant facillime; hinc coepit Vir doctissimus, *Christophorus Woltereck*, eas diligenter colligere, Gallicas Latine transferre, & junctim submittere prælo. In prima huius collectionis parte ordinem illum tenuit, ut Dissertationes Cl. Groseii de Bose, quæ Jani & Salutis cultum respiciunt, familiam ducant. Eas statim *Andræ Morelli* & *Antonii Gallandi* Epistolæ de numis consularibus excipiunt. Post consulares vero, ordine, quantum Auctori licuit, chronologico collocati sunt illi, qui Imperatorum quorundam, Tyrannorum item atque Augustarum numos singulari raritatis & pretii exhibent, atque ex istis res gestas eorum vel planè, omissas, vel obscure satis traditas historicis, egregie illustrant; utpote *Causeus*, *Chamillardus*, *Gallandus*, *Genebrierius*, *Grainvillius*, *Grauerolius*, *Harduinus*, *Leibnitiuss*, *Mediobarbus*, *Meierus*, *Moissonierius*, *Olearius*, *Seidelius*, *Turneminus*, *Valens* & *Vallemontius*. Agmen denique claudunt Dissertatiunculæ, in quibus

certa



certa quædam antiquitatis expenduntur capita, aliaque, quæ ad generaliore[m] historiarum & numismatum cognitionem faciunt, proponuntur. Hisce autem omnibus duplicem in fine indicem, auctorum scilicet & rerum in *Electis* memorabilium, Autor collectionis adjecit, sperans, hunc laborem non ingratum fore, neque omnino inutile[m] eruditis. Et sane in opere isto tam Historici, quam Critici & Grammatici antiquitatisque studiosi invenient quamplurima, quæ animos ipsorum reficere, & ad ulteriorem inquisitionem excitare valeant. Sic cognoscent Historici, Galbam p. 87. Cæsaris nomen non ut familiæ, sed dignitatis nomen suscepisse; Neronem omnino post Græcum iter Romam rediisse; pacem sub 89. 185. Gallieno floruisse; Magniam Urbicam solius Cari uxorem fuisse 235. 244. & gente forsan Hispanam. Cognoscent, cur soli Maximinus & 277. 199. Constantinus, qui neque Cæsares, neque Augusti fuerunt, Augustorum filii vocentur? quod Gratianus primus Augusti filius, qui 280. nomen Augusti superstite patre gessit; quod Jotapianus & Marinus iidem sint cum Pacatiano. Critici porro & Grammatici variam in numis nominum Coelii, Antonini, Bizyæ & Bizyenorum 334. 219. 352. scriptionem deprehendent, itemque, utrum Postumus an Posthumius scribendum? quid *res Romana* apud Vopiscum? an *Salvator* & *medietas* voces probæ latinitatis sint? & cur Mamæa in 58. 156. 137. numo quodam Mamias vocetur? Cum primis vero antiquitatis 141. 204. studiosi multa hic invenient lectu dignissima. Scilicet, Janum 248. 300. quadrifrontem nunquam in numis Imperatorum occurrere; Augustique faciem in variis numis esse barbatam. Legent variarum 301. notarum literarumque novas expositiones. Ex. g. AKΓΠΕΝΔ 354. in gemmula Pescennii p. 37, PPP. E. in numo Vitellii. p. 93, 9. AUGGAUG. in Gratiano p. 334. Jucunda ipsis erit observatio 49. Cl. Valentis, quod antiquitas in numis fluvios navigabiles sub figura viri juvenis, sub foeminæ vero forma referre soleat illos, qui 50. naves neutiquam ferant. Discent, quomodo Antonini Imperatores & Postumi tyranni dignosci in numis possint; quis *junioris* 120. 354. & *senioris* titulo primus usus? quando D. N. *Dominus noster* pro 271. seq. titulo Imperatoris obtinuerit? & quamam methodo inscriptiones 273. 273. numorum decurtatæ explicandæ sint. Fatendum tamen est, 339. quemadmodum & Cl. Autor collationis observat, quod in hisce



p. 31.

varia occurrant, quæ partim illustrari ulterius & confirmari, partim etiam refutari mereantur. V. g. Cl. Groseus de Bose existimat, quod Acilius, cum Salutem numis suis impressit, ad solum nominis sui etymon, ab *ἀκείονος* deducendum, animum retulerit. Quæ ejus sententia haud incongrua est. Nam simili ratione & alii, nomina potissimum sua respicientes, ut L. Val. *Acisculus acisculum*, seu *asciam parvam*, Fur. *Crassipedes pedem*, Florus *florem*, P. Accolejus *Eariscolus* Phaetontis forores in *larices* conversas, Publicius *Malleolus malleum*, Q. Pomp. *Musa Musas*, Scarpus *manum*, quæ Græcis *καίρος* dicitur, L. Lucretitis *Trio* septem stellas, *Triones* vocatas, & Q. Voconius *Vitulus vitulum* in numis exprimi curarunt, uti ea jam animadvertit eruditissimus Phil. a Turre in Monumentis Veteris Antii p. 19 sqq. quibus adde *Purpureum*, Morello in Electis hisce p. 52 observatum, qui simbolo conchæ, purpuram ex se generantis, ad nomen suum allusit. Porro Andr. Morellus litteras CPCASDD. C. P. in numo P. Corn. Dolabellæ haud explicare potuit; at Begerus in Thes. Brandi Tom. III p. 92 seq. eas ita interpretatus est: *Cajus & Publius Cassii Decuriones Carthagine posuerunt*. Denique p. 107-112 variæ proponuntur eruditissimorum in Gallia Virorum expositiones nummi Faustinae, cujus inscriptio SOVSTI; quæ satis quidem ingeniosæ sunt, at omnes genio inscriptionum Romanarum nimis adversantur. Unde monetarii potius errorem dixeris, maxime cum similes errores alii etiam in Augusti numis observentur.

*C. PLINII SECUNDI JUNIORIS VITA ORDINE Chronologico sic digesta, ut varia dilucidentur Historia Romana puncta, quæ Flaccios Imperatores, uti Nervam Trajanumque spectant; studio IOANNIS MASSONI A. M. & E. A. P.*

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergico, 1709, 8.

Alph.  $\frac{1}{2}$ .

**I**Nnotuit jam reipublicæ litterariæ Cl. Massonus, editis præter alia Horatii & Ovidii Vitis, quarum illam in Actis Erud. A. 1708 p. 145 exhibuimus, hanc proxime Supplementis inseremus.

Nunc



Nunc eadem methodo Plinii Junioris vitam concinnavit, cujus et-  
 si jam antea specimen editioni Operum Plinii præfixerat, quæ O-  
 xonii 1703 in 8 cura Thomæ Hearne prodiit; ut paucis indi-  
 cavimus in Actis A. 1704 p. 183, operæ pretium tamen nos fa-  
 cturos speramus, si hanc vitam multo nunc auctiorem atque orna-  
 tiorem, quam tum recensere supersedimus, accuratius hoc loco  
 perlustremus. Natus est C. Plinius Cæcilius Secundus anno æræ  
 vulgaris Chr. LXII V. C. juxta Varronem *Is ecc XV P. Mario, L.*  
*Asinio Coff.* Nomina partim a patre naturali Cæcilio, partim ab  
 adoptivo C. Plinio Secundo matris fratre nactus est. Matrem  
 habuit Pliniam hujus sororem, quam per errorem Reinesius autu-  
 mavit ejus filiam. Nobilis fuit gens Cæcilia, quanquam plebeja,  
 & utut adoptione pater non nisi equestrem gradum consecutus es-  
 set, ad senatoriam tamen dignitatem evedtus noster est, cum di-  
 gnitatem & ordinem non minueret adoptio, uti pluribus docetur  
 p. 5. Patriam eruditi passim Comum assignant, quibus ipse in Epi-  
 stolis suffragatur Plinius, quamvis etiam Veronenses appellet suos,  
 quoniam Verona patris adoptivi erat patria. Qua ratione pueri-  
 tiæ annos exegerit, ex eo colligere est, quod annos natus decem  
 & quatuor Græcam Tragoediam scripserit, cum adhuc domesticorum  
 præceptorum & grammaticorum curæ substatet, ad Rhetori-  
 ces studium nondum progressus. Labente XI ætatis anno pa-  
 tris adoptivi auspiciis, quod naturalis jam fatis concesserat, viri-  
 lem togam sumit; & simul cum ea latum clavum accepit, quod  
 contra doctissimum Dodwellum observatur, qui latum clavum  
 una cum virili toga solis Senatorum filiis datum esse asseruerat.  
 Ornatus virili toga in Rhetorum scholas concessit, ex more in-  
 ter Romanos recepto, qui juvenes domestica institutione præpa-  
 ratos ad publica Oratorum subsellia demum admittebant. Romæ  
 vero & prætextatus & togatus literis operam navans, condiscipu-  
 los nactus est Voconium Romanum & Romanum Firmum; in-  
 ter magistros autem Corellium Rufum vitæ testem & rectorem  
 nominat, & Hispullam ejus uxorem, quæ pueritiam formaverit, &  
 Arulenum Rusticum, qui adolescentiam exhortationibus foverit.  
 Post hæc eum, toga quidem virili auctum, vicinum prædiis suis op-  
 pidum Tifernum Tiberinum patronum cooptavit pene adhuc

p. 14. sqq.

18.

19.

22. 23.



p. 23.

26.

31.

33.

35.

37.

puerum, ex consuetudine ejus temporis, quæ populi, urbes, coloniarum patronos eligebant, quorum tutelæ se committerent. Cum XVI annum ageret noster, Plinius Senior naturæ Historiarum septem triginta Libros emisit, quod præter alia præfatio testatur ad Titum, cujus sextus Consulatus in hunc annum Plinii & Christi LXXVII & U. C. MCCCXXX incidit. Anno post Vespasiano Aug. IX, Tito Cæs. VII Coss. Plinius Senior, cum Miseni classem imperio præfens regeret, a flagrante Vesuvio, quod ad explorandas incendiæ causas propius accessisset, vi pulveris ac favillæ oppressus occidit annos natus LVI, uti Autor ex Plinii Epistolis, Suetonio, Josepho & Dione confirmat, & errores simul discutit Achillis Statii & Sereni Sammonici, quorum ille de Ætna monte hæc narrat, Suetonium testem allegans, hic nostrum cum avunculo confundens, ad Trajani tempora superstitem scribit, quem imprudenter nimis Macrobius secutus est. Inter hæc imperterritus Plinius studiis incumberebat & velut per otium legebat Titum Livium & excerpebat, ex quo postea non vanis omnino conjecturis multi autorem libelli de Viris illustribus constituerunt, quibus tamen post Andream Schottum Massonus se opposuit. Undevicesimo ætatis anno, Tito Aug. VIII, Domitiano Cæs. VI Coss. dicere in foro cœpit, etsi de causa, quam tuendam suscepit, parum constet, & minus veram Dodwellus huc retulerit. Insequente anno L. Flavio Silva Nonio Basso, Asinio Pollione Verrucoso Coss. cum Id. Septemb. Titus defunctus fratri Domitiano reliquisset imperium, ab hoc flamen Titi inter Divos relati creatus est, quod ex inscriptione apud Gruterum, quam secus, ac vulgo factum, interpretatur, Autor ostendit, simulque inde probat, Decemvirum litibus judicandis hoc anno factum esse Plinium, & Signonium notat, qui hunc magistratum post quæsturam esse captum affirmat. Anno ætatis vigesimo, Domitiano Aug. VIII & T. Flavio Sabino Coss. eum cœpisse militiæ dare operam, & Tribuni militum legionis III Gallicæ munus sustinuisse, ex inscriptionibus sæpius in subsidium vocatis & argumentis aliis colligitur, contra Onuphrium, qui aliam inscriptionem, ubi legatus legionis VI Gallicæ diceretur, falso descriptam & mutilatam protulit, & Cl. Dodwellum, qui ex eo, quod adolescentulum se militasse Plinius dixit,



dixit, decem & novem annis minorem fuisse concludit, cum tamen ita appellare viginti annis majores ipsi usitatum sit. Quamdiu stipendia meruerit, Cl. Auctor effari non audet, cum de eo non exstet testimonium, nec ulla lex produci valeat, quæ ista senatoria vel equestria officia definiat, qualem ferre in animo quidem habuisse Galba dicitur, qui tamen haud perfecit: e contrario exempla eorum proflare, qui Tribunatum per decem annos gesserunt, & aliorum, qui per tres, vel per duo stipendia fecerunt, imo etiam eorum, qui semestres tribuni exstiterunt. Anno XXI, & XXII ætatis ex Syria militari munere fortasse defunctus rediit, atque cum navigans in Icaria insula ventis detineretur, Latinos elegos in illud ipsum mare Insulamque composuit, sed certius constare Auctor afferit, hæc senatoriam ætatem vel XXV annum minimum antecessisse, quoniam ipse narret se, postquam in castris fuisset, prospexisse curiam. Reditu vero ejus posteriora esse conjugia videntur, quorum duo contraxisse Domitiani imperio multi existimant, a quibus discedit Massonus. Quando autem adolescentulum se dicit, cum jam maritus esset, & Julii Pastoris causam susciperet, temere ex illis Cl. Dodwellum arguere putat, XIX annis minorem fuisse, cum & alibi viginti annis majores ita nominet. Præter ea idem Vir doctus confutatur in eo, quod XVIII annum matrimonio legitimum statuatur, cumque de Plinii militia alia præter tribunatum nihil exstet, falli eundem putat, cum magno apparatu adstruere conatus erat, fuisse morem horum temporum, ut nobiles adolescentes, ad senatorios magistratus militantes, varia stipendia mererent, tresve militiae gradus percurrent, atque primum cohortem, deinde alam, & tandem tribunatum haberent. Post reditum ex Syria Domitiano Aug. X & Sabino Coss. Sevir equitum Romanorum factus putatur ex inscriptionum ordine, in quibus munus hoc prioribus subjungitur. Vigésimus quintus annus ætatis quæsturæ apud Romanos aptus fuit, sed quod hunc auspiciatus esset Plinius labente anno quæsturæ superioris, eam non citius petere licuit, quam anno sequenti Domitiano Aug. XIII & Saturnino Coss. quo & eam obtinuisse rationibus fit probabile. Viginti octo anni statuti creduntur tribunatui, sed jure liberorum Tyro antecessit Plinium, cumque ille

P. 41.

45.

46.

48.

55.

58.

præ-



p. 63.

100. sq.

130. sq.

præcessisse dicatur, ex vocis vi concluditur proximo hunc anno successisse. Pompejo Collega, Prisco Coss. anno ætatis XXXI & XXXII Plinium dedit Senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciæ Baticæ contra Bæbium Massam, ad quem annum & prætura ejus adligatur, quam sustinuit, cum Domitianus Philosophos urbe expelleret. In annum Plinii XXXIV & XXXV C. Fulvio Valente, C. Antistio Coss. mors Domitiani incidit, qui si diutius superfuisset, crimen paratum erat Plinio; de quo libellus in scrinio Principis repertus fuit; quas quidem insidias ut vitaret, huc usque a petendis honoribus abstinuerat; nec ulterius progressus est sub brevi Nervæ imperio, quamvis tuto se rebus publicis immiscuerit & Domitiani injuria pressos defenderit. Anno ætatis XXXVI & XXXVII Nerva Aug. IV Trajano Cæs. II Coss. jus trium liberorum impetravit, & secundum matrimonium cum Calpurnia inivit, & Ærario Saturni præfectus est, nec minus, ut conjicitur, Militari Ærario. Anno XXXVIII & XXXIX, cum Trajanus III Consul esset cum Frontone III Cos. quod Autor contra Pagium probat, cum Cornutus Tertullus Consul designatus esset, panegyricum Trajano dixit, & videntur ad hunc annum quoque pertinere Epistolæ, tum qua Siliî Italici mortem Caninio nuntiat, tum qua Martialis poetæ mortem deflet, cujus Vitæ a se edendæ data hac occasione spem facit Noster p. 117. A. C. CIII, U. C. Io ccc LVI, Plinii XLI & XLII Auguratum petiit & impetravit, & circa medium hujus anni, ut Autori persuasum est, Proprætor Trajani Aug. legatus in Pontum & Bithyniam missus est, quo loco varia observata sunt, quæ ad legatos a Cæsaribus in provincias olim missos attingent, & diversæ variorum Virorum doctorum de illis sententiæ discussæ sunt. Circa finem anni Christi CIV scriptam esse Plinii ad Trajanum de religione Christianorum epistolam demonstratur p. 150, cum sequenti anno CV redierit ex Bithynia anni medio, & rejicitur fabula de Christianismo Plinii, quem amplexus fuerit, cum hoc itinere per Cretam mearet, quem errorem hauserunt nonnulli ex fragmento Chronici Flavio Dextro suppositi. Tandem anno ætatis XLV & XLVI secessit in Laurentinum suum Plinius, in quo opera sua potissimam partem in ordinem digessit, & Poeticæ studuit, imprimis hendecasyllabos compo.



composuit, deinde in urbem reversus est quidem, sed quoniam quæ illic gesserit, minus prodita sunt auctoribus, hic cogitur subsistere Noster, nec mortis annum cognitum habet, id solum evincens, anno Chr. CXIII, U. C. MCCCLXVI, L. Publico Celso II, C. Clodio Crispino-Coss. anno Plinii LI & LII, adhuc eum fuisse superstitem. Ceterum in præfatione dubiis quibusdam satisfacit doctissimus Autor, quæ ei a Cl. Jo. Clerico circa Horatii & Ovidii Vitas mota sunt, ipsasque duas inscriptiones, ad vitam Plinii plurimum facientes, integras profert, & animadversionibus suis vindicat.

*DE SANCTIS MARTYRIBUS JOANNE ET  
Paulo, eorumque Basilica in urbe Roma, vetera Monimen-  
ta; studio & opera PHILIPPI RONDININI, Fa-  
ventini, collecta & concinnata.*

Romæ, excudebat Franciscus Gonzaga, 1707, 4.

Alph. i plag. 13 Tab. æn. 2.

**A**lterum hunc ingenii sui foetum ex sacra antiquitate deprom-  
ptum (de primo diximus Supplem. T. IV Sect. III p. 140  
seq.) Philippus Rondininus publicæ luci exhibuit, in quo mere  
historica per XV Capita tractantur. Nimirum Capite I agit Au-  
tor de Sanctis Joanne & Paulo eorumque martyrio. Et fratres  
quidem hos Joannem & Paulum ex inclyta Ursinorum stirpe pro-  
gnatos refert, quorum alter Præpositus, alter Primicerius Con-  
stantiæ Augustæ, Magni Constantini filia, in bello contra Scythas,  
cum Ovinio Gallicano duce, pro Christianissimo Imperatore no-  
men militiæ dedere. Constantia vero Augusta defuncta fratres  
hi ex opibus, quibus ab illa cumulati fuerant, pauperibus Christia-  
nis alimenta suppeditarunt, eosque in fidei confessione contra  
Gentilium vota sedulo confirmarunt. Quare Julianus Cæsar  
avaritia ob SS. Fratrum divitias nec non iniquo odio in Christia-  
nam religionem adductus, eos auream Jovis statuam per Teren-  
tianum prætoris cohortis Præfectum adorare jussit more gentili,  
quem cultum cum abhorruerint, capite plexi & martyrii coro-  
nam A. 362 adepti sunt. Postea cum Terentiani filium Dæmon  
graviter impeteret, ad horum Martyrum tumulum deductum ac



confestim liberatum fuisse, Terentianum autem abnegato sacri-  
 lego Deorum gentilium cultu Christo nomen dedisse, adeoque ex  
 persecutore præconem factum esse, perhibent. Hactenus ex fide  
 actorum veterum, quæ etiam apud Surium, Aringhium & alios  
 leguntur. Acta vero hæc literarum monumentis consignasse  
 vulgo asseritur supra dictus Terentianus, quanquam Autor noster  
 fateatur codices differre, quando quidam Terentianum ipsum  
 Scriptorem vocant, quidam Terentiano referente passionem hanc  
 scriptam fuisse contendunt. Memoria amborum Martyrum die  
 26 Junii celebrari solet, quem diem Acta Sanctorum Antverpien-  
 sia Tomo IV Junii, eodem Anno 1707, quo hæc Monumenta lu-  
 ci publicæ donata, edito, nondum exhibent, sed in die 25 Junii  
 persistunt, adeoque sua conjectura Noster forte fallitur, dum  
 p. 5 scribit, vulgasse Virum doctum Daniele Papebrochium  
 acta horum Fratrum ex MS. Codice Corbejensi ad diem 26  
 Junii Bollandiani, quam editionem Italia nondum viderit.  
 Caput II agit de multiplici inventione & translatione Sancto-  
 rum Joannis & Pauli, quorum primam inventionem in eorum  
 domo, ubi jussu Terentiani condita fuere corpora, sub Joviniano  
 factam, & Crispi quidem, Chrispiani atque Benedictæ precibus di-  
 vinitus compertam fuisse, Rondininus docet. Caput III plures  
 corporum SS. Joannis & Pauli reliquias, & loca, ubi religioso cul-  
 tu servantur, exhibet. Atque hic sub finem capituli ex Cæsario  
 Heisterbacensi Lib. 8. de diversis vision. c. 67 tanquam perillustre  
 miraculum adducit sequentem historiolum: *Quum Monachus  
 quidam, Bernardus nomine, aliquando iter ageret, & secum fer-  
 ret ad latus in capsula SS. Joannis & Pauli reliquias, quumque  
 ejus mentem turpis libido ad delectationem moveret, ille (mirabi-  
 le!) inopinato motu Monachi latus pulsare ceperunt, iterumque  
 pulsarunt, donec improbum extinxit ardorem.* In capite IV ex-  
 penditur, quantus fuerit apud veteres in SS. Martyres Joannem &  
 Paulum cultus, & quanta memoriæ eorum dignitas. Maximum  
 vero laudis præmium esse ducit, quod ab antiquo Ecclesiæ more  
 eorum sacra nomina in Missæ canone invocentur. Et ex Rui-  
 narto adducit Joannem & Paulum Missam habere propriam in  
 Missali Gelasiano, nec non in Liturgia Gallicana. Pag. 48. Dio-



nyssi Naldi Faventini, ductoris exercitus fortissimi. cui Rondininus iadem Faventinus arctissima sanguinis necessitudine junctus est, simulacrum marmoreum in celeberrima Venetorum basilica Ord. Prædicatorum positum; exhibet, qua occasione simul promittit Noster opus edendum sub titulo *Æmilie illustratæ*, in quibus viros aut literis, aut armis, aut honoribus, in orumque sanctimonia illustres, quos omni ævo produxit Æmilia, commendabit. Cap. V agitur de Basilica SS. Joannis & Pauli ejuque fundatoribus, qui Byzantius & Pammachius asseruntur. Et Cap. VIII Pammachius etiam dicitur Monachus & Conditor Monasterii SS. Joannis & Pauli, apud quem S. Hieronymum aliquando versatum fuisse Rondinino verosimile est, quippe cujus monasticam institutionem Pammachius quoque suscepisse, communi autorum opinione perhibeatur. Ex seqq. capp. IX usque ad XV nihil adeo notatu dignum in medium proferre lubet. Sub finem annectit Autor in Elencho omnium Cardinalium, qui SS. Joannis & Pauli titulum obtinuerunt, multa elogia de rebus gestis Fabricii Paulutii p. t. Cardinalis Tituli SS. Joannis & Pauli, ad quem etiam directa est hujus libri Epistola dedicatoria.

*DISCURSUS JURIDICUS DE EXCEPTIO-  
ne non numeratæ pecuniæ; Autore HERMANNO ZOL-  
LIO, Jcto, Consiliario Hassiaco & Professore Juris  
in Academia Rintbeliensi primario.*

Rinthelii, sumtibus Hermanni Augustini Enax, 1708, 4.

Constat 10 plag.

**E**Xceptio non numeratæ pecuniæ in scholis juridicis pariter ac in foro non incelebre nomen est, hinc eam peculiari Discursu dignam judicavit Consultissimus Autor. Hunc ita adornavit, ut per thesin & exegesin exceptionis hujus indolem, subjectum, externum habitum, durationem, moralitatem, probationem, objectum, sanctionem & præsuppositum sive contractum chirographarium ejusque obligationem expendere. Quæ in thesi quinta disputantur, specialius nonnihil recenserebimus, cum in ea doctissimus Autor communi sententiæ, quæ exceptionem non nu-



meratae pecuniae intra statutum tempus oppositam, ratione mutui, privilegiatam esse dicit, dicam velut scribat, ac, quod ab ipso potius excipiente illa probanda sit, pluribus probare nitatur. Posteriorius igitur, quod scilicet haec exceptio ab aliis exceptionibus, quoad probationem non differat, Noster probari putat ex *l. 25 §. 4. de probat. C. 14 X de fid. instrum. l. 1, 2, 13 C. de non numer. pecun. l. 2 C. si pign. convent. numer. pecun. secut. non fuer. l. 1 C. de condict. ob turp. caus. & Nov. 136 c. 6.* Postea respondet ad ea, quibus exceptioni huic privilegium asseritur, contendens famosum illum textum in *l. 3 C. de non numer. pecun.* quo praecipue nititur communis sententia, agere de cautione, quae indiscrete loquatur nec causam debendi contineat: Rescriptum vero in *l. 10 C. de non numer. pecun.* favere quidem communi sententiae, sed simul non parum perplexum ac velut naturali rationi adversum, per *l. 13 C. eod.* sublatum esse: denique *Novell. 18 c. 8* accipi itidem debere de casu cautionis indiscrete loquentis, vel de speciali effectu poenae dupli, hanc enim non aliter consequi Actorem, quam si Reum mendacii convincat. Sicut itaque communis sententia nullo evidenti ac solido juris textu niti Nostro videtur, ita rationem, quae ei substerni solet, parum etiam solidam, ac ipsam sententiam creditoribus periculosam, & commerciis noxiam ac multarum litium, praesertim quoad instrumenta guarentigiata & literas cambii, matrem esse, insuper idem censet, eaque omnia in *ib. 6* ad apocham quoque sive quietantiam applicanda esse existimat. Num vero illa evertendae communi sententiae sufficient, alii viderint, nostrum enim saltem est, ea indicare & referre.

*TRACTATUS JURIDICUS DE MODIS ACQUIRENDI & AMITTENDI PRALATURAS ECCLESIASTICAS; Auctore P. FRANCISCO SCHMIER, O. S. B. ex libero & imperiali monasterio Ottoburano, U. J. D. Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis & Archiepiscopi Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, SS. Canonum in eadem Universitate Profess. Ordinario ac Incl. Facultatis Juridicae p. t. Decano.*



Salisburgi, literis Jo. Josephi Mayr, 1709, 4.

Const. i Alph. 6 plag.

**S**istit hic tractatus Commentarium in Tit. V, VI, VII, VIII & **S**IX Libri I Decretalium, ita ut materiae in iis contentae juxta regulas methodi exhibeantur. In primo Capite, variis sectionibus, paragraphis & numeris distincto, Electio prolixè exponitur. Caput secundum eodem tractandi modo expendit Postulationem. Cui succedit tertium, Translationi destinatum. Quartum in explicanda Nominatione occupatur. Quintum exhibet Collationem, ac sextum modos amittendi Prælaturas Ecclesiasticas, nempe renunciationem & depositionem recenset. Speciminis loco nonnulla specialia attingenda erunt. In *Cap. 1 Sect. 1 §. 3* de Origine electionis sollicitus Consultissimus Autor, distinguit inter summum Pontificatum & Prælaturas inferiores. Illius respectu electionem jure divino esse introductam dicit, cum ipse Pontificatus sit juris divini, nec aptius medium ad illum perveniendi occurrat, quam electio, id quod per ejus cum collatione, adoptione & successione comparationem amplius ostendere nititur, discussis etiam, quæ obstare videbantur, rationibus: quoad ceteras vero Prælaturas Papatu inferiores, electionem juri ecclesiastico suos debere natales asserit. In *Sect. 5 §. 5* prolixior de pallio Archiepiscopali extat commentatio, cujus summa hac definitione absolvitur: Pallium est singulare ornamentum & insigne Archiepiscoporum, quod assumptum ex corpore Divi Petri, in designationem Archiepiscopalis officii, ipsis petentibus a Summo Pontifice ad usum confertur. In *Sect. 6 §. 1* docet Noster, olim summum Pontificem a clero & populo fuisse electum, ac Imperatores, postquam sacris Christianis accesserint, electionibus papalibus semet non semel immiscuisse, attamen non tam proprio, quam a fidelibus delegato, aut ob casum necessitatis, se exserente jure eos ea tempestate fuisse usos; verum intra limites non stetisse Principes, sed necessitatem in voluntatem convertisse, ac pro suo libitu, usque ad tempus translati in Occidentem Imperii, circa electiones summorum Pontificum disposuisse; Carolo autem & Ottoni M. ab Hadriano & Leone privilegium eligendi Papam fuisse concessum, ut summa, ex Nostri sententia, eo redeat: aut Im-



peratores jus eligendi S. Pontificem nunquam habuisse, aut saltem jure, quod habebant, juste & legitime excidisse, cum suo proprio & magno totius Ecclesiæ bono. In §. 3 d. Sect. 6 requisita Pontificis expositurus Noster, foeminas ad Papatum inhabiles pronunciat, eaque occasione fabulam de Joanna Papissa, quam vocat, refellere nititur, inter alia cum Spondano causatus, originem ejus inde esse, quod aliquando foemina in sede Patriarchali Constantinopolitana fuerit collocata: contra quod factum vehementer exarserit Leo IX Romanus Pontifex; inde facile potuisse accidere, ut quidam malevoli pro foemina Patriarcha, foeminam Pontificem, in odium Leonis, commenti fuerint.

## NOVA LITTERARIA.

**I**N Anglia Joannes Potterus, Theol. D. & Professor Regius in Academia Oxoniensi novam parat editionem *Operum Clementis Alexandrini*, quæ duobus in fol. Voluminibus constabit, novisque capitibus & sectionibus accurate distinguetur. Conferre constituit Cl. Editor MSSa tum in Bodlejana, tum in Collegii Reginae & Novi, quæ Oxonii sunt, Bibliothecis obvia; addet præterea subinde novam versionem Latinam & priores versiones cum cura emendabit. Notas vero Sylburgii, Heinsii aliorumque, quæ in aliis editionibus sub finem additæ sunt, non minus ac proprias bene multas paginis singulis subjiciet, & ne quid desideretur, Gentiani Herveti commentarium postremo loco adjiciet. Præmittet & in Præfatione de Auctore nonnulla, imprimis de ejus opinionibus, quæ sacrum cultum concernunt. Londini sub prelo sunt celeberrimi Viri Eduardi Stillingfleet, Episcopi Vigorniensis, *Opera omnia*, VI Voluminibus in fol. una cum Vita Autoris & Indicibus propediem proditura. Ibidemque nunc Samuelis Johnson *Opera Theologico-Historica* cum Autoris Vita junctim imprimuntur.

## LIBRI NOVI.

**F**oedera, Conventiones, Literæ & cujuscunque generis Acta Publica, inter Reges Angliæ, & alios quosvis Imperatores, Reges, Pontifices, Principes vel Communitates, ab ineunte Seculo duodecimo, viz. ab Anno 1101 ad nostra usque tempora, habita aut tracta-



*tractata; ex Autographis, infra secretiores Archivorum Regionum Thesaurarias per multa secula reconditis, fideliter exscripta. In lucem missa de mandato REGINÆ; accurante Thomæ Rymer, ejusdem Serenissimæ REGINÆ Historiographo. Tomus I. Londini, per A. & J. Churchill, 1704. Tomus II ibid. 1705. Tomus III ib. 1706. Tomus IV ib. 1707. Tomus V & VI ib. 1708. Tomus VII ib. 1709. Fol.*

*Absolutissima in omnes B. Pauli & septem Catholicas Apostolorum Epistolas Commentaria, tribus Tomis distincta, in quibus genuinus litteræ sensus solide & perspicue traditur, hæreses tum novæ tum veteres doctissime refutantur, mores denique variæ & exquisitæ eruditione formantur. Autore Guiljelmo Estio, SS. Th. D. & in Academia Duacena Prof. Prim. ejusdemque Univ. Cancellario. Accedunt huic novissimæ editioni, præter commodiorem totius operis dispositionem & accuratam recognitionem textus sacri Clementinæ editionis, Annotationes locorum communium ad fidem & mores pertinentium, nec non Index novus ad Lectorum & imprimis Concionatorum usum commodissimus, studio & opera Jacobi Merlo-Horstii, S. Theol. Licentiati. Rothomagi, apud Nicol. Boucher & rel. 1709. Fol.*

*Archæologia Britannica, giving some Account additional to what has been hitherto publish'd of the Languages, Histories and Customs of the original Inhabitants of Great Britain: from Collections and Observations in Travels through Wales, Cornwall, Bas-Bretagne, Ireland and Scotland. By Edward Lhuyd, M. A. of Jesus Colledge, Keeper of the Ashmolean Museum in Oxford. Vol. I Glossography. Oxford, printed at the Theater, for the Author, 1707. Fol.*

*S. Ignatii Epistola genuina, juxta exemplar Medicæum denuo recensita, una cum veteri Latina Versione: annotationibus D. Joannis Pearsoni, nuper Episc. Cestriensis, & Thomæ Smithi, S. T. P. illustrata. Accedunt Acta genuina Martyrii S. Ignatii, Epistola S. Polycarpi ad Philippenses & Smyrnenfis Ecclesiæ Epistola de S. Polycarpi Martyrio, cum veteribus Latinis Versionibus & annotationibus Thomæ Smithi. Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1709, 4.*



- Specimen Lectionum antiquarum Francicarum, ex Otfridi Monachi Wizanburgensis Libris Evangeliorum atque aliis Ecclesie Christianae Germanicae veteris monumentis antiquissimis collectum, cum interpretatione Latina. Cura & studio Diederici von Stade, Consistorii Regii, Stade quod est, per Ducatus Bremæ & Verde, Secretarii. Stade, impensis Heinrichi Brummeri, 1708, 4.*
- Gerardi Noodt, Juri & Antecess. de forma emendandi doli mali, in contrahendis negotiis admissi, apud Veteres, Liber. Lugd. Bat. apud Jo. van der Linden, Jun. 1709, 4.*
- Traité des Dispenses du Carême, dans lequel on decouvre la fausseté des pretextes qu'on apporte pour les obtenir, en faisant voir par la Méchanique du Corps les rapports naturels des alimens maigres, avec la nature de l'homme, & par l'Histoire, par l'Analyse & par l'observation, leur convenance avec la santé. A Paris, chez Francois Fournier, 1709, 8.*
- Commentarii de Scriptoribus Britannicis, Autore Joanne Lelando, Londinate. Ex Autographo Lelandino nunc primus edidit Antonius Hall, A. M. Coll. Reg. Oxon. Socius. Tomi duo. Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1709, 8.*
- The Physicians Pulse-Watch, or, an Essay to explain the old Art of Feeling the Pulse, and to improve it by the help of a Pulse-Watch. In three Parts. By Sir John Floyer. London, for Sam. Smith, 1707, 8.*
- An Account of animal Secretion, the quantity of Blood in the humane Body, and Muscular Motion. By James Keill, M. D. London, for George Strahan, 1708, 8.*
- A Mechanical Account of Poisons in several Essays. By Rychard Mead, M. D. London, for Ralph Smith, 1708, 8.*
- Fabule antiquæ ex Phædro fere servatis ejus verbis desumptæ, & soluta oratione expositæ, inter quas reperiuntur nonnullæ ejusdem autoris & aliorum antea ignotæ; accedunt Romuli Fabule Æsopiæ, omnes ex MSSis depromptæ, & adjectis Notis editæ ab Joh. Friderico Nilant, Lugd. Bat. apud Theodorum Haak, 1709, 12.*

## ERRATA.

Pag. 321 lin. 3 pro cæruleam lege rubram & lin. 4 pro rubram l. cæruleam.



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Septembris, Anno MDCCIX.*

*HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PRIMI A  
Christo nato seculi selecta capita, delineata studio D.  
THOMÆ ITTIGII, Superint. & Theol. Prof. in Ec-  
clesia & Academia Patria Lipsiensi. Præmissa est ejus-  
dem de Scriptoribus historie ecclesiasticæ re-  
centioribus Dissertatio.*

Lipsiæ, apud hæredes J. Grossii & J. Frid. Braun, 1709, 4.

Alph. 3 plag. 17.

**P**Ræfatur summe Reverendus Autor de Scriptoribus histo-  
riæ ecclesiasticæ recentioribus, exorsus a *Centuriis Magde-  
burgensibus*, quarum novam editionem a Ludovico Lucio  
procuratam non tantum præfationibus & subscriptis Auto-  
rum nominibus castratam, sed etiam iis in locis, in quibus  
Centuriatores a Calvinianorum hypothesebus dissentiunt, falsa-  
tam observat. Ex iis, quæ de Centuriatorum adversariis *Alano  
Copo*, seu verius *Nicolao Harpesfeldio*, *Francisco Turriano*, *Gil-  
berto Genebrardo*, *Petro Canisio*, *Gulielmo Eysengreinio*, & *Con-  
rado Bruno* recenset, facile colligitur, in illos Centuriarum adver-  
sarios, tantum de suis adversus hoc opus laboribus gloriantes, opti-  
me quadrare illud Poetæ:

*Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

A *Centuriis ad Baronium* progreditur, ejusque Epitomatores *Lu-  
dovicum Aurelium*, *Joh. Gabrielem Bisciolum*, *Henricum Spon-  
danum*, *Abrahamum Bzovium*, cujus epitomen Baronii nunquam  
in lucem prodisse *Hoornbeckius* falso statuit, *Joannem Horatium*



*Scoglium, & Cornelium Schultingium*, item continuatores *Baronii Odoricum Raynaldum, Abrahamum Bzovium*, cujus *Baronium* continuatum sex tantum tomis constare *Hoornbeckius* perperam credidit, & *Henricum Spondanum*. *Casauboni Exercitationum in Baronii Annales* mentionem faciens refert narrationem *Scheideri* in epistola ad *Tegnagelium* fingentis, *Casaubonum* suis *Exercitationibus* mortem sibi accelerasse, cum gravi dolore conficeretur, quod editas non probari animadvertisset. Quæ de variis *Casauboni* defensoribus & Antagonistis aliorumque in *Baronium* lucubrationibus proferuntur, repetere superfedemus. De *Natalis Alexandri* historia ecclesiastica, variisque ejus in Romana curia fatis, dum primum benedictionem apostolicam, deinde vero anathematis fulmen experta est, prolixè differit, brevius de *Osiandri & Hottingeri* historia ecclesiastica, quibus varia historiæ ecclesiasticæ compendia a variis adornata subjiciuntur. *Thomæ autem Hobbii* historiam ecclesiasticam carmine elegiaco in morem dialogi conscriptam hunc titulum non mereri judicat. Inter Scriptores historiæ ecclesiasticæ, qui Gallico idiomate usi sunt, refert *Dupinium*, quia in posterioribus Bibliothecæ suæ tomis non solum de Scriptoribus ecclesiasticis, sed etiam de aliis historiæ ecclesiasticæ capitibus agit, cujus mutationis causa ab Ittigio nostro breviter recensetur, qui etiam Belgica quædam historiæ ecclesiasticæ compendia, & *Godofredi Arnoldi* Historiam Ecclesiasticam & Hæreticam Germano idiomate elucubratam memorat, in qua candorem & fidem ab eruditis desiderari animadvertit. *Francisci a S. Augustino Macedo* Medullam historiæ ecclesiasticæ emedullatam ab ejusdem Assertore Romano, seu vindiciis Romani Pontificis & Pontificatus, solo titulo & dedicatione differre observat. Recensere quoque placuit Celeb. Ittigio Scriptores, qui annales & historiam ecclesiasticam Veteris Testamenti, item certa tantum N. T. secula, sive priora sive posteriora, ediderunt. Postremo loco, quid ipse in selectis historiæ ecclesiasticæ primi seculi Capitibus tractandum susceperit, breviter enarrat.

Primum inter illa selecta Capita agit de Scriptoribus & scriptis ecclesiasticis primi seculi, inter quæ nullum esse docet, quod non vel pseudepigraphum sit, vel saltem aliqua ex parte interpola-



tum. Quid de singulis annotaverit, referre nimis longum esset, quamobrem pauca tantum commemorabimus. De *Epistola Mariae ad Messanenses* ex Gregorio Leto narrat, quod Dux Ossunæ, cum ipsi in templo hæc Epistola osculanda & adoranda ab Archiepiscopo oblata fuisset, Messanensium superstitionem tacite irriserit, *longe rectius*, inquit, *B. Virgo rebus nostris consulisset, se locupletes cambii literas nobis reliquisset, quibus ad profligandos Turcas nunc opportune uteremur.* Refert etiam Franciscum Careram in Pantheo suo Siculo fingere, quod hujus Epistolæ autographum a cælo raptum fuerit, & Græcum quendam Antistitem jacturæ hujus resarciendæ causa exemplar hujus Epistolæ pia fraude Hebraice scriptum in certo quodam templi angulo reposuisse, sed imposturam illam postea detectam fuisse. *Petri liturgiam* genuinam esse non ante a Lindano probatum iri judicat, quam Raynaudus a Petro, vel Joannes Maro a Jacobo, primam Missam celebratam fuisse probaverint. De mutuis *Pauli & Senecæ Epistolis* agens notat, falli Clarissimum Basnagium, qui in hodiernis Pauli & Senecæ Epistolis non legi asserit, quæ Hieronymus sua ætate in suo exemplari se legisse dicit; nec minus Dupinium falli, cum hodiernas Pauli & Senecæ Epistolas cum illis, quæ Hieronymi & Augustini ævo extiterunt, easdem esse probaturus urget, quod verba ab Hieronymo ex his Epistolis allegata adhuc in Epistola 2 legantur, cum tamen fieri potuerit, ut recens quidam impostor verba quædam Hieronymianis similia de industria epistolis a se confictis addiderit, & hac fraude antiquitatem suis epistolis conciliare nisus fuerit. *Acta Pauli & Theclæ* a Grabio Græce & Latine edita non minus spuria esse, quam quæ a Simeone Metaphraste & Basilio Seleuciensi scripta sunt, Celeb. Autor in tractatu de Bibliothecis Patrum fuse demonstravit, ideoque hoc loco actum denuo agere noluit. *Missam Jacobi* libro liturgiarum, quo Græci utuntur, insertam non esse, eamque tantum in Hierosolymitana ecclesia quotannis recitari, ex Allatio observat. Editionem *Protevan-gelii* sub *Jacobi* nomine vulgati non Protestantibus, sed Gul. Postello scriptori Pontificio deberi, contra Rich. Simonium animadvertit. Pseudepigraphum *Nicodemi Evangelium* non magis Nicodemum autorem agnoscere statuit, quam statua, quæ apud Lu-



censes Christum crucifixum in regio schemate exhibet, Nicodemum sculptorem habuit. Notat insuper, Sandium & Hallervordium Christi & Nicodemi colloquium a Joanne descriptum cum pseudepigrapho Nicodemi evangelio confundere, dum evangelium Nicodemi apud Coptos in missa legi asserunt. De *Barnabæ Epistola* varias variorum sententias enumerat, & illis accedit, qui hanc Epistolam a Pauli comite Barnabæ scriptam negant, ostendens falsum esse, quod Pearsonius asserit, nempe neminem unquam inventum, qui hanc Epistolam Viro Apostolico Barnabæ non tribuerit. *Dionysii Areopagite* scripta a multis Pontificiis, imprimis in Gallia, pro pseudepigraphis haberi demonstrat, quibus a Tenzelio per memoriæ lapsum Natalem Alexandrum annumerari notat. Quæ ex recentioribus Pontificiis Laurentius Cozza in vindiciis *Areopagiticis*, & Claudius David in peculiari libro de *Dionysio Areopagita* pro scriptis hujus Pseudo-Dionysii vindicandis prolixè proferunt, breviter confutat, eosque magno conatu magnas nugas agere probat. Ineptum præterea Godofredi Arnoldi iudicium de Protestantium circa scripta Dionysii iudicio recenset & explodit. Magnum aliorum censorem Labbeum circa *Lini libros* graviter hallucinari animadvertit, dum eos in Monumentis orthodoxographis Basileensibus Græce editos comminiscitur. Notat etiam Ulrici Veleni errorem, qui Linum a Jacobo Fabro Latinitate donatum fingit. *Clementis Romani priorem ad Corinthios Epistolam* genuinam quidem, non tamen omni ex parte plane illibatam, *fragmentum autem posterioris ad Corinthios Epistolæ* non minus ac *Canones Apostolicos, Constitutiones Apostolicas, Recognitiones Apostolicas, quinque Epistolas decretales, Epitomen gestorum Petri, Clementina & Liturgiam* pseudepigraphis Clementis Romani scriptis annumerari debere iudicat. *Herma* Pastoris autorem eundem esse cum Herma, cujus Paulus in epistola ad Romanos meminit, persuaderi sibi non patitur, notans etiam, Nourrium a Labbeo cæco ductore seductum errare, cum Hermæ Pastorem in Heroldi hæreseologia editum asserit. *Martialis Lemovicensis* Epistolas, quas Miræus a Morelio Græce editas perperam asserit, ne Græce quidem unquam scriptas fuisse observat. Verum hæc de Capite primo dicta sufficiant.



In secundo Capite de conciliis primi seculi agitur, & ostenditur, unicum tantum hoc seculo concilium proprie sic dictum habitum fuisse, cui occasionem dederunt, qui necessitatem circumcissionis & iustitiæ legalis inculcarunt. Concilia autem, in quibus Symbolum Apostolicum conditum, & constitutiones apostolicæ sancitæ, & divisio Apostolorum facta, & exequiæ B. Virginis celebratæ, & Simeon loco Jacobi Hierosolymitanæ ecclesiæ Episcopus electus, & canones apostolici collecti, & novem canones Antiocheni, quos Turrianus edidit, decreti, & immaculata B. Virginis conceptio definita dicitur, ut & duo concilia, quæ nonnulli Ignatium Antiochenum Episcopum & Martyrem congregasse perhibent, mera figmenta esse censet, ut de congressibus quibusdam & conventibus Apostolicis, qui nomen conciliorum proprie sic dictorum haud merentur, taceamus.

Tertium Caput de doctrina primi seculi in varias sectiones dispescitur, quarum prima agit de symbolo Apostolico ejusque doctrina, ubi refutantur, qui mediante hoc symbolo syncretismum religionum introduci posse sibi persuadent, item qui symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis verbotenus concinnatum affirmant, & illi imprimis, qui a quolibet Apostolo peculiarem articulum, ceu bolum quendam, hujus symboli integrandi causa collatum nugantur. Quid Laurentio Vallæ, Erasmo & Dupinio circa hanc controversiam contigerit, paucis recensetur. Christianum Lupum, dum Vossii sententiam de symbolo Apostolico refutare nititur, suam ipsius sententiam refutasse, nec distinctiunculis suis a contradictionis propriæ vitio liberari posse demonstratur. Natalis quoque Alexandri sententia de symbolo Apostolico refutatur, aut potius ab ipso Natali Alexandro refutata comprobatur. Statuit enim, symbolum Apostolicum, etsi in variis ecclesiis varias mutationes passum fuerit, in Romana tamen ecclesia incorruptum semper mansisse. Et tamen concedit, in veteri symbolo Romano verba: *creatorem cæli & terræ*, item: *descendit ad inferos*, item verba: *& vitam æternam*, omissa fuisse, quæ omnia in hodierno Romano symbolo leguntur, quo contradictionis laqueo per frivolas suas exceptiunculas se expedire non posse Alexandram paucis probatur. Deinde etiam circa unum & alterum symboli ar-



articulum aliqua monentur, & imprimis de Christi ad inferos descensu prolixè agitur, ubi Bocharti, Lightfooti, Schottani, Amyraldi, Witsii, Pearsonii, Anonymi Angli, Angeli del Pas, & aliorum sententiæ recensentur, & ad examen revocantur. Qualis contentio inter Joannem Picum Mirandulanum, & alios quosdam sui ævi doctores, qualis item inter Nicolaum Cusanum & Jacobum Fabrum de hoc articulo exorta fuerit, breviter enarratur. Error Heideggeri statuentis hunc articulum ex symbolo Athanasiano non solum in Apostolicum, sed etiam in Nicænum irrepsisse, item error Brochmandi affirmantis in symbolo Nicæno non minus articulum de Spiritu S. quam articulum de Christi ad inferos descensu omissum deprehendi, obiter notatur. Brentii sententia de duplici Christi ad inferos descensu, item Æpini & Flaccii descensum Christi ad statum exinanitionis referentium paucis commemoratur. Nec minus commemoratur, quid Lutherus, cum suum in priores Psalmos commentarium ederet, de Christi descensu statuerit, & quomodo postea A. 1532 & 1533 sententiam suam emendaverit, quomodo item posteriorem Lutheri sententiam Jo. Christophorus Becmannus in Massonii Anatomia universali triumphante cavillatus fuerit, & quid ex ipso Luthero cavillationibus illis responderi possit, & quid eidem Becmanno Urbani Regii sententiam perstringenti opponi valeat. Circa articulum de Spiritu S. varii errores Pnevmatomachorum enumerantur, tam veterum quam recentiorum, quos inter Autor Pathologiæ Dæmoniacæ, qui per Spiritum S. in Scriptura S. divinæ particulam auræ intelligi opinatur.

Secunda Capitis III Sectio doctrinam Barnabæ expendit, ubi Autor observat, in Epistola Barnabæ quædam Scripturæ loca aliter allegari, quam in sacro Codice hodie leguntur, e. g. locus de hirco emissario, de quo hac occasione varias Hebræorum traditiones Noster memorat. Ad verba Barnabæ ἡ βασιλεία τῶ Ἰησοῦ ἐπὶ τῷ ξύλῳ delatus prolixè discutit, cur dictum Psalmi XCVI, 10 in nonnullis Psalterii versionibus & Patrum scriptis ita legatur, ac si David dixisset: *Dominus regnavit ex ligno*, cum tamen verba *ex ligno* in fontibus non compareant? Inter alia observat, nimis liberalem esse Morinum dicere audentem, quod antiqua omnium Patrum



Patrum traditio verbis Davidis : *Dominus regnavit*, addendum censeat : *a ligno*, cum tamen multi Patres, nec paucae versiones, & inter has etiam vulgata versio, Pontificiis authentica, hoc additamentum non agnoscant, nec probari posse judicat, quod nonnulli ex Pontificiis scriptoribus obtendunt, Judæos dictum hoc Davidis corrupisse, & ex odio crucis Dominicæ verba *a ligno* ex fontibus erasisse. Suspiciatur autem potius pium aliquem lectorem verba *e ligno* margini sui exemplaris allevisse, & illud scholion deinde in quibusdam exemplaribus ipsi textui insertum fuisse, occasionem autem huic additamento non tam verba Barnabæ dedisse, quam titulum crucis Dominicæ, & verba latronis conversi ad Christi regnum anhelantis, & miracula, quæ in Christi morte contigerunt, eumque etiam in cruce regnare demonstrarunt. Quæ Barnabas cap. 12 de ligno sanguinem stillante tanquam ex Propheta allegat, non ex aliquo Propheta, sed ex libro 4 Esdræ deprompta sunt, unde Autori nostro ansa data de quarto libro Esdræ differendi, & non solum Genebrardum refutandi, qui hunc librum canonicis annumerat, sed etiam ex Reformatis Le Moynium, qui Ambrosium hujus libri testimoniis non tanquam ab autore sacro, sed ut ab autore, cui non omnis fides deneganda sit, exaratis, uti dicit, cum tamen verba Ambrosii abunde demonstrent, quod hunc librum pro canonico & divinitus inspirato agnoverit, quæ in causa Hieronymum Ambrosio præferendum esse non immerito judicat. In explicanda Scriptura Barnabam ita versari notat, ut mysticis & allegoricis explicationibus nimium delectetur, quorum sum pertinet lusus ille in numeris, cum c. 9 in trecentis & octo-  
decim Abrahamæ servis Gen. XIV, 14 memoratis mysterium Christi crucifixi quærit, dum per literam T, quæ Græcis trecentos notat & qualemcunque crucis formam exhibet, Christi crucem, ac per literas IH, quæ decem & octo significant, priores literas nominis *Ἰησὺς* designatas arbitratur. Num vero Barnabas ejusmodi mysteria ab Apostolis, & Apostoli ab ipso Christo hauserint, quæ Nourrii in Apparatu ad Bibliothecam Patrum est assertio, Ittigius valde dubitat. Errasse Barnabam observat, cum homines omnium bipedum nequissimos & ipso peccato iniquiores a Christo ad Apostolatam vocatos asserit, unde Celsus Christianam reli-



gionem infamandi occasionem sumsit, neque tamen Jobium apud Photium cod. 222 audiendum existimat, qui optimos quosque a Christo ad Apostolatam electos affirmat. Porro cum Barnabas Filium Dei passum, mortuum & crucifixum dicat, patere hinc infert Ittigius, veteres ecclesiæ Doctores aliter sensisse ac Nestorium & Hypatiam philosophiæ Platoniciæ Magistram, cujus Epistola ad Cyrillum num genuina sit, dubitat, cum ex Socrate probari possit, Hypatiam A. C. 415 membratim discerptam & combustam fuisse, Epistola autem illa multis post tragicum Hypatiæ exitum annis scripta deprehendatur. Notat insuper Ittigius recte Barnabam de Christi divinitate, de ejus satisfactione & de universali ejus merito sensisse, minus autem recte Menardum in notis ad Epistolam Barnabæ negasse, quod justus sola fide vivat, nec magis recte ex verbis Barnabæ de Sanctorum vultu quotidie exquirendo Sanctorum invocationem, & ex verbis de peccatis per manuum laborem redimendis eleemosynæ pro peccatis satisfactionem intulisse. Barnabæ sententiam, docentis Abrahamum primum omnium circumcisum fuisse, veriore esse probat, quam Herodoti & Diodori Siculi, circumcisionis originem ad Ægyptios referentium, etsi ab illorum sententia non alieni sint Marshamus & Spencerus, quorum sententia ab Autore nostro refutatur. Ad verba Barnabæ, infantes primum melle ac deinde lacte sustentari scribentis, notat, Salmasium in tractatu de Transsubstantiatione recte quidem hunc Barnabæ locum de consuetudine infantes primum melle ac deinde lacte nutriendi explicasse, sed male ibidem statuisse, quod duobus primis seculis adulti tantum ad baptismum admissi fuerint, postea vero cum pædobaptismus introduceretur, & eucharistiam cum baptismo conjungere moris esset, infantibus, quia eucharistiam in pane ac vino accipere non poterant, loco panis mel, & loco vini lac porrectum fuerit, quorum nihil a Salmasio probari potuisse asserit. Postremo disquirat, quid Barnabas sibi velit, cum sex millibus annorum omnia consummatum iri scripsit, & quomodo septimi diei quietem & octavum diem explicet. Minus autem probat Bernardi sententiam, qui sex mille annos, quorum Barnabas meminit, non usque ad finem mundi, sed tantum usque ad evangelii tempora extendi debere statuit. Noster autem



autem Autor per diem septimum a Barnaba diem extremum, & per octavum æternam felicitatem intelligi arbitratur, neque tamen necesse esse judicat, ut regnum Chihasticum a Barnaba significatum statuamus, quicquid Pezronio & Peterfenio videatur.

In tertia Capitis III Sectione ad Hermæ doctrinam pergit, docens Angelum Hermæ apparentem ea nonnunquam loqui, quæ larvati Prophetæ somniis quam divinis visionibus similia sunt. Observat allegari ab Herma librum Helden & Modal, qui Num. XI, 26, 27 Eldad & Medad appellatur, cujus apocryphi libri etiam alii quidam veteres meminerunt, etsi nullus præter Herma fragmentum aliquod ex apocrypho illo libro produxerit. Verba Hermæ de uno Deo, qui omnia ex nihilo consummavit, ab Irenæo allegata fuisse Eusebius testatur, & quamvis hodie apud Irenæum ea non amplius legi Magdeburgenses tradiderint, eos tamen errasse Autor noster probat, ostendens insuper, quomodo & veteres & recentiores Ariani illo Hermæ dicto abusi fuerint. Postea inquit, num Hermas mysterium Trinitatis agnoverit, inter alia affirmans, veteres nonnunquam per Spiritum S. divinam Filii naturam intelligere, quæ assertio contra Zwickeri objectiones confirmatur. Respondetur quoque ad ea, quæ Sandius, Mellierus & Zwickerus contra Christi divinitatem ex Herma protulerunt. Sententiam Hermæ, qua duos esse cum quolibet homine genios, unum æquitatis alterum iniquitatis, etsi ab aliis quoque Scripturibus ecclesiasticis probata fuerit, probandam tamen esse negat, neque concedit, quod hæc sententia ex 2 Cor. XII, 7 probari possit, ut Maldonato placuit, & quod Hermas hoc dogma potius ab Apostolicis viris sibi coævis, quam a paganis acceperit, ut Nourrius statuit. Magis ipsi placet sententia Cotelerii, qui etsi hoc dogma non solum aliquorum Patrum, sed etiam Judæorum, Muhamedanorum & Gentilium suffragiis gaudere largiatur, Scripturæ tamen silentium, & contrariam aliorum Patrum opinionem illi opponi posse notat. Improbatur etiam Autor noster sententiam Hermæ de Angelo reptilium præside, nomine Hegrin, ad quam sententiam respicere videtur Hieronymus Comment. ad Habac. I, 14, cum autorem illum stultitiæ condemnandum esse censet, qui Angelum quendam nomine Tyri reptilibus præesse scribit, ubi librariorum



vitio præsidem reptilium Tyrum appellari suspicatur Ittigius, qui ab Herma Hegrin appellatur. Nomen autem Hegrin non cum Cotelerio a voce *ἐγγυόες*, aut *ἀγγελῆς*, sed a nomine *עִירִין*, quod Daniel. IV, 14 legitur, & vigiles sive angelos designat, derivandum esse censet, & rationibus Cotelerii, quibus Hermam contra Hieronymi accusationes defendere satagit, respondet. Obiter joeularem Billii errorem castigat, qui verba Isidori Pelusiota Libr. 2. Epist. 177 ita vertit: *unus, si interpreteris vigilem significat*, non attendens ibi non legi vocem *εἷς*, quæ unum notat, sed *εἰς*, quæ vigilem denotat. Cassianum Semipelagianum ad vires liberi arbitrii commendandas Hermæ testimonio usum, sed a Prospero illud Hermæ testimonium tanquam nullius autoritatis rejectum fuisse animadvertit. Minus etiam in Herma probandum esse monet, quod unicam post baptismum poenitentiam concesserit, quod bonis operibus plus justo tribuerit, & operibus supererogationis viam straverit, quod coelibatus semina sparserit, quod facto per adulterium divortio vinculum matrimonii solvi negaverit, & imprimis hoc mirum esse notat, quod asseruerit, fideles ante Christi adventum mortuos post mortem baptismo opus habuisse, ideoque Apostolos & alios N. T. doctores justis defunctis baptismum prædicasse, & cum illis in aquam descendisse.

Quarta Capitis III Sectio versatur circa doctrinam Clementis Romani, qualis in utraque ejus ad Corinthios Epistola legitur. Atque hic primum Autor noster observat, recte Clementem statuisse, quod Scriptura universa non solum quoad sensus & sententias, sed etiam quoad verba divinitus inspirata fuerit, de qua controversia A. 1586 inter Jesuitas Collegii Lovaniensis ab una, & Theologos Lovanienses & Duacenses ab altera parte, & nostra ætate inter Richardum Simonium ab una, & Antonium Arnaldum ab altera parte litigatum fuit, Arnaldo Theologos Lovanienses & Duacenses, Simonio autem Jesuitas Lovanienses defendente, & non solum multos Pontificios, tam Jesuitas quam aliorum Ordinum Theologos, sed etiam quosdam Calvinianos, Soci-nianos, Arminianos & Lutheranos sibi consentire gloriante, & quantum ad Lutheranos spectat, Musæi imprimis consensum obtendente, quem tamen saltem in posterioribus scriptis Simonii senten-



sententiam minime approbasse ostenditur. Rectius statuisse Clementem hunc primum circa lectionem Scripturæ S. omnibus permittendam, quam sequioris ævi Pontifices Romanos, demonstratur. In historiis nonnullis V. T. Clementem interdum aliqua addere, quæ in sacro Codice non leguntur, interdum etiam Scripturæ loca minus apte allegare, aliqua etiam loca, quæ nusquam in sacro Codice comparent, tanquam ex Scriptura allegare observatur. Clementem Romanum de mysterio Trinitatis & Christi Deitate recte sensisse contra novos quosdam Arianos probatur. Per Oceanum ἀνθρώποις ἀπέραντον, καὶ τὴς μετ' αὐτὸν κόσμος a Clemente Romano non Britanniam, sed novum orbem intelligi judicat. Per παλιγγενεσίαν a Noacho prædicatam, non animarum ante mundi creationem conditarum in corpora humana immissionem, ut Sandius & allegatus ab ipso Anonymus nugantur, sed vel generis humani in diluvio perditioni instauracionem, vel etiam regenerationem spiritualem per poenitentiam a Clemente Romano intelligi notatur. Inquiritur præterea, num Clemens Romanus Episcopus Presbyteris superiores agnoverit? Num ecclesiæ Ministros nunquam nisi ecclesia comprobante constitutos fuisse docuerit? Quid per sacra officia statis temporibus peragenda intellexerit? Num prærogativam sacri calicis præ pane benedicto approbaverit? quod Salmasio placet. Num sacrificium missaticum approbaverit? ut Grabio videtur, per doctissimum Buddeum refutato. Num recte ex fabulosa ave Phœnice argumentum resurrectionis depromserit? An purgatorium statuerit? An Chiliafium agnoverit? Num ex Job. XIX, 25 resurrectionem mortuorum recte probaverit?

In Sectione 5, tertii Capitis animadvertitur, canones Apostolicos cœlibatui Clericorum adversari, item nuptiis Clericorum cum defunctæ uxoris sorore, eosdem baptismum hæreticorum tanquam irritum rejicere, ab iisdem in Latina versione tres Maccabæorum libros tanquam canonicos recipi, in Græco autem textu libros Maccabæorum prorsus omitti, ab iisdem duas Clementis Epistolæ ad Corinthios, & Apostolicas constitutiones libris canonicis adnumerari, Franciscum Turrianum mala fraude ad libros canonicos in canonibus Apostolicis enumeratos librum Judith addi-



disse, in constitutionibus Apostolicis impie & inepte Deum Patrem cum Episcopo, Filium cum Diacono, Spiritum S. cum Diaconissa comparari, in iisdem conjugium post tertias nuptias pro fornicatione manifesta venditari, in iisdem baptismum laicorum & hæreticorum improbari, in iisdem concubinatum cum hero infideli permitti, nec minus in Clementis Romani recognitionibus & homiliis & epistolis decretalibus aliqua typo sacrae doctrinae repugnantia, imo impia & blasphema deprehendi. Quæ in sexta Capitis III. Sectione de doctrina Dionysii Areopagitæ, & aliorum quorundam primi seculi pseudepigraphorum adducuntur, brevitate studio repetere nolumus. Quæ vero in Capite IV, V, VI & VII occurrunt notatu digna, in proximum Mensem reservamus.

### OECONOMIE GENERALE DE LA CAMPAGNE.

hoc est,

*OECONOMIA RURALIS GENERALIS; Auctore LUDOVICO LIGER. Editio secunda.*

Parisiis, apud Claudium Prudhomme, 1708, 4.

Constat 6 Alph. 13 plag.

Prostat Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch.

**Q**uicquid ad œconomiam ruralem ullo modo pertinet, in vasto hoc Opere cum cura exponitur. Postquam enim Autor solertissimus de agriculturæ prærogativis differuit, ædium rusticarum constructionem edocuit, officia patris ac matrisfamilias exposuit, regulas ad perfectam œconomiam necessarias in medium profert. Agit autem de pane coquendo, de farina eum in finem conservanda, de potu, de carne aliisque cibis. Prolixe describit gallorum & gallinarum, caponum, pullorum, gallorum Indicorum, anserum, anatum, phasianorum, coturnicum, cygnorum, columbarum, pavonum, apum, bombycum, equorum, mulorum, asinorum, bovum, vaccarum, ovium, caprarum & porcorum curam, nihil omit- tens, cujus cognitio in hoc argumento desiderari potest. Miris laudibus evehit Tractatum Dn. de Soleyssel, quem de Equis publici juris fecit. Cito in gratiam hospitem parari caseum optimi saporis ait, si flos lactis matutini æquali lactis meridiani adhuc calidi quantitati.



quantitati affundatur, pauculum coaguli indatur, aqua salsa dilu-  
ti, & ubi hæc omnia probe commixta fuerint, horæ unius spatio  
elapso formis massa immittatur, per 24 horas in iis detinenda.  
In morbos quoque animantium tam bipedum, quam quadrupe-  
dum inquit & remedia contra eos præscribit. Ubi Librum pri-  
mum Calendario œconomico finiit, secundo ad agriculturam exa-  
minandam progreditur: qua occasione quoque de siderum influ-  
xu disquirat, eumque nullum esse contendit, inde ortum, quod si-  
derum ortus atque occasus heliaci pro signis olim dati fuerint  
agricolis. Addit nonnulla de præfagiis tempestatum, quæ plera-  
que fictitia censenda sunt, ut hiemem fore rigidam, si glan-  
dium ingens proventus; talem fore hiemem, qualis est vigesima  
quarta Novembris. Ad agros fertiles reddendos fimo cineres per-  
misceri jubet, & quædam alia arcana proventum frumenti multi-  
plicandi attingit, de quibus dictum est Mense Aprili p. 171. Ne-  
que vero solum fruges, sed & legumina atque olera considerat, &  
de piscinis, pratis, omnisque generis arboribus sylvestribus ac fru-  
ticibus tractat. Colophonis loco tractatus de commercio li-  
gnorum comparet. Liber tertius, a quo incipit Operis Tomus se-  
cundus, horticulturæ totus destinatur, ubi & vinearum habetur ra-  
tio, & quadraturam Lunæ ab hortulanis sollicitè hæcenus custo-  
dita observatio exploditur. Tandem Libro quarto delicias vitæ  
rusticæ contemplatur, ubi primo eduliorum tam ex carnibus, quam  
herbis ac fructibus parandorum curam gerit, dein vero venatio-  
nem omnem sigillatim persequitur.

AN ACCOUNT OF ANIMAL SECRETION,  
the quantity of Blood in the human Body and  
Muscular Motion.

hoc est,

CONSIDERATIO SECRETIONUM ANIMA-  
lium, quantitatis sanguinis in corpore humano & motus  
musculorum; Autore JACOBO KEILL, M. D.

Londini, apud Georgium Strahan, 1708, 8.

Constat plag. 13½.

Ddd 3

Quam



**Q**uam arctam Mathesin inter atque solidam rerum naturalium cognitionem connubium existat, non modo recentiorum inventa, quæ in hisce Actis cum cura describuntur, palam eloquuntur, verum rationem quoque apertam allegavimus Mense Januario hujus anni p. 25. Idem agnoscens Autor eruditissimus, Mathesi ad experimenta applicata, præcipua quædam Oeconomix Animalis capita nova quadam ratione explicare aggreditur. Huncque laborem Medico non indignum esse ostensurus, quantum adjumenti ad praxin Medicam afferat accurata œconomix animalis cognitio, in Præfatione demonstrat. Finis Medici morborum curatio est. Morborum nomine venit, quicquid œconomiam animalemb turbat. Eorum itaque indolem quis cognoscat, nisi cui œconomix animalis ratio perspecta fuerit? Optime Noster morborum naturam tanto perfectius cognosci judicat, quo intimior œconomix animalis datur cognitio. Quodsi objicias, methodum curandi morbos solis experimentis superstrui debere, studium Physicum & ipsum quoque Physiologicum Medicum esse superfluum & usus perexigui: non quidem negat, quorundam medicamentorum virtutes ab initio hac ratione detectas fuisse, immo sic detegi debuisse; experimenta tamen ad promovendam Artem Medicam non sufficere profitetur, nisi per cognitionem Oeconomix animalis dirigantur. Sine hac istam Medico parum prodesse, multis exemplis confirmat. Veram curandi methodum non expectandam, nisi ubi Physiologia & historia morborum perfecta fuerit. Quoniam vero œconomiam animalemb res naturales alterant, Physicæ quoque studium Medico necessarium pronunciat. Dolet tamen, quod Medici hæctenus Physicæ veræ plerumque ignari principiis fictis pathologiam superstruxerint. Ut itaque tramite certiore progrediatur, talia in explicandis secretionibus animalibus principia assumit, quorum veritatem experimenta comprobant. Si sanguinem per microscopia contueamur, globuli rubri fluido limpido innatantes, & instar spherularum Mercurialium in unum majorem coalescentes observantur. Similiter in sero particulæ mole ac figura inter se differentes & alteri fluido limpido innatantes oculo armato exhibentur, quæ tamen ægre coalescunt, nisi pars limpidi evaporetur. Particularum coalescentia



lescentia fieri nequit, nisi una alteram propius accedat, aut duæ sibi mutuo occurrant, in amplexum quasi mutuum ruentes. Ad hunc motum producendum requiritur aliqua vis, quam *attractivam* vocat, quia ut magnes ferrum, ita una particula alteram ad se trahit. Assumit itaque minimas corporum moleculas se mutuo attrahere, atque hinc particulas a fluido separari non posse, si ab eo magis quam a se invicem attrahuntur. Vis hujus attractivæ primum inventorem laudat Fratrem suum, Introductione ad veram Physicam orbi erudito ex his etiam Actis notum, & illam cum eo causam omnis cohæisionis statuit, nec ab ullo negari posse ait, qui experimenta & rationes a summo *Newtono* suppeditatas in Quæstionibus editioni Latinæ Opticæ suæ annexis expendit. Quoniam vero experientia loquitur, particulas fluidorum, e. g. Mercurii diversis viribus se mutuo attrahere pro diversa earundem mole ac distantia; leges virium attractivarum in exiguis corporum moleculis demonstrat, quot præsentis ipsius instituto sufficere existimat, reliquas cogniturum ad Transactiones Anglicanas relegans, in quibus a Fratre ipsius propositæ leguntur. Sunt scilicet vires attractivæ in ratione majore, quam est reciproca duplicata distantiarum; soliditati particularum proportionales existunt; attractio in contactu infinite major, quam in quacunque assignabili distantia; si in contactu vis attractiva non infinite major vi gravitatis, eadem infinite minor in assignabili quadam a puncto contactus distantia existit; nunquam in puncto contactus infinite major vi gravitatis existit, atque hinc in determinata quadam ab eodem puncto distantia evanescit; si eadem particularum soliditas, non moles, figura tamen gradus attractionis variat; si particulæ fluido innatantes magis se invicem attrahant, quam particulæ ipsius fluidi, vis qua in occursum mutuum ruunt, æquatur excessui vis attractivæ ipsarum supra vim fluidi attractivam; si illæ magis a fluido quam a se invicem attrahantur, a se invicem discedunt vi differentiæ inter attractionem mutuam & attractionem fluidi æquali; quo major est contactus, eo major est ceteris paribus particularum se mutuo attrahentium cohæsiō; si corpuscula mutuo attrahentia fuerint elastica, major vel minor pro diversitate graduum elasticitatis & virium attractivarum produciatur motus

intestinalis;



intestinus; denique si particulæ se mutuo in fluido attrahentes moveantur, five celeri, five tardo, æquabili tamen motu progressivo, eadem ratione se mutuo attrahunt, ac si fluidum quiesceret; sed inæqualis particularum velocitas earundem attractionem admodum turbat. Per has leges explicat, quomodo secretiones formentur, antequam per glandulas separentur. Ut autem particulæ singulis secretionibus propriæ se mutuo attrahere valeant, particulæ sanguinis crassiores in subtilissimas dividendæ sunt: id quod ope respirationis in pulmonibus fieri evincit, calculo Analytico ingenioso vires determinans, quibus aer ex pulmonibus ejicitur. Vesicæ porcelli madefactæ, quam aer ex pulmonibus uno expirationis actu ejectus explere poterat, orificio tubulum infixit, cujus diameter erat  $\frac{1}{8}$  unius digiti & aerem inspiratum per eandem a pondere 2 librarum 4 unciarum intra 25 minuta secunda expelli iterato experimento didicit. Sit jam illud pondus 36 unciarum =  $P$ , diameter tubi =  $O$ , tempus 25 secundorum =  $T$ , vis qua aer ex pulmonibus ejicitur =  $x$ , diameter aperturæ laryngis (quæ ordinariè  $\frac{3}{8}$  unius digiti deprehenditur) =  $o$ , tempus unius expirationis actui destinatum (quod communiter  $1\frac{1}{4}$  unius secundi, five  $\frac{1}{4}$  25 observatur) =  $t$ : erit  $P:x = t^2 o^2 : T^2 O^2$ , quoniam ex hydraulicis constat, si eadem fluidi quantitas per tubos inæquales argetur, vires, quibus ejicitur, esse inter se in ratione reciproca composita duplicata temporum & orificiorum tubi. Habetur itaque  $x = PT^2 O^2 : t^2 o^2 = (36, 625, 0.1) : 1.5625, 0.9 = 225 : 0.140625 = 1600$  unciis, = 100 libris. Quoniam actiones & reactiones æquales sunt, tantam quoque esse pressuram aeris in pulmones inter inspirandum irruentis infert. Jam cum aeris gravitas per fidem baroscopiorum decima sui parte minui, hoc est, 10 libris minor evadere debet. Immo quoniam gravitate aeris imminuta expirationes minori temporis spatio absolvuntur, majus adhuc decrementum esse debet, ut adeo nullum sit dubium, sensibilem esse variationis ponderis atmosphærici in respirationem asthmaticorum influxum. Particularum hac ratione divisarum attractio impeditur, quod motus sanguinis in vasis cylindricis ac conicis circum axem velocior, quam juxta latera, quodque præterea motus intestinalis in sanguine producitur, dum tota vi cordis in aortam expul-







Handwritten text, possibly a title or header, located at the top of the page.





fus more fluidorum undiquaque premens arterias dilatat, & ab  
 hujus lateribus elasticis rursus repellitur, qui motus intestinus per  
 elaterem quarundam in sanguine particularum augetur. Prorsus  
 tamen impediri nequit, cum pro diversa a corde distantia motus  
 sanguinis languidior evadat. Unde eleganter rationem reddit  
 Autor, cur aliæ secretiones in majori, aliæ in minori a corde di-  
 stantia contingant & singularia naturæ artificia explicat, quibus  
 velocitatem sanguinis hinc inde in corpore animali minuit, ut se-  
 cretiones in minore a corde distantia absolvi queant. Quodsi me-  
 dicamenta vim attractivam particularum, quæ humores secernen-  
 dos componunt, augeant, secretiones erunt faciliores, celeriores  
 & copiosiores. Dantur adeo medicamenta purgantia specifica,  
 experientia veterum comprobata, sed ob præjudicia modernorum  
 Philosophorum ex mente Nostri perperam rejecta. Ceterum quo-  
 niam corpus humanum est machina, cujus actiones & motus  
 omnes per fluida a sanguine secreta fiunt, cumque secretio omni-  
 um functionum animalium fons existat; ex turbatis secretionibus  
 omnium morborum originem deducendam esse contendit Autor:  
 id quod uno alteroque exemplo illustrat. Per idem principium  
 attractionis explicandas esse porro contendit medicamentorum  
 operationes & totius structuræ corporis animalis rationem reddend-  
 dam. Humorum exposita ratione formatorum per glandulas se-  
 parationem cum *Morlando* ex Transactionibus Anglicanis se-  
 quentem in modum exponit. Cum *Malpighius*, *Bellini* & *Nuck*  
 ostenderint, glandulas esse arteriarum minimarum conglomerata-  
 tiones, earumque orificia circularia existere adeoque nonnisi ma-  
 gnitudine differre monstraverit *Pitcarnius*; illas ingredi possunt  
 omnes moleculæ ipsis minores. Sit itaque AB pars arteriæ eva-  
 nescens. Ex C assurgat glandula seu tubus CK, cujus orificium  
 C certæ tantum molis particulas admittit una cum fluido aqueo in  
 quantaslibet moleculas haud difficulter dividendo. Cum igitur præ-  
 ter particulas humoris secernendi aliæ quoque minores cum fluido  
 aqueo ingrediantur, ut is per ductum excretorium in K secerna-  
 tur, ex tubo CK canales varii subtiliores D, E, F, G exire debent,  
 ob orificiorum exiguitatem nonnisi particulas minores cum fluido  
 aqueo capientes. Qui quantitatem sanguinis in corpore animali

TAB. IX.  
Fig. I.

Ecc

hactenus



hactenus determinare aggressi sunt, vasis majoribus dissectis sanguinem effusum collegerunt. Sed hanc methodum nimis lubricam esse ostendit Noster; neque enim solum major sanguinis effusio, si vasa minora, quam si majora lædantur, cum in posteriori casu animal citius moriatur, quam in priori, circulatione statim impedita; verum etiam in utroque non omnis sanguis effunditur. Aliam igitur eamque multo ingeniosiore elegit, qua quantitatem sanguinis, hoc est, omnis fluidi per totum corpus circulantis determinat. Totum corpus ex meris tubulis compositum, vel sanguine, vel liquoribus ab eo separatis repletis, id quod non modo injectiones Mercurii in vasa, sed & observationes microscopicae (quales complures dedit *Leeuwenhoek*) abunde satis testantur. Immo ipsa etiam ossa ex fibris contexta, quae succo quodam viscoso repleti probat. Peculiaribus igitur viis rationem fluidi ad soliditatem vasorum investigat, venarum scilicet, articularum, nervorum, fibrarum in musculis atque ossibus. In arteriis rationem fluidi ad solidum reperit, ut 17 ad 10, in venis ut 156 ad 10, in fibris musculorum ut 39 ad 10, seu potius ut 4 ad 1, in nervis ut 3 ad 4, in fibris ossium, ut 1 ad 1. In vasis majoribus, quorum diametros metiri datur, comparat aream circuli *Ecdf* cum area annuli *AGBcEdf*, positis enim  $AB = a$  &  $cd = a - b$ , erit ista ad hanc ut  $a^2$  ad  $2ab - b^2$ . Ubi vasa & fibrae minora existunt, quam ut eorum diametros dimetiri liceat; bilance examinavit pondus succo repleta & denuo exiccata. Quoniam vero eorum tunicae tanquam perfecte solidae in assignatis proportionibus considerentur, ipsamet autem non minus ac partes corporis majores ex tubulis sanguine plenis componantur, ideo quoque ulterius in rationem inquiri, quam sanguis in istis ad solidas partes habeat, eamque reperit ut 17 ad 10. Evincit tandem, quod si corpora componantur ex vasculis, quorum tunicae rursus ex aliis, & horum tunicae denuo ex aliis atque ita porro componantur, corpuscula animalculorum in semine crescere sine ulla ad partes solidas accessione. Suppositum istud cum experientia confirmet, nec de conclusione inde illata dubitari poterit, atque hinc confirmatur, quod *Samuel Clark* ad comprobandam possibilitatem resurrectionis ejusdem numero corporis recte assumat, solidas corporis partes

TAB. IX.

Fig. 2.



non esse, nisi prima stamina, ut adeo verendum non sit, quandam hujus corporis partem fieri partem alterius. Quodsi autem ab istis vasculis, ex quibus fibrarum tunica componantur, abstrahatur; ex iis, quæ clarissime ab Autore demonstrata sunt, fluida in corpore animali ad solida sunt ut 39 ad 10. Velocitatem absolutam sanguinis in aorta determinaturus supponit (quod a *Keilio* in *Introduct.* ad veram *Physicam* p. 114 demonstratum) velocitatem, qua fluidum motu æquabili per aliquod orificium effluit, esse æqualem velocitati corporis, quod spatium describit ejusdem magnitudinis cum cylindro, cujus basis æquatur orificio, soliditas vero quantitati fluidi effluentis eodem tempore. Quoniam adeo cor intra minutum octies contrahitur, & singulis contractionibus sanguinis unciam unam, hoc est,  $\frac{1}{100}$  in aortam expellit, erit quantitas sanguinis intra minutum expulsi 80 unciarum, h. e. 132 digitorum &  $\frac{72}{100}$  unius digiti. Porro diametrum aortæ in viro mediocris staturæ reperit 0.73 unius digiti. Est ergo orificium 0.4187 unius digiti quadrati, per quod quantitas sanguinis 132.72 divisa exhibet spatium, quod unius minuti intervallo intra aortam sanguis decurrit, 316 digitorum, sive 26 pedum. In experientia superiori non habita fuit ratio diastoles, quæ cum dimidium temporis spatium, quo 80 uncia sanguinis ejiciuntur, sibi postulet, velocitas sanguinis erit modo inventa duplo major, hoc est ea, qua intra minutum 52 pedes emetiri licet. Quodsi quantitas sanguinis durante una systole ex corde egressi uncia major existat, major quoque velocitas sanguinis erit. Quoniam ramorum ex aorta procedentium sectiones in unam summam collectæ excedunt sectionem trunci, velocitas sanguinis decrescit numero ramorum crescente. Autor itaque ulterius inquit, quanta sit velocitas sanguinis in ramis. Invenit autem celerrimum motum sanguinis in aorta esse ad tardissimum in ultimis ramulis in ratione majore quam 1000 000 000 000 000 000 000 000 000 000 000 000 000 ad 1. Prolixior vero est calculus perquam ingeniosus, quam qui huc transcribi possit. Inde autem statim consequitur, multum temporis spatium requiri, antequam medicamenta sanguinem alterantia cum tota ipsius massa permisceantur. Hinc si alteratio per aquas minerales fieri debet, non in magna eas hauriri debere



quantitate monet, sed modice per longius temporis intervallum, ut cum integra massa sanguinis permisceri queant, ne œconomia animalis perturbetur, dum in glandulas, quæ a vasis amplis arterias immediate recipiunt, justo copiosiores devehuntur. Dum denique de motu musculorum agit, in calculo sequitur celeberrimum *Johannem Bernoullium*, cujus de hoc argumento meditationes leguntur in Actis A. 1694 p. 200 & seqq. Quod vero *Bernoullius* de aere intra sanguinem sese expandente p. 201 supponit, ipse ex sua attractionis theoria demonstrat. Nimirum cum particularum sanguinis vis attractiva multo major gravitate ipsarum existat, aeris intermediæ molculæ mire comprimuntur, sicque earundem elater valide intenditur. Spiritus animales sunt fluidum, ex subtilissimis particulis constans. Ergo per ea, quæ *Newton* in Principiis Philosophiæ Naturalis Mathematicis de radiis luminis demonstravit, maxima omnium in corpore animali particularum vi attractiva pollent. Quamobrem ex nervis in vesiculas fibrarum carnearum delati sanguinis intus contenti particulas magis attrahunt, quam a se mutuo attrahuntur, sicque sanguinem dividentes aeri intus hospitanti sese expandendi locum concedunt.

*DE NOVA ACCELERATIONIS LEGE, QUÆ  
gravia versus terram feruntur, suppositis Motu diurno  
terræ & vi gravitatis constanti; Autore JACOBO  
HERMANNO, Patavii Publico Mathem.  
Professore.*

**P**ereleganter a Celeb. Dn. Varignonio in Actis Acad. Reg. Paris. 1707 p. 14 sqq. Ed. Holl. observatum atque demonstratum extat, quod Galilæi Hypothesis accelerationis gravium, qua spatia æqualibus temporibus transmissa progrediuntur secundum seriem numerorum imparium, in Geometrico rigore subsistere nequit cum diurno terræ motu. Ex tribus enim suppositionibus *vis gravitatis constantis*, qualis a Galilæo supponi debuit, *motus diurni Telluris*, & *accelerationis gravium Galileana*, datis quomodocunque duabus, tertia necessario excluditur. Nam positis secunda & tertia, Dn. Varignon citato loco demonstravit primam locum amplius non habere posse. Nunc vero ostendetur, tertiam



ex recensitis suppositionibus destrui prima & secunda simul sumtis. Constans enim vis gravitatis non eosdem acceleratos motus gignere potest in corporibus ad terram in gyrum adiam accedentibus, quos produceret circa eandem terram sed immobilem: in hanc enim corpora integra vi gravitatis ubique urgentur; ubi vero terra circa centrum revolvitur, corpora etiam circa eam posita aut in vortice ejus constituta motum hunc revolutionis participant, & conatus ideo centrifugos sortiuntur, quandoquidem omne corpus in circulo revolvens conatum habet a centro recedendi. Hi ergo conatus centrifugi corporibus inesse debent, quæ motui terræ involvuntur, & quia gravitatis conatibus contrarii sunt, aliquid de gravitatis vi detrahent. Gravitas ergo non integra sua vi corpora ad descensum urgere potest, ut fieret terra existente immota, atque ideo non ea nascetur accelerationis lex, quam Galilæus gravibus assignavit; sed alia, quam sequentibus determinabimus, & quia nusquam animadvertam vidimus, *novam accelerationis legem* appellavimus. Hanc ex modo memoratis principiis & utilissimo theoremate Mechanico jam passim noto atque ab inventore suo Illustri Newtono & Cl. Varignonio diverse demonstrato facile deduco: ne vero eximiorum horum Virorum demonstrationes aliunde petendæ sint, laudati theorematis demonstrationem linearum facilem atque iis etiam intelligibilem subjungam, qui ultra Euclidem parum adhuc sapiunt. Brevitatis & perspicuitatis gratia duas sequentes præsterno Definitiones.

II. Def. I. Si ordinatæ  $AA, B_1, C_2, D_3$  curvæ  $ABCD$  ad **TAB. IX.**  
axem  $AV$  exponunt vires, quibus corpus successive in linea  $AV$  **Fig. 3.**  
descendens urgetur, in punctis  $A, 1, 2, 3,$  &c. lineam  $ABCD$ , sive  
curva sit sive recta, *Lineam Virium* deinceps nominabimus.

Def. II. Si ordinatæ  $1G, 2H, 3I$  lineæ cujusvis  $AGHI$  exponunt celeritates acquisitas in punctis  $1, 2, 3$  post descensum corporis ex puncto quietis  $A$ , linea hæc  $AGHI$  vocabitur: *Linea Velocitatum*, quæ eundem axem  $AV$  habere intelligitur cum curva virium  $ABD$ .

III. Theorema. *Area lineæ virium* ( $AAB_1, AAC_2, AAD_3$  &c.) *sunt in duplicata ratione ordinatarum lineæ velocitatum* (seu ut  $\square 1G, \square 2H, 3I$ ) *ordinatis* ( $B_1, C_2, D_3$ ) *lineæ virium in directum positarum.* **Fig. 3.**



Per punctum A rectæ AV ducta sit AB cum ordinata AA ad O producta angulum semirectum RAO faciens, & per puncta B, C, G, H, I agantur BE, CF, PK, QL, RI parallelæ axi AV, nec non PS, QT æquidistantes rectæ AO. Eruntque AM, AN, AO æquales MP, NQ, OR.

Ponamus spatia indefinite parva 12, 23 æqualibus tempusculis æquabili cum motu a gravi percurri, eritque KH augmentum celeritatis, quod tempusculo descensus per 12, velocitati 1G accessit, & LT augmentum, quo augetur eodem tempusculo celeritas 2H. Hæc vero celeritatum augmenta sunt inter se ut vires generatrices B<sub>1</sub>, C<sub>2</sub>. Est ergo B<sub>1</sub>:C<sub>2</sub> = KH:LI vel = MN:NO. Spatia vero 12, 23 æqualibus temporibus descripta sunt, ut celeritates 1G, 2H quibus percurruntur. Unde 12:23 (= 1G:2H) = AM:AN = MP:NQ, & ducendo has duas proportiones in se mutuo, erit □ E<sub>1</sub>:□ F<sub>2</sub> = □ MS:□ NT & permutando □ E<sub>1</sub>:□ MS = □ F<sub>2</sub>:□ NT, est ergo quodvis □tum E<sub>1</sub> ad homologum □ MS in ratione data seu constante; atque ideo omnia rectangula F<sub>2</sub>, E<sub>1</sub> &c. quæ tandem in figuram AAD<sub>3</sub> desinunt minuendo spatia 12, 23 in infinitum, sunt ad omnia rectangula MS, NT &c. quæ in triangulum AOR desinunt, hoc est, figura AAD<sub>3</sub> ad triangulum AOR in eadem illa constante ratione, sicque in aliis, hoc est RAB<sub>1</sub>:△AMP = AAC<sub>2</sub>:△ANQ = AAD<sub>3</sub>:△AOR &c. & permutando; AAB<sub>1</sub>:AAC<sub>2</sub>:AAD<sub>3</sub> = △AMP:△ANQ:△AOR = □ AM:□ AN:□ AO = □ 1G:□ 2H:□ 3I. Sunt ergo areæ AAB<sub>1</sub>, AAC<sub>2</sub>, AAD<sub>3</sub> inter se in duplicata ratione ordinatarum lineæ velocitatum 1G, 2H, 3I. Q. E. D.

TAB. IX.  
Fig. 3.

IV. Si loco curvæ ABCD recta XZ parallela ad AV est linea virium, loco arearum AAB<sub>1</sub>, AAC<sub>2</sub>, AAD<sub>3</sub> &c. nascuntur rectangula XB<sub>1</sub>, XE<sub>2</sub>, Xm<sub>3</sub> (per præced. §.) proportionalia quadratis ordinatarum 1G, 2H, 3I lineæ velocitatum AGHI. Et quia dicta rectangula sunt inter se ut bases XB, XE, Xm vel ut harum æquales A<sub>1</sub>, A<sub>2</sub>, A<sub>3</sub> &c. erunt ergo hæc abscissæ in duplicata ratione ordinatarum 1G, 2H, 3I &c. quod indicat *curvam AGI seu lineam Velocitatum Parabolam esse*, & velocitates acquisitas in 1, 2, 3 &c. in subduplicata ratione spatiorum A<sub>1</sub>, A<sub>2</sub>, A<sub>3</sub> &c. Plane

ut



ut Galilæus determinavit, supponendo, ut hic fecimus, *gravitatem vim constantem esse*, quam per distantiam AX parallelarum AV & XZ hoc loco designavimus.

V. Si linea virium est recta ABD transiens per A : linea velocitatum AGI (quæ semper transit per punctum A, unde corpora decidere ponuntur) quoque recta erit. Nam triangula similia AB<sub>1</sub>, AC<sub>2</sub>, AD<sub>3</sub> vel iis proportionalia quadrata abscissarum A<sub>1</sub>, A<sub>2</sub>, A<sub>3</sub> sunt ut quadrata ordinatarum 1G, 2H, 3I, atque adeo ipsæ abscissæ A<sub>1</sub>, A<sub>2</sub>, A<sub>3</sub> ordinatis 1G, 2H, 3I sunt proportionales, unde *linea velocitatum AGI est recta*, & celeritates acquisite in punctis quibusvis 1, 2, 3 sunt ut altitudines A<sub>1</sub>, A<sub>2</sub>, A<sub>3</sub> &c. Quæ esset Baliani hypothesis. Sed non observasse videtur hic Autor, quod descensus corporum in hac hypothesis impossibiles sint. Nam si corpus in puncto A descendere incipit & velocitates acquisite se habent ut spatia a quiete decursa, linea virium est recta ABD transiens per initium A descensuum. Et quia ordinata lineæ virium nulla est in A, corpus in hoc puncto existens considerari debet, ac si gravitatis omnis expers esset, cum igitur in A nulla vi ad descensum urgeatur, descendere non poterit. Sed ponamus tamen cum Baliano, dato tempore quovis finito grave cecidisse ex A usque ad 1, motumque proseguendo uno v. g. minuto secundo temporis emensum esse spatium 12, atque pari tempore ex 2 pervenire in punctum 3. Hisce positis ostendi potest, quod tres lineæ 3A, 2A, 1A in continua sunt proportione. Nam si spatia 12, 23 æqualibus tempusculis percurrenda infinite parva ponuntur, spectari possunt, ac si motibus uniformibus cum velocitatibus A<sub>1</sub>, A<sub>2</sub> transmitterentur, quo casu spatia erunt ut celeritates, hoc est  $23 : 12 = A_2 : A_1$  & permutando ac componendo  $A_3 : A_2 = A_2 : A_1$ . & sic continue proportionales erunt A<sub>3</sub>, A<sub>2</sub>, A<sub>1</sub>, cujuscunque magnitudinis sit 12 vel 23, dummodo ambo hæc spatia pari tempore a cadente mobili ex A absolvantur. Constituant igitur termini 3A, 2A, 1A, eA progressionem Geometricam descendentem in infinitum continuandam, cujus tamen ultimus terminus nunquam = 0 fieri potest, vel quod eodem recidit, nullus erit ultimus terminus, differentiarum vero quorumvis contiguorum progressionis terminorum nempe 32, 21, 1e &c. erunt inter se ut 2A, 1A,



$1A, eA$  &c. unde hæ differentiæ etiam constituent progressionem Geometricam descendentem, cujus summa perpetuo minor erit quam  $A_3$ , nam hæc summa semper æqualis est differentiæ  $3n$  inter primum terminum  $3A$  progressionis prioris  $3A, 2A, 1A, eA$  &c. & ultimum  $nA$ , hicque ultimus terminus nunquam fieri potest  $= 0$ , idcirco  $3A - nA$ , hoc est, summa differentiarum  $3, 2, 1, e$  &c. usque in infinitum semper minor existet quam  $3A$ . Jam cum unusquisque terminorum  $3, 2, 1, e$  uno minuto secundo percurritur & hæc spatia numero infinita continentur in  $n_3$  minore quam  $A_3$ , spatium totum  $n_3$  & a fortiori  $A_3$  non nisi tempore infinito, hoc est, nunquam percurri potest, quantumvis parvum id ponatur. Atque sic ex eo quod corpus ex  $A$  in  $I$  delapsum esse posuimus, conclusimus directo argumento, nunquam eo pervenire posse.

Fermatus etiam demonstrasse dicitur a Gastone Pardies in præf. suæ Staticæ, æternitate opus esse corpori ad cadendum per unius tantum pedis altitudinem, sed Fermatianam demonstrationem nusquam mihi videre contigit, neque ea, quæ, eodem referente Pardies, in defensionem Balianæ hypotheseos adduxit Lalo-verius, quem tamen lapsum esse suspicor, cum fictam Baliani accelerationis legem tueri conatus est. Plura de Baliani opinione circa descensus gravium videri possunt in Blondelli libro Gallico, *l' Art de Jetter les Bombes*, Part. IV Lib. II Cap. 8 & 9.

TAB. IX.

Fig. 3.

VI. Si linea virium est recta  $Xk$ , quæ sursum producta cum  $VA$  concurrat in  $f$ , supra initium descensus corporis in  $A$ ; per  $S. III$  erunt trapezia  $Axg_1, Axh_2, Axk_3$ , &c. quæ inter se sunt ut  $\square f_1 \rightarrow \square fA, \square f_2 \rightarrow \square fA, \square f_3 \rightarrow \square fA$ , hoc est, facta  $uf = fA$ , ut rectangula  $u_1A, u_2A, u_3A$  &c. quadratis ordinatarum  $1G, 2H, 3I$  proportionalia atque adeo rectangula  $u_1A, u_2A, u_3A$  sunt in duplicata ratione ordinatarum  $1G, 2H, 3I$  &c. id quod indicat, *lineam velocitatum AHI* hoc casu *Hyperbolam esse*, centrum in  $f$ , & semilatus transversum  $fA$  vel  $fu$  habentem.

Fig. 5.

VII. Tempora vero, quibus spatia  $A_1, A_2, A_3$  percurri debent, sunt inter se ut sectores hyperbolici  $AfG, AfH, AfI$ . Producantur enim particulæ curvæ indefinite parvæ  $HG, IH$  in  $h$  &  $g$  atque ex centro hyperbolæ  $f$  demittantur in tangentes productas  $Hg, Ig$  perpendiculares  $fh, fg$ . Jam tempus descensus per

12 est



12 est ad tempus per 23 ut 12 : 1G ad 23 : 2H. Ex natura vero hyperbolæ est  $f_1, 12 : 1G = K$  &  $f_2, 23 : 2H = LI$ ; unde  $12 : 1G = KH : f_1$  &  $23 : 2H = LI : f_2$ .  $(12 : 1G) : (23 : 2H) = (KH : f_1) : (LI : f_2) = KH, f_2 : LI, f_1$ . Sed propter tangentes per 37 *lib. 1 Apoll.* est  $1f, fq = \square fA = 2f, fp$ , adeoque  $f_1 : f_2 = fp : fq$ . Unde  $KH, f_2 : LI, f_1 = KH, fq : LI, fp$ . Et quia  $\triangle\triangle GHK, fhq$  &  $HLI, fgp$  similia sunt, erit  $GH : KH = fq : fh$  &  $KH, fq = GH, fh$ , atque propter  $HI : LI = fp : fg$ ;  $LI, fp = HI, fg$ . Erit ergo  $12 : 1G = 23 : 2H (= KH, f_2 : LI, f_1 = GH, fh : HI, fg) = 2 \triangle fGH = \triangle fHI = \triangle fGH : \triangle fHI$ . Ergo tempus per 12 ad tempus per 23 se habet ut triangulum  $fGH$  ad triangulum  $fHI$ . Idcirco tempora, quibus spatia  $A_1, A_2, A_3$  percurruntur, sunt ut sectores  $fAG, fAH, fAI$  &c. Q. E. D.

Hisce omnibus instar lemmatum præmissis, ad rem veniendum est.

VIII. Referat Circulus RTS planum æquatoris terrestris, per cuius centrum V & quodvis circumferentiæ punctum R ducta intelligatur recta indefinita VRf. Jam quia constat gravia in lineis ad horizontem perpendicularibus versus terram ferri, omne corpus, quod in R cadere debet, per lineam AR ut descendat, necesse est. Fingamus jam æquatorem circa centrum V æqualiter rotari secundum ordinem literarum RTS, hocque motu revolutionis secum abripere rectam Vf, quam corpora in punctum R cæsura perlabi debent. Dum autem gravia lineam AR decurrunt, manifestum est duplici motu eadem latum iri, motibus nempe circularibus circa centrum V & rectilineis versus idem centrum. Quoniam vero omnes circumferentiæ, quas puncta singula rectæ Vh describunt, uno eodemque tempore viginti quatuor horarum describuntur, motus corporum circa centrum V sunt ut distantiae eorundem a centro motus V; sed nullum corpus in circumferentia circuli moveri potest, quin simul a centro ejusdem circuli discedere conetur, sic etiam gravia quamdiu motu diurno telluris simul abripiuntur tales conatus centrifugos habebunt, qui erunt inter se ut radii circulorum, quos gravia decurrunt; hoc est, si grave successive existens in punctis h, f, A, B, &c. moveatur in circumferentiis hh, ff, aa, bb &c. conatus centrifugi corporis in his

TAB. IX.  
Fig. 4.

Fff

circulis



circulis erunt ut radii  $Vh$ ,  $Vf$ ,  $VA$ ,  $VB$  &c. juxta demonstrationes Cel. Virorum, Hugonii, Newtoni, Marchionis Hospitalii aliorumque, quia celeritates in dictis circulis, ut dictum est, sunt iisdem radiis proportionales. Ducta intelligatur in definita  $Th$  parallela  $Vh$  circulum  $RGT$  in puncto  $T$  tangens, & alia  $RH$ , quæ eundem circulum tangat in  $R$ , in qua sumpta  $QP$ , quæ sit ad totam  $QR$  ut vis centrifuga in  $R$  ad gravitatem, jungantur puncta  $T$  &  $P$  linea indefinita  $Tl$  rectam  $Vh$  secans in  $f$ , & denique per puncta  $h$ ,  $f$ ,  $A$ ,  $B$ ,  $V$  agantur  $lk$ ,  $fg$ ,  $AY$ ,  $Bt$ ,  $VT$  parallelæ ad  $RH$ . Quoniam  $PQ$ ,  $Kt$ ,  $XY$ ,  $fg$ ,  $lk$  radiis  $VR$ ,  $VB$ ,  $VA$ ,  $Vf$ ,  $Vh$  sunt proportionales, &  $PQ$  exponit conatum centrifugum in circulo  $RT$ , reliquæ  $Kt$ ,  $XY$ ,  $fg$ ,  $lk$  exponent conatus centrifugos in circulis respectivis  $bb$ ,  $aa$ ,  $ff$ ,  $hh$ . Atqui omnis conatus centrifugus contrarius est conatui gravitatis: non integra ergo gravitas corpora ad terram urgere potest, sed tantum pro excessu, quo conatum centrifugum superat, sed si hic major fuerit gravitate, tantum abest ut corpus ad tellurem accessurum sit, ut potius a terra aufugere debeat. Si nempe corpus sit in  $h$ , ubi  $lk$  est vis centrifuga & major quam  $hk$  gravitas, recedet corpus in  $h$  a centro  $V$ , vi expressa per  $lh$ , seu excessum, quo conatus centrifugus  $lk$  excedit gravitatem  $hk$ .

IX. Sed corpus in puncto  $f$  collocatum, vel ad distantiam  $Rf$  a superficie terræ 487997638 perticarum Rhinlandicarum, ubi conatus gravitatis præcise æqualis est conatui centrifugo  $fg$ , plane descendere non potest, cum vis gravitatis destruat vi contraria, qua mobile circulum  $ff$  decurrens recedere conatur a centro  $V$ . Adeo ut corpora in puncto  $f$  non aliter considerari debeant ac si gravitate carerent. Idem docet linea virium, quæ est  $fT$ , cujus ordinata in puncto  $f$  nulla est, nam omnes reliquæ ordinatæ  $AX$ ,  $BK$ ,  $RP$  exprimunt vires quibus gravia in locis  $A$ ,  $B$ ,  $R$  &c. urgentur.

X. Ergo, si grave positum est in aliquo puncto  $A$  inter  $f$  &  $R$ , linea virium, ut modo dictum est, existente  $XT$ , (per §. VI) linea velocitatum  $AGH$  fiet *Hyperbola*, cujus centrum in  $f$ , & semilatus transversum erit  $fA$ . Unde celeritas acquisita in  $B$ , post lapsum mobilis per spatium  $AB$ , erit ad celeritatem acquisitam in  $R$ , ut ordinata hyperbolæ  $BG$ , ad ordinatam  $RH$ . Et (per §. VII)

Tempus,



Tempus, quo percurritur AB ad tempus per AR se habet, ut sector hyperbolicus FAG ad sectorem FAGH. Sed existente FA infinita hyperbola AGH in Parabolam abit, eruntque velocitates acquisitæ in B, R in subduplicata ratione spatiorum AB & AR. Dictæ celeritates adhuc erunt in subduplicata ratione spatiorum AB, AR si hæc incomparabiliter minora fuerint semilatera transversa FA. Jam si RA ponatur 2000 perticarum Rhinlandicarum, quæ forte maxima est a terra distantia, in qua experimenta circa gravium descensus capi possunt, erit FA 4877995638 earundem perticarum, unde cum 2000 & a fortiori minores numeri nullam sensibilem proportionem habeant ad 4877995638, idcirco etiam suppositis motu diurno telluris & constante vi gravitatis, celeritates erunt in subduplicata ratione altitudinum: ut Galilæus docuit.

XI. Determinatis motibus, quibus gravia in lineis ad centrum terræ vergentibus cadere debent, non difficile esset lineam describere, quam corpus duobus motibus, uno diurnæ revolutionis alteroque gravitatis versus centrum, decurrit, ejus tamen constructioni a quovis in hisce rebus mediocriter versato facile invenienda non vacat diutius immorari. Sic plura alia intacta relinquuntur, quæ expendi quoque potuissent. Demonstravimus ergo, quod in Geometrico rigore Galilæi doctrina accelerationis gravium, fundata in constanti gravitatis vi, obtinere non potest in suppositione, terram diurno motu circa axem converti. Spe tamen sua frustrabitur, quisquis hoc fundamento Pythagoricum Systema confutare præsumeret. Nam si Galilæi doctrina a Geometrica *inexacta* tantillum desciscit, error adeo exiguus est, ut nullo humano experimento sensibilis reddi possit, cujus rei ratio ex §. X peti potest. In hisce præterea tantum respeximus ad loca sub æquatore, ubi conatus centrifugus est maximus, nam in aliis locis versus alterutrum Polum vergentibus error multo minor existet.

**GERARDI NOODT JC. ET ANTECESSORIS**  
*de Forma emendandi doli mali, in contrahendis Negotiis admissi, apud Veteres, Liber.*

Lugd. Bat. apud Jo. van der Linden, Jun. 1709, 4.

Plag. 18.

Fff 2

Hunc



C. 1. 2.

**H**unc quoque indefatigabilis ingenii Jcto & toties laudato a Nobis debemus foetum oppido elegantem & percultum. Ne enim Ulpianus circa notionem doli mali sibi contrarius videatur in *L. 7 §. 9 ff. de pact. & L. 1 §. 2 ff. de dol. mal.* unam ait fuisse non modo Galli Aquilii & Servii Sulpicii, sed Labeonis quoque & Ulpiani sententiam, eandem etiam Pedii. Explicari autem tantum Servii mentem, non refelli. Nam nec Paulum improbare Labeonem in *L. ult. ff. si serv. vindic.* ubi dicit, *immo puto, idcirco id falsum esse*; eandem enim mentem tribuere ipsum Labeoni in *L. 10. ff. de serv. pred. rust.* Rem ipsam ingressus existimat, celebrem illam doli mali distinctionem, causam dantis contractui b. f. & incidentis, nullo Veterum liquere testimonio, nec notam ejus vel vestigium in toto Juris corpore reperiri. Neque etiam ostendi posse, cur illa magis in contractibus b. f. quam stricti juris adhibeatur. Etiam illum dolum, qui in perficiendo contractu circa rem aut pretium consistit, causam dare contractui. Naturalem autem rationem non facere contractus alios b. f. alios stricti juris. Deberi ergo discrimen illud foro Romano: in quo dolus malus, etsi apud bonos viros ratione improbaretur, non magnopere tamen vindicabatur in stricti juris contractibus, ante præturam C. Aquilii Galli, qui primus doli mali actionem exceptionemque in Edicto proposuerit. Sed quia hæc multis parum perspicua, pluribus falsa atque absurda videri possent, ex Cicerone ostendit, Aquilium illum protulisse judicium de dolo malo, & formulas. Et post Edictum hoc ita jus dixisse prætorem, ut in contractu stricti juris reo exceptionem doli permitteret adversus actorem, & actionem præterea, si ipse a nemine conveniretur, de dolo malo. *L. 36 ff. de V. O. L. 5 C. de inutil. stipul.* Sic igitur bonam fidem in stricti juris contractibus coepisse demum desiderari ex Aquilii Edicto: cum ante non esset necessaria jure civili, nisi stipulatione facta. Injuncta autem illius mentione occurrit locus Varronis de L. L. quem ita de stipulatione Noster exponit, ut ante hoc Aquilii Edictum valuisse etiam existimet, si quis per jocum respondisset interroganti, nisi opponeretur exceptio doli mali. Aliud dicendum in judicio bonæ fidei: ubi hoc ex *L. 5 C. de rescind. vend. & L. 5 C. de in integr. restitut. min.* ita illustratur, ut appareat, unum esse Rescriptum eorundem Impp. ad eundem Ru-

sum.



fum. Et pro *etiam* rectius legitur *enim*: quanquam priorem lectionem sequantur omnes forte, ipsique etiam Græci. Varios deinceps textus juris dilucide sibi sumpsit exponendos, puta *L. 11 §. 5 L. 13 §. 4 & 5 L. 28 ff. de act. empt. L. 4 C. de hered. vel act. vend.* Sed ulteriorem offert decoris ingenii meditandi materiam, & causam explorandi, ex *L. 57 ff. de contrab. empt.* Assentitur enim Ant. Fabro, pauca ibi esse Pauli; a principio scil. usque ad §. 1. *Sin autem & e.* Venditorem enim scientem, domum esse exustam, non posse distinguere, an tota, an pars? utrinque illum esse in dolo, atque ita contractum b. f. ipso jure rescindi. Similiter rescindi, si emptor scierit, ignorantem venditore. §. 2. Quod si uterque scierit partem tantum exustam, stare venditionem; quia neuter læsus sit dolo malo, pretium tamen minui. §. 3. Dispar est ratio in quibusdam rei furtivæ, in *L. 34 §. 3 b. t.* Ceterum in *L. 58 b.* manum Triboniani nemo non agnoscit, salva ratione juris. Jamque porro subtili industria evolvuntur alii textus juris de pignoratitia actione, ac de pignoribus & hypothecis. Et ab iis revertitur Noster ad discrimen contractuum b. f. & stricti juris, & actiones inde ortas, tum vero ad caput & fontem distinguendi dolum dantem causam contractui b. f. & incidentem; nimirum *L. 7 pr. ff. de dolo mal.* Quum enim sedes collocetur vulgo in iis verbis, *aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus est,* delet ea D. Noodtius, ratus, non esse Ulpiani, sed indocti interpretis, qui primum ad marginem adjecerit, deinde ab alio ex margine in ipsius operis contextum fuisse translata. Et hoc quidem a nemine observatum. Et sensum tamen Ulpiani manifestum ac optimum, turbari tantum & foedari per ista. Ecquis vero recitet singula in libro hoc peramœno ingeniose & pulchre allata?

C. 8. 9.

11.

12.

13. 14.

**EXCERPTA E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JC. ad J. B. M.**

Singulæ sane, quas attulit nuper observationes de Dolo malo illustri JC. Gerardus Noodt, diligentiores merentur cogitationes. Statim enim pro *deserviant* legit *deserviunt*, in *L. 1 §. 2 ff. de dol. mal.* ut eo facilius retineatur vox Ciceroni sueta. Is vero eam ubique junxit casui tertio, qui hic deest. Potuitque fieri, ut

C. 1.



C. 2.

ideo *servant & tuentur* scriberetur in quibusdam codicibus, etiam Chevalloniano, Paris. 1527 edito. Videns deinde Noster, Ulpianum eodem loco Labeonis definitionem doli ceu veram laudare, Pedii autem non minus attulisse in *L. 7 §. 9 ff. de pact.* vera, inquit, est definitio Labeonis, non ideo Pedii & Servii falsa, sed sano sensu explicanda. Nam nec Cicero Servium opposuit Aquilio, nec Labeo a Servio recedit, sed eum illustrat. Utique Pedius scripsit post Labeonem, ac retinuit partim verba Servii, partim Labeonis. Recte igitur utrumque potuit laudare Ulpianus. Idem faciunt Græci, πρὸς περιγραφήν ἑτέρας, ac iterum ἐπὶ περιγραφή τινος, ἄλλο τι πράττει καὶ ἄλλο τι προσποιεῖται. Habuit tamen D. Noodtius ante oculos Eunomiam Huberi tum hic, tum ad duo loca Labeonis in *L. 10 ff. de servit. P. R. & L. ult. ff. si serv. vind.* Si enim Labeo retractaverat ipse, quod dixerat, sibi non est contrarius, nec poterat Paulus addere: *imo id falsum est.* Ruffardus igitur & Charondas non rejiciendi hic. Sed simili arte usus est Cujacius ad Paulum. Græci autem maluerunt utrumque locum Labeonis prætervehi, quam alterutrum eludere. Ac præstat, additionem Pauli potius deseri, quam Labeonem; quod Huberus recte fecit. Cardo causæ dirigitur adversus receptas quasdam distinctiones doli, applicatas ad contractus b. f. & stricti juris. Ubi multi pridem dubitarunt, plusne foro antiquo Romano debeant, an disputationibus scholæ. Nullibi autem canon chronicus ea cura collocatur in præturam C. Aquilii Galli; quæ laus propria est D. Noodtii. Vidit equidem Ulr. Huberus, opera Aquilii factum esse, ut adversus dolum quemlibet liceret petere restitutionem. Viderat etiam locum alterum Ciceronis. Et ante Huberum Schilterus noster. Sed ante utrumque alii etiam doli definitionem ad Aquilium retulerunt: D. Noodtius autem longe plura e testimoniis Ciceronis eruit. Addo, regnum quoddam judiciale eidem Gallo tribui *Lib. 1 ad Attic.* Neque tamen caret dubitatione, an verba Ciceronis *de Nat. Deor. lib. 3 cap. 30 & de Offic. lib. 3* pertineant ad contractus stricti juris, ex intentione scriptoris, & præterea Galli Aquilii? Tum vero, an Edictum, quod exhibet Ulpianus *L. 1. D. de dol. mal.* sit illius Aquilii? quod non affirmavit D. Noodt, meminitque c. ult. Cassii Prætoris, velut recentioris. Et

6.

fluctuat



fluctuat Cujacius. Nec plane obscurus est locus Varronis: *qui ad id, quod rogatur, non dicit, non respondet*; quia non responde-  
tur *ad voluntatem rogantis*. Et sic non spondet ille statim, qui  
dixit, spondeo, si jocandi causa dixit: neque agi potest cum eo ex  
sponso; quia sine sponte sua dixit. Denuo Varro: *Et sic neque  
adolescens, qui dicit, sperat, neque illa sperata est*; quia sine spon-  
te dicunt. Ita Paulus in *L. 3 §. ult. ff. de O. & A.* Atque ibi  
hunc eundem Varronis locum congrue primus attulit Charondas,  
deinde Pacius & D. Gothofredus. Jam ad contractus b. f. refert  
Noster ipsum illum locum Ciceronis de Offic. 3 de quo ante. Ac  
dubium est adhuc, an *L. 5 C. de rescind. vend.* inscripta sit Rufo,  
an potius Rufino. Certe in ea non expungam: *venditio est a ma-  
jore XXV annis*. In textu Julii Pauli Lib. 2 Sentent. tit. 17 §. 6  
retinet Noster receptam lectionem: *nisi paratus sit eum redhibere*;  
atque ita interpretatur: nisi malit emptor, redhibito seruo, a tota  
actione recedere. Tentarem, *redhiberi*. Sic enim non mutabi-  
tur persona venditoris in personam emptoris. Ad *L. 57 §. 1 ff.  
de contrab. empt.* potest dici, utique venditorem scientem, utrin-  
que esse in dolo. Ideoque si tota domus sit exusta, non tantum  
nulla est venditio, *l. 15 h.* sed præterea datur emptori actio in id,  
quod interest, se non esse deceptum, ob dolum. Ac sufficit, non  
negari hoc a Paulo. Si quantacunque pars domus remanserit, nul-  
la non est venditio, ex parte venditoris, sed potest adhuc fundari  
in illa parte, (*d. l. 15 h.* quæ itidem Pauli) si ita velit emptor.  
Tunc ergo tenebitur ei venditor & ad rem, & præterea in id, quod  
interest. Potest etiam petere dolum tantum purgari, salvo con-  
tractu. Neque enim putandum, nihil plane actum fuisse; quod  
ex parte emptoris dici nequit. Ad §. 2 dic: repetenda quædam  
ex §. 1, quod Paulus innuit, *simili modo tractari oportere*, si em-  
ptor scierit. Ergo si tota domus exusta, nulla est iterum vendi-  
tio, salva actione, venditorem non fuisse deceptum. *Ἐἰς ὅπερ  
αὐτῶ διεφερε μὴ ἀπρατηθῆναι*, Balsam. L. 2 Eccl. Constit. ex L.  
62 h. Si autem quantacunque pars ædificii remansit, iterum stat  
venditio, & dabitur venditori duplex illa actio, ad omne pretium,  
& in id, quod interest. Ad §. 3 eadem fuit dubitatio Accursii: cui  
respondit Cujacius in Pap. dolum obstare universæ venditioni.

Hic:

c. 6.

7.

9.

11.



C. 14.

Hic demum enim plane nihil actum est utrinque. Ac nemo dixerit, neutrum læsum esse dolo malo. Uterque enim læsus est; quia alter alterum decepit. Qui factum est vero, quod D. Noodtius secutus est lectionem communiter receptam: *Et iudicio stare non concedente*. Chevalloniana: *Et iudicium*. Alibi: *Et iudicio venditionem stare non concedente*. Certe in L. 7 pr. ff. de dol. mal. viscera penitus introspectisse dicendus est. Atque fatendum, nullum ibi vestigium doli incidentis, quod tamen credidit Russardus aliique. Sed nec causam dantis evidens nota occurrit, si retineamus maxime veterem scriptionem. Nam stellulæ Taurelli solam particulam *aut* includunt, non & reliqua. Itaque hoc voluit forte Ulpianus: datur minori actio de dolo in manumissum. Emptor autem, si dolo caret, ex emto teneri non potest, aut, si participes doli est, nulla est ipso jure venditio; quia ab hoc ipso, ut venderet, etiam circumscriptus perinde est, sicut a servo. Et ita restituitur in integrum eo promptius, probato dolo emptoris. Adversus manumissum autem, qua talem, non restituitur. Græci certe tuentur hæcenus, ἢ ἀκυρός ἐστὶν ἡ πρᾶσις, εἰς αὐτὸ τὸ πωλῆσαι γέγονεν ὁ δόλος, *si in ipsam venditionem admissus est dolus*. Sed nihil inde exsculpas, nisi hoc, aut irritam etiam esse venditionem, multo magis, si dolo non careat emptor, salva actione præterea in id, quod interest, non fuisse deceptum minorem: (competit enim hæc, etiam nullo contractu: quo pertinent Cap. 7, 10, 15 dicta) & minor restituitur etiam, si nullus intervenerit dolus malus. Haloandri vero lectio tota est inquinata hic, & summo jure castigatur. Matthæus Blastares denique, dic mihi, ex quo canone deprompserit ista, εἰ δὲ πωλήσει ὁ ἥττων, δύναται τὸ πρᾶθὲν ἀνατρέψαι εἰσω ἐνιαυτῶ μετὰ κέ. ἔτη, ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ κακῶς ἠγόρασεν, ἢ ἐνῆλλαξε, εἰσω τῶ εἰρημένῃ χρόνῃ, *quod si vendiderit minor rem immobilem, (absque Decreto,) potest venditum recuperare intra annum post annos XXV, similiter quod male emit, vel permutavit, intra prædictum tempus*. Syntagm. A. cap. 4. Quod ideo subnectere visum est, quia Blastares fuit Jurisperitus Græcus, & Civilis etiam legis concisa & brevia capitula sacris Canonibus adjunxit, exemplo illorum, qui Canonis nomen etiam Civilibus legibus imposuerunt. Respexit ergo annum utilem, restitutioni in integrum olim præfixum.

ADRIA-



Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 6.




Fig. 7.



Fig. 4.



Fig. 5.





Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.



Handwritten text at the bottom left of the page.



ADRIANI RELANDI DE NUMIS VETERUM  
 Hebraeorum, qui ab inscriptarum literarum forma  
 Samaritani appellantur, Dissertationes quinque. Ac-  
 cedit Dissertatio de Marmoribus Arabicis  
 Puteolanis.

Trajecti ad Rhenum, apud Gul. Broedelet, 1709, 8.  
 Const. II plag. & 6 tabulis æneis.

DE prioribus doctissimi Relandi Dissertationibus, seorsim an-  
 tea editis, in Actis A. 1703 M. Aprili p. 164, & A. 1705 M.  
 Jun. p. 279 diximus: nunc quartam tantum & quintam perlu-  
 strabimus; nam quæ ultima accessit de Marmoribus Arabicis Pu-  
 teolanis, nondum ad nos pervenit. In Dissertatione quarta verba  
 in urna Marmorea, quæ Fabrettus in Inscript. & Philippus a Tur-  
 re in Monumentis veteris Antii legerant: *a libris sacerdot alibus*  
*DEI CARNUNTI*; Noster, præeunte eruditissimo Uilenbrockio,  
 DEF. CARNUNTI, defuncto Carnunti, legenda esse existi-  
 mat. Deinde characteres numerorum Samarit. quos in Dissert.  
 prima שנתא רכד anno 224 legerat, & nos A. 1703 Mense Apr.  
 Tab. I n. 10 expressimus, jam ad laudati Uilenbrockii Cimeliarchi-  
 um admissus, ubi plures ejusmodi numos invenit, שנת שתיים  
 anno secundo interpretatur, prout Cl. Ottius antea legerat. Sic  
 quoque aversam faciem, non uti antea מין sed ציון legendam  
 esse, cum Nicolao Toinardo & Harduino fatetur. Alteram vero  
 figuram, quam Cl. Ottius pro לולב Lulaf habuit, Noster pal-  
 mam esse putat, balanis utrinque dependentibus nixus. Confer  
 Fig. 10, 11, 12 Mensis April. A. 1703. Præterea figuram, quam nos  
 Fig. 10, 11, 12, 14 l. c. repræsentavimus, calicem; alteram vero a no-  
 bis n. 13 expressam, amphoram & mannæ receptaculum referre  
 porro contendit. In Dissertatione quinta eos explicat numos,  
 quibus in una facie חרות *libertas*, in altera שתיים שנת *anno se-*  
*cundo* inscriptum est, observatque, quod prior vox quandoque si-  
 ne ך legatur. His subjungit numum, cujus typum ab Antonio  
 Gallandio acceperat, quiq; in Cimeliis Foucaltianis asservatur. Hu-  
 jus ab una parte est inscriptio שמעון נשיא ישראל *Simeon*  
*Princeps Israelis*. Ab altera parte pampinus est, vel folium ficus,

p. 132.

133.

136.

155.

166.

TAB. X.

Fig. I.



TAB. X.  
Fig. 2.  
P. 168.

aut fructus balsami, ut alii malunt; literas vero detritas legere Noster non potuit. Restituit tamen eas ex opere Bouteriano, ubi in simili legitur לחרות ירושלים *Libertatis Jerusalem*, in alio שאלה שאלה שאלה *anno secundo libertatis Israel* absente 7. Samaritanos sequitur Arabicus numus, in cuius altera facie hæc literæ: VOT. XXX. *Vota tricennalia* leguntur; in altera vero hæc inscriptio Arabica:

الملك العالم العادل فخر الدين تتر السلطان  
بن داود بن ارتق

h. e. *Regis sapientissimi, justissimi, ornamenti religionis Cara Arselan, filii Davidis, filii Artoc.* Hunc Caram Arsalanem nepotem Artoci, teste Herbelotio in *Bibl. Orient.* seculo post Chr. Nat. XII vixisse, annotat. Unde maxima difficultas oritur, quomodo ab altera parte *Victoria Constantini Augusti, vota tricennalia, & nomen urbis Siscia in Pannonia*, ubi cusus est nummus; ab altera tituli *principis Mohamedani* non nisi ad Sec. XII referendi exhibeantur. Cl. Gallandius suspicatur, Mohamedanos numi Constantini typum arte suo more crassiore esse imitatos, quoniam nullum segmentorum conjunctorum indicium, quo fraus illa detegitur, reperitur. Aut quæ conjectura nostri Relandi est, typum sive matricem, ut vocant, invenere Mohamedani, quo ille Constantini numus percussus est, eoque in signanda altera facie usi sunt. Ceterum Muhamedanos Christianorum numis aliam faciem inducere, ex numo Turcico Constantinopoli A. aeræ Moham. 1106, Christi 1694, imperante Mustafa filio Mohamedis cuso, apparet, qui 28 Stuferos Belgicos valet, & præter Arabicum typum, latinas literas, D. G. ROM. IMPER. ut & FLOR. ARG. exhibet. Præterea inscriptionem Panormitanam, quam Fazellus *Comment. de Rebus Siculis* Decade priori L. VIII p. 149 exscripsit, non ad tempora Esavi, sed Arabum referendam esse censet, quod Arabicis illa literis, uti ex collatione cum Puteolanis Inscriptionibus & antiquis numis constat, consignata sit, existimatque haud facile quempiam dicturum, quid ea contineat, quia non integra extet. Sic quoque altera Inscriptio ab homine Syro hoc sensu versa: *Non est alius Deus præter unum Deum. Non est alius potens,*



Fig. 3.  
P. 172.

175.

*præter*





præter eundem Deum. Nec est alius victor, præter eundem, quem colimus Deum. Hujus turris præfectus est Saphu filius Elipbar, filii Esau, fratris Jacob, filii Isaac, filii Abraham. Et turri quidem ipsi nomen est Baych: sed turri huic proxima nomen est Pharrath; non ad Chaldæos, sed Mohamedanos ejusdem judicio reducenda est, quod vel solæ hæ formulæ Mohamedicæ, non est alius Deus, præter unum Deum, Mohamedanis bona verba appellatæ, Fazello persuadere debuissent. Explicat porro numos a TAB. X.




Cl. Gallandio communicatos, quorum primus inscribitur  Fig. 4. Siclus Israelis, & שד i. e. שנת ד' anno quarto; altera facie legitur  Jerusalem Sancta. De

quo iterum monet, quod prioris faciei figura, non mannæ receptaculum, sed calicem referat. De pondere ejus prolixè agit, & ab Eifenschmidio, qui in Disquisitione nova de Ponderibus & Mensuris Veterum, p. 56 Siclum tetradrachmo Attico 64 granis levio-

rem contra Josephum asseruit, discedit. Nam ex Maimon, Jad Chazaka Tom. I Hilcot Schekalim 1, 2 fol. 284 edit. Amstel. ostendit, quod Siclus in primo templo 320 grana, in secundo vero 384 grana valuerit, adeoque Josephus L. III Antiqu. c. 9 Siclum secundi templi Atticas drachmas quatuor continere rectè scripserit. Missis reliquis pauca de numo Hebræorum antiquissimo adde-

mus. Habet ille ab una parte amphoram & has literas  Fig. 5. --- לגא h. e. anno primo liberationis Zionis. Ita enim reliqua

supplenda esse Noster existimat. Ab altera parte corollæ inscriptum fuit  Simeon Princeps Israelis. Tandem occasione duorum numorum, quorum alter cythara, alter tubis duabus signatus erat, de instrumentis Musicis refert, quod

 buccinæ incurvæ ex cornu plerumque arietino:  tubæ ex metallo:  nablia fuerint, quæ 12 chordas (Φθόγγος Josepho) habuerint, digitis utriusque manus pulsandas. Quod & Ovidius docuit:

*Disce etiam duplici genialia nablia palma  
Plectere: conveniunt dulcibus illa modis.*

EMENDATIO LOCI CUJUSDAM S. AUGUSTINI, Lib. VII de Civ. Dei, Cap. XXX, diversimode exhibitæ



*in manuscriptis æque ac impressis codicibus. Qua occasione afferuntur varia Patris hujus, nec non insignis S. Bernhardi locus, de immensa DEI presentia, rite concipienda, ne tamen extensio ipsi tribuatur; Autore Domino CAREL.*

**I**N antiquioribus pariter ac recentioribus Augustini editionibus Lib. VII de Civ. Dei non procula fine \* hæc leguntur verba: *implens cælum & terram presente potentia, non absente natura.* Ubi ad ultima hæc verba *non absente natura* Ludovicus Vives observat, aliter ea reperiri in vetustis manuscriptis, in quibus legatur: *non indigente natura.* Quæ discrepantia impressorum codicum a manuscriptis dubium incertumque animum reddit, quænam vera loci lectio sit, num ut in impressis, an ut in manuscriptis codicibus exhibetur. Ludovicus Vives *in antiquioribus*, inquit, *est non indigente natura;* eo ipso innuens, hanc antiquissimorum manuscriptorum lectionem minus suspectam sibi videri. Benedictini quoque Patres eam prætulere, quia inveniebatur in plerisque manuscriptis & in omnibus editioni ejus adornandæ ipsis interservientibus codicibus. \*\*

Paulo vero accuratius attentiusque rem omnem expendenti suborta est suspicio, utramque lectionem esse corruptam. Nec novum id aut inauditum, in Patrum ecclesiæ scriptis inadvertentia describentium, aut præcipitantia corrigentium unum eundemque locum varie immutatum. Dixerat Augustinus, quod, ut mox ostendam, sæpe & clare alioquin adseruit: *implens cælum & terram presente potentia, non ingente natura,* i. e. non enormi naturæ suæ magnitudine. Contrarium cum durum offensionique obnoxium videri posset, ad minimum eo tempore, quo Metaphysicæ parum expurgata adhuc regnabat, amore & commiseratione Augustini nonnulli adducti, auxiliatrices illi offerre manus, erroremque corrigere, suarum duxerunt esse partium, ut auctoritati ejus apud posteros consulere: quibusdam cautius subtiliusque unicam

\* juxta edit. Froben.

\*\* editi: *non absente*, at omnes MSti: *non indigente*, not. in Aug. de C. D. Lib. VII cap. XXX edit. nov. Paris.



cam modo syllabam adjicientibus, ad declinandum, quem Augustino tribui nolebant, sensum, & pro *non ingente* substituentibus: *non indigente*, aliis apertissime sistentibus Patrem loquentem ea ratione, quam maxime crediderunt oppositam sententiæ, quam rejectam cupiebant: *non absente natura*, pro: *non ingente natura*.

At bonum factum! temeritas veterum horum expurgatorum ad omnia se non porrexit, restantque ejus doctrinæ, quam hac ratione obscuratam voluerunt, alibi vestigia luculentissima. In hoc ipso opere de Civitate Dei, quod per longum temporis intervallum lectioni ordinariæ illorum, qui eruditionis pietatisque laudem affectabant, inserviit, eoque majori periculo ob numerum describentium & correctorum expositum erat, hæc adhuc leguntur verba: *huic, (scilicet Deo,) templum simul omnes, & singulæ templa sumus, quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quam in singulis major, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur.* \* Sic & in Epistola ad Dioscorum idem Hipponensium Præsul scribit: quod Deus non sit substantia diffusively extensa, *Deum non diffundi vel distendi, per locos finitos vel infinitos.* \*\* Sed & in libro Confessionum \*\*\* mentem suam solide atque eleganter explicat: *ego incrassatus corde, nec mihi met ipsi, vel ipse conspicuus, quidquid non per aliquanta spatia tenderetur vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet, aut capere posset, nihil prorsus esse arbitrabar. Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum; nec videbam, hanc eandem intentionem, quas illas ipsas imagines formabam, non esse tale aliquid, que tamen ipsas non formaret, nisi esset magnum aliquid. Ita etiam te, vita vitæ meæ, grandem per infinita spatia undique cogitabam penetrare totam mundi molem, & extra eam quaqua-versum per immensa sine termino, ut haberet te terra, haberet cælum, haberent omnia, & illa finirentur in te, tu autem nusquam. Sicut autem luci Solis non obsisteret aeris corpus, aeris hujus, qui supra terram est, quo minus per eam trajiceretur, pene-*

Ggg 3

trans

\* de Civ. Dei Lib. IV, cap. X. \*\* Ep. CXVIII.

\*\*\* Lib. VII, cap. I.



*trans eum, non dirumpendo, aut concidendo, sed impellendo eum totum: sic tibi putabam non solum cœli & aeris, & maris, sed etiam terræ corpus pervium, & ex omnibus maximis minimisque partibus penetrabile, ad capiendam præsentiam tuam; occulta inspiratione intrinsecus & extrinsecus administrantem omnia, que creasti. Ita suspicabar, quia cogitare aliquid non poteram, nam falsum erat. Sed mitto reliqua Augustini loca ad idem argumentum spectantia, cum hæc, quæ adduximus, sufficiant ad ostendendam convenientiam cum loco Lib. VII de Civitate Dei, secundum eam, quam nos ibi restituimus, lectionem. Non absente natura, ut impressi codices habent, repugnat Augustino, qui non admittit præter præsentiam potentiæ, præsentiam aliquam simultaneitatis & coextensionis, spiritualis Dei substantiæ cum substantiis corporalibus: non indigente natura, ut antiquissimi codices manuscripti Ludovici Vivis Patrumque Benedictinorum habent, frigidum est. Per se enim hoc intelligitur, naturam Dei non esse debilem & indigentem, dum asseruit, eum cœlum & terram præsentia potentiæ implere; neque constitutum hoc Augustino, omnipotentiam divinam cum impotentia falsorum Deorum comparare; sed ideam puram & sublimem supremi entis suppeditare. Repræsentat itaque Deum implentem cœlum & terram præsentia & plenitudine potentiæ; non vero humili quadam corporibusque propria extensione, aut spatio quodam vacuo, quod revera nihil est: implens cœlum & terram præsentia potentiæ, non ingente natura, & hæc quidem sententia plane in hunc locum quadrat, qui sine ea sensu destitueretur, estque Augustino fere propria, quippe cuius subinde & libenter meminit.*

*In libro de quantitate animæ\* Augustinus ex instituto de spiritualitate animæ agit. Docet ibi animam nulla ratione neque longam, neque latam esse, quod hæc sint affectiones modique corporum, secundum quos nos consuetudine quadam velimus de anima judicare: non enim ullo modo aut longa aut lata est anima, - - - corporea ista sunt, & de corporum consuetudine sic animam querimus: qui locus itidem parallelus est isti: implens cœlum & terram præsentia potentiæ, non ingente natura: idque per analogiam,*

\* cap. III.



giam, quæ est inter Deum & animam, in quantum est substantia spiritualis. Bernhardum præterea constat in scriptis Augustini admodum fuisse versatum, is itaque quidquid egregium & subtile de hoc argumento habet, ex eo sumsit. Hoc verba viri hujus pietate non minus quam eruditione insignis testantur, dum *DEUS*, inquit, *æternitas, Deus caritas est, longitudo sine protensione, latitudo sine distensione*; per utramque transcendit tempora & locos, idque per præstantiam & activitatem naturæ suæ, non vero per enormem substantiæ extensionem; *in utroque pariter locales quidem temporalesque excedit angustias, sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ*: \* quæ verba, *libertate naturæ, non enormitate substantiæ*, coincidunt cum istis Augustini: *présente potentia, non ingente natura*.

Sed potestne textus aliquis sine autoritate manuscriptorum restitui? Hoc mihi equidem Martianæus objecit circa voces Græcas mutilatas, quæ in antiquis codicibus manuscriptis Hieronymi extabant, quas quidem voces in nova sua editione Hieronymi restituere Martianæus aggressus est solis conjecturis nixus, cum deessent codices manuscripti. \*\* Idemque post eum Joannes Clericus \*\*\* fecit, qui accuratiorem clarioremque constructionem reddere annisus est. Ego præterea locum Augustini ita restitui, ut sensum convenientem per substitutionem unius syllabæ in locum alterius syllabæ, quæ temporis tractu & rasura quadam formari potuit, redderem. † Interim Martianæus tamen de hac re pronuntiat, hanc libertatem nunquam sibi placuisse, nec a se usurpata, (cum tamen eadem sæpissime usus sit) eo quod hanc sibi indispensablem constituisset legem, autoritatem originalium sequi, & in lectionibus codicum manuscriptorum nihil immutare: †† hinc ad indignationem progressus miseros Criticos vocat, qui nunquam manuscripta legerint, eos scilicet, qui cum norint, egregii & subtilis Critici laudem illi tribuendam, cumque antiquissimi co-

dices

\* *de considerat. Lib. V cap. XIII.*

\*\* *nov. edit. Hieronymi T. I col. 837, 838.*

\*\*\* *Art. Crit. Part. III sect. 1 cap. XIII.*

† *Journal des sçavans MDCC III mens. Aug. p. 510, 511.*

†† *ib. Septembr. p. 559, 560.*



dices manuscripti Hieronymi verba Græca habeant: *addunt hoc loco vetustiora exemplaria*, neutiquam cum illo ex sola præsumptione, & velut enthusiasmo quodam pronuntiant: hæc non esse Hieronymi. \* Martianæus discere hinc poterat, non tantum per codices manuscriptos textus corruptos veterum corrigi, sed per alias etiam regulas, quas recta ratio & ars critica suppeditat. Documento illi esse poterat editio Latina librorum *Confessionum Augustini Domini Dubois*, \*\* in qua autor post elegantissimam Operum Augustini editionem a Benedictinis curatam, plurima absque codicum manuscriptorum subsidio, sola ingenii sagacitate, & eruditione, accurataque sententiarum Augustini cognitione fretus, feliciter correxit. Idem circa Literas Augustini in elegantissima sua translatione præstitit. Nec dubium, quin grato id animo agnitori sint Benedictini Patres, si aliquando novam Operum Augustini editionem susceperint.

Sed ut ad sententiam Augustini, quæ nobis ad veram lectionem in ista codicum manuscriptorum & editionum discrepantia, detegendam usui fuit, revertamur, & coronidis veluti loco hoc adjiciamus: dignum admiratione in Augustino censemus, quod istas mente conceperit ideas, ex quibus Cartesius tantam consecutus est gloriam, ac si primus earum esset inventor. Augustino eas debere Cartesium, non dixerim, cum forte in ejus lectione parum fuerit versatus; fieri tamen potuit, ut in eandem uterque deveniret cogitationem, dum a sensibus & imaginatione abstrahentes, rationis accurate secuti sunt dictamen. Uterque sane bene intellexit, primam maximeque propriam rerum corporalium ideam esse extensionem, unde positio partium extra partes sequitur, itemque impenetrabilitas, & reliqui modi corporum. Contra si per modos substantiarum spiritualium usque ad illarum naturam ascendas, nihil tandem quam simplicitatem & inextensionem deprehendes. Quare & ipsa cogitatio etiam cum circacorporis & extensionem versatur, nihil tamen habet extensionis. Hinc & virtus & sapientia, inquit Augustinus, \*\*\* ex omni parte independens est a parvitate aut magnitudine hominis sapientis. Sic & veritas occupat

\* *ibid.* \*\* impress. Paris. ap. Caignardum A. MDC LXXXVII.

\*\*\* *epist. CXVIII.*



cupat & implet animum absque tamen extensione locati. Quemadmodum itaque in omnibus modis corporum extensio quæpiam reperitur, eo quod a corpore procedentes, naturæ corporeæ sunt participes, ita contra in modis spirituum nulla extensio deprehenditur, quod documento certissimo est, cum natura spiritus nullam extensionem consistere posse. Deus itaque cum existat, creet, cognoscat, gubernet atque conservet omnia, in his omnibus tamen nulla est idea extensionis localis in eo: nisi forte existimaveris, propterea quod producit & cognoscit essentias extensas, eum quoque necessario ut extensum concipiendum esse. Id, quod perinde foret, ac si ea propter quod crearet & cognosceret substantias impenetrabiles, ipsum nos oporteret concipere impenetrabilem: aut quasi nostras perceptiones oporteret esse longas, latas, profundas, quadratas & rotundas, eo quod circa corpora, in quibus ejusmodi dimensiones conspiciuntur, versantur. Opinio, quæ Deo localem aut intelligibilem extensionem attribuit, mysterium continet, quod ratio humana capere nequit, cui, quantum fieri potest, parcendum, ne contra ejusmodi scita insurgat, frenumque mordeat. Enimvero ne substantiæ divinæ, si extensa supponatur, quidquam decedat simplicitati & unitati, neve distributa in partes aut composita ex partibus, quæ vim & præstantiam totius non habent, ad imperfectionem materialium rerum reducatur, fingendum erit, divinam hanc substantiam ita extensam, totam esse in toto, & totam in qualibet parte totius. Sed illa tota in qualibet parte esse nequit, siquidem hæc substantia adhuc in aliis partibus collocetur. Quod profecto non est lucem accendere rationi, sed in gurgitem eandem detrudere, unde emergere nequeat. Juxta Metaphysicam Augustini superari isti scopuli possunt, qui ceteroquin ad incredulitatem aliquem inducere poterant. Sed & secundum sententiam Augustini alterum evitatur extremum, quod est dogma Anthropomorphitarum & Socinianorum de Deo corporaliter circumscripto, & in coelo concluso. Adeo ut possimus concludere verbis Augustini: *num quid nihil est veritas, quoniam neque per finita neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo: imo vero, ego sum, qui sum. Et audivi sicut auditus in corde, Et non erat prorsus unde dubitarem, fa-*



*ciliusque dubitare me vivere, quam non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicitur. \**

TRAITE DE L' ORIGINE DE LA REGALE.

i. e.

TRACTATUS DE JURIS REGALIÆ ORIGINE; Autore CASPARO D' AUDOUL, Parliamenti & Consiliorum Regiorum, nec non Ducis Aurelianensis Advocato.

Parisiis, apud Jacobum Columbat, 1708, 4.

Alphab. 2 plag. 2.

Prostat Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch.

**N**emo, qui vel a limine salutavit Historiam, ignorat, quantas annis superioribus turbas dederit Jus Regaliæ, cujus vel ideo sciri meretur origo, quod ipsis illius propugnatoribus fuit incerta, & quod magna eorum, qui oppugnarunt, censetur autoritas. Illorum plerique per longissimi temporis præscriptionem usurpari recte dicunt; inter hos Pontifices, Bonifacius VIII & Innocentius XI, & amici Pontificum, Baronius atque Bellarminus, quin ipse ex Gallis Petrus de Marca censentur. Partes igitur defensorum se confirmaturum, adversariosque si non contumaciæ, erroris certe convictum iri sperat Autor, si & originem monstret & possessionem legitimam. Homagium ab Episcopis Regi præstandum, investitura ab illo accipienda, proventus Ecclesiasticorum bonorum vacationis tempore Regi tradendi, beneficia item simplicia, (quæ *non curés* Galli appellant) eodem vacationis tempore conferendi potestas jus illud constituunt. Istud jus Ludovicus XIV limites pristinos erumpere & per Occitaniam quoque, Aquitaniam, Provinciam, Delphinatum aliasque provincias diffundi voluit. Cui tamen torrenti aggerem quendam Innocentius XI & Autor libri de Jure Regalium sub Episcopi Pamiensis nomine ponere conabantur. Perfossus tamen ille jam dudum jacuit, nec quicquam, nisi ut penitus destrueretur, deerat, quod hic tractatus molitur. De his, quæ adhuc diximus, pluribus Lib. I Parte I differitur ab

Auto-

\* *Confess. lib. VII cap. X.*



Autore. Et is quidem fundamentum Regaliæ quærit in Aurelianensi Concilio primo, quod nationale & a Clodovæo I fuit convocatum, cujus ea occasione conversio P. II narratur. Hinc P. III ad ipsum illud concilium fit transgressio, quod Autor Regis voluntate congregatum, Regi parentibus Episcopis, monet. Nec aliis de rebus ibi factam consultationem, præterquam de quibus Rex voluerit, qui sententiam postmodum Episcoporum autoritate sua confirmaverit. Canones alios tacemus, ex quibus tamen singulis fere aliquid, quod supremum Regis in Episcopos Dominium stabiliat, exsculpitur. Septimus huic juri favere præ aliis putatur, ex quo per Soriten quasi conclusionem suam deducit Autor, quæ expresse non inest Canonis. Definitur in eo *de fructibus, quos Deus dignatus fuerit dare ex bonis Ecclesiæ, Regis munere collatis vel adhuc conferendis*, eos nempe Ecclesiarum reparationi, Sacerdotum alimentis, pauperum refectio, vel redemptioni captivorum impendendos. Latere hic res tantopere quæsitæ in voce *fructibus* creditur, ex qua concludit Autor, dominium solum utile & usum fructum Ecclesiæ concedi, directum servari Regibus. Cum igitur usus fructus perceptio moriente Episcopo cesset, redditus istos ad Dominum directum, Regem scilicet, pertinere. Vidit hic aliquam difficultatem Autor, veremur tamen, ut viderit omnes. Objici nempe posse fatetur, expresse dominium directum hic Regi non servari, quod tamen cadere per expressam dominii utilis commemorationem existimat. Quidsi vero Ecclesiæ, quæ non moritur, non Episcopis donata bona, fructus in Ecclesiæ maximam partem non Episcopi commodum impendendos, feudi naturam (feudum enim ipse hic agnoscit) plus quam dominium utile habentem quis opponat? Quidsi ex fructuum voce dominium utile probari posse neget? Quidsi Lugdunense Concilium Anni 1274, ab ipso allegatum, jus illud, cujus facit mentionem, in Aurelianensi Concilio fundari, non agnoscere opponat? Quidsi idem Concilium stricte sequatur, per quod restringitur potestas Regis ad ea solum, quæ ad fructus provenientes vacationis tempore pertinent, ita ut ne Rex quidem omnia directi dominii, cum jus alienandi desit, habere queat? Hæc vero prolixius paulo fuere deducenda, cum cardo rei in illis vertatur, licebit nobis postea esse brevioribus.



bus. L. II homagium Regi ab Episcopis semper præstitum ex præscriptione, Conciliorum Canonibus, antiquis Autorum testimoniis, Pamiensis denique Episcopi confessione probat. L. III divisionem juris istius ratione objectorum spiritualium & secularium (quæ voces, ne fiamus obscuro, cum aliis ejus generis sunt retinendæ) in antiquum porro & novum explicat. Vocem Regaliæ ipsa re agnoscit recentiore, post Lateranense Concilium A. 1122 usurpam coeptam. Et quamvis Bonifacius VIII postea jus istud invertere fuerit conatus, irritum licet tentamine, Clementem tamen V (qui erat omnino totus Gallis addictus, quo iis contra Templarios Germanosque Imperatores uteretur) per Bullam aliquam A. 1311 & in Concilio Viennensi A. 1312 illud confirmasse. Mentionem porro hoc libro repetit Canonis VII Concilii Aurelianensis, ex quo per nexum feudalem Regi Regaliæ jus competere monstrat; per feudum autem non nisi usum fructum rei immobilis tradi existimat. L. IV Concilium Lugdunense cujus supra *ὡς ἐν παρόδῳ* facta mentio, sibi favere pluribus monstrat. L. V potestas Beneficia simplicia dispensandi vindicatur Regi, ex ea potissimum ratione, quod ista Beneficia veniant ex fructibus bonorum liberalitate Regis Ecclesiæ concessorum. Hæc causæ suæ defendendæ hætenus Autor differuit; restabant adhuc revellendi adversarii, quibus tres Libros impendit. Libro VI & VII refutat Baronium & Canonem *Adrianus*, quem pro supposito habebat Baronius, defendit. In eo nempe Canone *Adrianus I Pontifex* Carolo Magno, cujus opera in Longobardis coercendis fuerat usus, potestatem concedit *eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem.* Insuper *Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere* definit. Ex investitura vero nexu feudali Regalium jus pendere identidem asserit. Illud vero, quod per singulas provincias Carolus hoc potuerit, insigniter huic temporis favere credit, quo Ludovicus XIV in supra nominatis regionibus illud jus exercere ab anno 1675 incepit, quarum provinciarum omnino possessores & Clodovæus & Carolus M. fuerint. Quamvis nec ipse diffitetur, Carolum nunquam hanc a Pontifice concessam facultatem voluisse exercere. Imprimis vero hac de re controversia anno 1681 maxime fuit agitata, extantque



eam in rem varii libelli, Episcopique Pamiensis Tractatus tum quoque lucem aspexit tertium a mota lite impressus. Iste liber L. VIII confutatur, simul cum Innocentii XI literis ad Regem scriptis; quibus tractationibus absolvitur hic Tractatus, multis præterea observationibus, quæ ad libertatem Gallicanæ Ecclesiæ & Regni istius ἐξοχὴν pertinent, refertus. Ceterum egimus de Jure Regaliæ, cum Gilberti Burneti librum *The History of the Rights of Princes in the Disposing of Ecclesiastical Benefices and Churchlands*, Lond. 1682, 8 excusum in Actis A. 1685 p. 549 & Larroquani libellum *Nouveau Traité de la Regale*, qui Roter. 1685, 12 prodiit, ib. p. 556 recenseremus.

LEHRE DER WEISHEIT IN DEN  
 nen nöthigsten Stücken der wahren  
 Gelehrsamkeit ꝛc.

i. e.

LUMEN SAPIENTIÆ IN PRÆCIPUIS VERÆ  
 eruditionis partibus obvium, ad cognoscendas res di-  
 vinas & humanas; Autore M. MARTINO MUSIG,  
 cum Prefatione JO. FRANC. BUDDEI, S. Tb.  
 D. & Prof. Publ. de eruditione politi-  
 ca & scholastica. Tomus I.

Frankofurti & Lipsiæ, 1709, 8.

Alph. 2.

**O**peris hujus Autor Cl. præcipuas veræ solidiorisque eruditio-  
 nis partes, quibus tum ad futuræ, tum hujus vitæ felicitatem  
 ostenditur via, in compendio exhibere secum constituit. Scopus,  
 quem sibi proposuit, est, ut prætermisissis superfluis atque inutilibus,  
 ea tantummodo velut in compendio sistat, quæ omnibus ac singu-  
 lis, cujuscunque demum ordinis sint ac conditionis, certissimo esse  
 queant usui. Idcirco vernacula etiam omnia exponit lingua, utens  
 insuper methodo erotematica, quæ in primis omnibus sua se com-  
 mendat perspicuitate atque facilitate. In pertractandis iis, quæ hu-  
 manam pariter ac divinam absolvunt sapientiam, Virum Celeb. Jo.

Hhh 3

Frank



Franc. Buddeum, qui hodie Jenæ Theologiam docet, sibi elegit ducem auctoremque. Opus omne in Tomos tres, minoris tamen molis, dividitur. Primus, quem nunc sistimus, tum eas doctrinas, quæ intellectum instruunt, & Philosophiæ instrumentalis nomine venire solent, tum illas etiam, quæ de corporibus naturalibus spiritualibusque agunt, & in theoretica, quam vocant, Philosophia alias traduntur, complectitur. Alter practicæ Philosophiæ, Ethices scilicet, Juris N. & Gent. Politicæ, sistet præcepta; quibus insuper brevem Imperii Germanici delineationem, in quantum considerationis politicæ est, se additurum promisit. Tertius christiænæ religionis docebit fundamenta, eum imprimis in finem adorandus, tum ut quæ rationis captum superant, scitu tamen ad veram eruditionem sunt necessaria, inde suppleantur; tum etiam ut ii, qui Theologiam ex instituto tractare non sibi datum credunt, habeant, unde facili negotio primaria religionis nostræ haurire possint capita. Primo huic Tomo, quem antea memoravimus, Joannes Franciscus Buddeus præliminarem præmisit Dissertationem de duplici eruditione, quarum altera vitæ, altera scholæ inservit; quarum illam realem, hanc instrumentalem aut scholasticam dicere liceat. Ultramque inter se contendit, & realem ita comparatam esse docet, ut ejus nemo expers esse debeat, qui beate feliciterque vitam transigere cupit, etsi a quibusdam ob muneris, quo funguntur aut fungi cupiunt, rationem accuratior quarundam ejus partium notitia requiratur. Scholasticæ autem, quam vocat, eos peritos esse debere contendit, qui docendis aliis se destinarunt, aut in propaganda, explicanda defendendaque contra adversarios veritate occupantur. Altius autem dum rem repetit, nonnulla de origine, deque fati utriusque ex historia philosophica adfert. Realem eruditionem & antiquiorem esse scholasticam, & multis modis etiam anteferendam. Scholasticam, quæ apud nos in usu est, Athenis suos præcipue habere natales, unde ad Romanos & ita porro ad nos promanaverit. Ceterum utrique suos definit limites, & justa constituit pretia. Scholasticam tantum abest, ut flocci faciendam existimet, ut potius in omnibus eruditionis partibus, quando alios docere debeamus, singularem ejus esse usum, confiteatur libentissime. Addit tamen, quod multi ea male abutantur. Alios

nimio



nimio plus eam extollere, & sæpe reali etiam præferre: alios dum minutissima quæque persequantur, & de iis lites moveant nunquam finiendas, pædantismi incurrere in crimen: alios per imprudentiam ei etiam hominum generi eam obtrudere, quorum conditio longe alia, quam scholastica, requirere videbatur. Ita reali eruditioni primas ea, qua decebat, ratione attribuendo, ad Auctoris pergit institutum, & quid ipsum ad scribendum impulerit, uberius exponit. Autor vero ipse, Tomo hoc primo, in pertractandis suis sequentem tenuit ordinem: primo ea, quæ intellectum ad sapientiam instruunt, capitibus sex inclusit. Cap. I agit de eruditione in universum, non solummodo definiendo eam atque in species suas dividendo, sed examinando etiam, quinam ad eruditionem natura sint apti, & quibusnam ad eam perveniatur mediis. Cap. II tum de Philosophia in universum agit, tum fata ejus per omnes Philosophorum sectas, veteres, medii ævi & recentiores enarrat, addendo simul uniuscujusque sectæ placita atque decreta, Cap. III vires & facultates intellectus indagando de natura ejus, de morbis, de perfectione & remediis, quibus perficiatur, ita tractat, ut difficiliora exemplis ubique illustret, & ita doctrinam omnem, quæ Logicæ vulgo nobis venire solet nomine, presse atque strictim absolvat. Cap. IV intellectum instruere satagit, quomodo se interpretandis aliorum in scriptis gerere debeat: ubi de sermonis natura, de vitiis, de virtutibus & regulis, quas interpretes, si ab erroribus sibi velint cavere, attendere habeant necesse, breviter exponit. Cap. V requisita boni Doctoris, qualem scilicet in instruenda juventute se præstare oporteat, exponuntur & varii modi simul, quibus veritas cum aliis communicatur, vocantur sub examen. Cap. VI de Oratoria quædam præcipit. Non injuria Oratoriam cum Logica conjungi existimat Autor, cum ille ipse, qui recte per Logicam cogitare, indicare, ratiocinari didicerit, non possit non recte etiam loqui & cogitata sua aliis proponere. Quæ tamen in opere ipso fusius diducuntur omnia & argumentis roborantur non contemnendis. Pergit secundo ad doctrinas theoreticas, quas capitibus septem includere libuit. Cap. I de corporum naturalium scientia; de spiritualibus & Deo quædam in universum disquirat, enarrando simul

tum



tum incrementa hujus disciplinae, tum nova inventa, quibus indies fuerit aucta. Cap. II. omnem hominis structuram, scitu inprimis necessariam, persequitur. Liqueorum & Spirituum vitalium naturam, quibus corporis machina movetur, ita indagat, ut valetudinis pariter ac morborum inde etiam pateat ratio. Addit quoque pauca de anima, primo illo & praecipuo operationum humanarum principio. Cap. III. agit de animalibus brutis, de plantis & mineralibus. Cap. IV. de terra, aqua, igne, aere variisque meteoris. Cap. V. de hujus universi systemate & corporibus caelestibus. Cap. VI. de proprietatibus corporum naturalium, de eorum materia, forma & fine. Denique Cap. VII. de spiritibus, tum creatis, tum increato seu Deo. In singulis his pertractandis, praeter perspicuitatem, etiam hoc habet singulare, quod in corporibus & substantiis explicandis ubique creatoris sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, providentiam, palpandam quasi offerat & pleno ore praedicet; quod ipsum tantum abest, ut alienum a physica tractatione haberi debeat, ut potius firmiter sit statuendum, omnem inde hanc eruditionis partem suam nancisci jucunditatem, pondus omne. Reliquos duos Tomos brevi quoque adspecturos esse lucem, accepimus.

## NOVA LITTERARIA.

**L**ipſiæ noſtræ proximis nundinis Autumnalibus prodibit *Bibliotheca Sacra*, seu *Syllabus omnium S. Scripturae editionum ac versionum secundum seriem linguarum, quibus vulgatae sunt, Notis Historicis & Criticis illustratus, adjunctis praestantissimis Codd. MSC. labore & industria Jacobi le Long, Parisiensi, Congreg. Oratorii D. J. Sacerd. & Bibliotheca Domus Paris. Praefecti. Nova editio, in qua plurimis exempli Parisiensis mendis sublatis, addenda & emendanda, quae in ejusdem calce occurrunt, suis locis inseruntur, ac nova passim observationes exhibentur, studio Christiani Friderici Berneri SS. Theol. D. & Graec. atque Lat. Litteraturae PP. Lips. quem librum Parisiis nuperrime editum publice constat. Ibidem intra paucos dies & magnum Lexicon Historicum IV Tomis in fol. Jo. Franc. Buddei cura lucem adspiciet, pariterque tertia editio Lexici, quod *Staats- und Zeitungs-Lexicon* vocatur, duplo auctior, cum Jo. Hübneri praefatione prodibit, quem Virum celeberrimum nunc in Historia Ecclesiastica proxime edenda occupari novimus. Pariter sub prelo hic est Hadriani *Introductio in S. Litteras*, Graece olim ab Hæschelio edita, nunc passim emendata, Latine primum versa & Notis illustrata, cum Praef. de aetate & vita Hadriani.*



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Octobris, Anno M DCC IX.*

ΤΑ ΤΩΝ ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΩΝ ΛΕΙΠΟΜΕΝΑ  
ΑΠΑΝΤΑ.

*PHILOSTRATORUM QUÆ SUPERSUNT OMNIA.*  
*Ex MSS. Codd. recensuit, notis perpetuis illustravit, ver-*  
*sionem totam fere novam fecit GOTTFRIDUS*  
*OLEARIUS.*

Lipsiæ, apud Thomam Fritsch, 1709, fol.

Alph. II plag. 8.

**I**Ta tandem eruditorum votis dudum expetita in scenam nuper prodire Philostratorum Opera, Gottfridi Olearii, hodie SS. Theol. Doctoris & Professoris dignissimi, quem in colligendis his Eruditorum Actis Socium a multis annis habemus perindustriam, curis egregie expolita, & Principi Regio atque Electoratus Saxonici Heredi, FRIDERICO AUGUSTO, Domino nostro clementissimo, consecrata. Quem quidem laborem cum Celeberrimus Vir jam eo tempore, quo elegantiores literas communi applausu apud nos profitebatur, perfecisset; ob varia tamen impedimenta accidit, ut is sanctioribus demum curis admotus hoc veluti longe præstantissimum pristini amoris atque deliciarum monimentum in lucem exire curaverit. Et sane siue textus Græci integritatem, nunc demum Philostratorum lucubrationibus partim ex MSS. codicibus, partim ex ingenio Cl. Viri restitutam, siue versionis Latinæ, quæ tota fere nova exhibetur, elegantiam ac perspicuitatem, siue notarum, quibus loca impedita & reconditæ doctrinæ plena explicantur atque illu-



strantur, præstantiam. siue donique chartæ & typorum spectaveris splendorem, quo nulli facile adhuc impresso libro editio cedit; ita hoc opus comparatum est, ut laudes nostras longe transcendere videatur. Sed age totius laboris a Cl. Oleario præstiti rationem atque subsidia accuratius paulo enarrabimus, ac primo quidem de ipsis, quorum scripta in hoc volumine potissimum continentur, *autoribus Philostratis*, tum de *editionibus*, quæ novam hanc præcessere, e luculenta, quæ toti operi præmissa est, Præfatione nonnulla dicemus.

Variæ quidem sunt eæque contrariæ prorsus, quas de autoribus horum scriptorum viri docti, nominatim *Jonsius*, *Meursius* & *Tillemontius* dixere, sententiæ, cum ea, quæ apud Suidam, unicum in hoc argumento ducem, leguntur, impeditiora sint multisque difficultatibus involuta. At vero Cl. Olearius magno eruditionis apparatu rem omnem expedit, & ingeniosa Suidæ emendatione Philostratos, singulorum, quæ hic exhibentur, scriptorum autores manifeste prodit. *Tres* igitur agnoscit Philostratos, quorum *primus* ei est Veri filius, qui Severi imperium vivendo attigit, Vulgo quidem primus ille Philostratus ad ævum Neronis refertur, idque autoritate Suidæ, cujus hæc verba sunt: *Φιλόστρατος ὁ πρῶτος, Λήμωνιος, υἱὸς Βήρου, πατὴρ δὲ τῆ δευτέρου Φιλοστράτου, σοφιστῆς καὶ αὐτὸς, σοφιστεύσας ἐν Ἀθήναις, (γεγονῶς) ἐπὶ Νέρωνος: ἔγραψε λόγους πανηγυρικῶς, κ. τ. λ.* Verum Cl. Olearius levicula emendatione & distinctione aliter instituta verba postrema ita legit: *σοφιστεύσας ἐν Ἀθήναις, ἐπὶ Νέρωνα ἔγραψε, λόγους πανηγυρικῶς κ. τ. λ.* idque Suidam sibi voluisse putat: *PHILOSTRATUM PRIMUM, Lemnium, filium Veri, patrem vero extitisse PHILOSTRATI SECUNDI, eumque & ipsum Sophistam fuisse, atque Athenis docuisse, scripsisse contra Neronem, orationes item Panegyricas &c.* Sicuti autem ἐπὶ τινὰ γράφειν, phrasis est Græcis scriptoribus hoc sensu maxime usitata, & Philostratum contra Neronem stylum strinxisse facile confirmatur; ita jam in his verbis nihil plane de ætate *primi Philostrati* haberi, simulque etiam τὸ ἐναντιοφάνες, quod Meursius inter hunc & alterum de secundo Philostrato Suidæ locum notavit, disparere observatur. Jam quod ad *secundum Philostratum* attinet, Cl. Olearius



rius porro sequitur Suidæ fidem & auctoritatem, qui hunc prioris filium fuisse, & temporibus Severi usque ad tempora Philippi floruisse testatur, eidemque clarissimo Sophistæ autori *historiam Apollonii Tyanei, historiam Sophistarum, Heroica, Imagines priores, epistolas amatorias, epigrammata*, quæ scripta fere integra in hac editione extant, tum & inedita quædam adscribit. Hinc primo Meursius notatur, qui ex hoc Philostrato prioris nepotem facere, eidemque *imagines posteriores*, primo autem *priores* tribuere conatur; deinde autem *Historia Sophistarum*, de cujus autore magna inter harum rerum peritos controversia est, huic secundo Philostrato, Apollonii scilicet Panegyristæ, præclaris argumentis vindicatur. Quippe de eodem dubitandi occasionem viris doctis iterum præbuisse videtur Suidas, qui postquam secundo Philostrato Βίης σοφιστῶν diserte assignasset, in vita tertii Philostrati τινὰς καὶ τὰς τῶν σοφιστῶν βίης ἐπ' αὐτὸν ἀναφέρειν, esse nonnullos dicit, qui huic vitas Sophistarum attribuunt. Itaque Vossius, ceterique supra commemorati scriptores diversos Vitæ Apollonii & Historiæ Sophistarum scriptores constituendos esse putarunt; quorum tamen argumentis solide refutatis, Cl. Olearius eundem, qui vitam Apollonii scripsit, vitas quoque Sophistarum composuisse docet, ac primo quidem inde, quod harum autor in vita Alexandri Peloplatonis ad Commentarios de Apollonio propria scripta allegantium stylo provocare deprehendatur. Hæc namque ejus ibi verba sunt: εἰρηται σαφῶς ἐν τοῖς εἰς Απολλώνιον. Hac de re dictum est luculenter in Commentariis de Apollonio. Alterum argumentum ab Eunapii auctoritate desumptum est, qui cum eadem in vitas Sophistarum præfatione & vitam Apollonii citet & Sophistarum historiam, ne minimo quidem indicio facto diversos esse istos autores, ejusdem hominis foetus geminum istud opus saltem credidisse videtur. Denique idem prorsus, qui in utroque opere observatur, variorum apud alios autores phrasium usus & maxima sententiarum atque opinionum cognatio Olearii sententiam præclare confirmant. De tertio Philostrato adhuc dicendum est, cujus sunt *imagines posteriores*, quas, ut ipse de se in operis exordio testatur, vestigiis cognominis sui & avunculi, *Philostrati nimirum secundi*, insistens elaboravit. Hinc etiam Suidas Philostratum ter-



tium, Nerviani filium & secundi Philostrati ἀδελφόπαιδα h. e. ex sorore fuisse nepotem, & Athenis Sophistæ munere fungentem inter alia ἐπιόνας scripsisse refert. Ejus præter has imagines, epistola quoque de modo epistolas exarandi in nova hac editione comparet. Hisque tribus Philostratis ita commemoratis, eorundemque scriptis vindicatis, alios variarum gentium Philostratos, quorum scripta temporum injuria nobis erepta sunt, & de quibus Vossius, Jonsius, Meursius, ac in primis novum gentis nostræ decus, J. A. Fabricius multa studiose congeserunt, ipse Cl. Autor noster consulto prætermittit, veruntamen obiter Meursium atque Vossium notat, & Philostratum, cujus Suidas meminit voce μντροφάωνος, ab omnibus prætermisum fuisse observat.

Διάλεξι de Philostratis autoribus excipit expositio *Editio- num*, quæ novam hanc præcessere. Ubi quidem Cl. Olearius initio statim diligentem hac in re a J. A. Fabricio pro more suo præstitam operam laudat, quippe cujus de Philostratis eorumque scriptis, ex propediem edendo Lib. IV cap. XXIV Bibliothecæ Græcæ ἀποσπασμάτιον, humanissime secum communicatum, una cum clariss. Virorum, Vossii, Jonsii, Meursii, Tillemontii de eodem argumento diatribis integris, his Prolegomenis suis subjecit. Neque igitur scriptorum Philostratorum editiones, ab illo jamjam ordine enumeratas, hic denuo repetit, verum observatis editionibus alias quasdam addit, v. g. Vitæ Apollonii versionem Latinam Alemanni Rhinuccini in 8, absque nota anni locive impressionis, a Philippo Beroaldo primum editam, quem Beroaldum simul ab iniqua Gisb. Longolii censura defendit, & post alias plures Iconum Philostrati Latinam versionem Stephani Nigri cum aliis quibusdam Nigri translationibus in 4 Basileæ A. 1532 excusam, cujus ipsius Nigri versionis ac reliquarum nobis etiam ad manus est exemplum Mediolanense in 4 per Jo. de Castellione A. M D XXI impressum. Editionis autem Philostratorum Græco-Latinæ Fed. Morelli, ut quæ omnium præstantissima in hunc diem fuit, indolem accuratius paulo describit, ac in ea textum quidem Græcum, Aldinum exemplar prorsus referentem, sed variis lectionibus ex MSS. Codd. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis & libris, quibus usi fuerit Adr. Turnebus & Paulus Petavius, excerptis marginique alletis stipatum,



stipatum, inquinatissimum, in vocibus prorsus corruptum, lacunis variis, in Sophistarum maxime historia, hiantem, distinctionibusque perturbatum nobis esse relictum; hincque adeo ipsam etiam versionem Latinam, licet Rhinuccini, Bonfinii & Nigri impurissimis translationibus haud paulo meliorem, hiulcam, minus luculentam, & a vero Græcorum sensu passim, in illis etiam locis, in quibus textus integer erat atque facilis, alienam exhiberi observat. Frustra autem vel hic prolixam mendorum editionis Morellianæ enarrationem, vel in ipsis observationibus crebram Morelli notationem ab illo expectaveris, a cujus moribus alienum est, aliorum erroribus indicandis integros libros implere, ea tamen, quæ de præstita a Morello opera idem pronuntiavit, verissime dicta, si modo paucas novæ hujus editionis plagulas cum Morellianis contuleris, facile deprehendes. Philostratorum opera in Gallicum sermonem convertit Vigenerius, Anglice transtulit Carolus Blount, verum utramque interpretationem rarissime a Latina versione discedere notat Cl. Olearius, ideoque etiam in observationibus suis rarius illarum versionum rationem habuit.

Restat, ut operam scriptis Philostratorum a Cl. Oleario hæc nova editione præstitam nunc exponamus. *Textum* igitur Græcum, ut eum quam emendatissimum daret, ante omnia laborans, non modo cum editionibus, Aldina & Morelliana, sed & plurimis MSS. studiose contulit, & quidem *Vitam Apollonii* cum quatuor codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, quorum sc. collationes humanitate Præfecti Laur. Alex. Zacagnii obtinuerat, itemque cum optimæ notæ MS. Vratislaviensi. Præterea ejusdem Zacagnii beneficio usus est antiquis scholiis ad *Vitam Apollonii*, Codicis Palatini margini adjectis, itemque iis, quæ manu sua Don. Acciajulus & Fulv. Ursinus ad oras codicum suorum alleverant. Subjunctas *Vitæ Apollonii* ejusdem *Epistolas*, ubi editiones Stephani, Lubini, & Cujacii deficerent, ex ingenio emendavit. Librum *Eusebii ad Hierosolem* cum Philostrati *vita Apollonii* comparatum hoc demum subsidio meliorem reddidit. Ad *Vitas Sophistarum* lectiones habuit codicis Collegii Novi Academ. Oxon. a Rich. Bentleio (cujus olim susceptæ & evulgato specimine declaratæ ornandorum Operum Philostratorum curæ honorificam hac occasione mentionem fa-



cit) secum communicatas, & alterius longe præstantissimi codicis, quem Jo. Alb. Fabricius possidet, tum etiam duorum MSS. & epitomes Vaticanæ lectiones a Zacagnio sibi transmissas. *Heroicis & Imaginibus* emaculandis usui fuere lectiones trium MSS. Oxoniensium, Coll. Novi, Barocciani & Laudiani, hisque subsidiis fultus haud opus esse existimavit, ut e Codd. Vaticanis describenda curaret, nullius quippe momenti, scholia Moschopuli & Planudii τεχνολογίαν, itemque illius Αττικῶν ὀνομάτων ἐκλογὴν ex τεχνολογία Imaginum Philostrati confarcinatam, quam quidem cum Thomæ Magistri & Phrynichi ἐκλογαῖς Αττικῶν ὀνομάτων in 8 Lutetiæ apud Mich. Vascofanum A. 1532 editam ipsi possidemus. In *Callistrati Ecpbrasibus* ingenium adhibuit, ac denique *Epistolas Philostrati* ex Meursii editione, tribus MSS. Vaticanis & uno Barocciano auctas atque emendatas dedit. Præter ista veterum codicum atque editionum subsidia, nonnullas quoque doctissimorum virorum emendationes, quas iidem codicibus suis descripserunt, nactus est, nempe *Salmasii*, singulari gratia Illustriss. Mori, Episcopi Norvicensis; *Gruteri* lectiones cod. Palatini & emendationes, cum quibus Salmasianæ prorsus conveniunt, e Bibliotheca Franciana; & denique ipse in suo exemplari Aldino, raras quidem sed bonæ notæ sive lectiones sive emendationes manu docta annotatas invenit. Hæc sunt illa præsidia, quibus textus *Philostrotorum* Græcus innumeris in locis restitutus firmatusque exhibetur. Cui quidem egregie convenit *versio* Latina, quam Vir doctissimus, priores emendaturus, totam fere novam concinnavit. Certe enim quod ille de Græcorum librorum versionibus generatim sapienter pronunciat, *in iis interpretandis ita nobis temperandum esse, ut neque barbarâ versione, & structura orationis mere Græca, impediatur apud Græce non doctos sensus evidentia; neque nimia interpretandi libertate Græca legentibus subsidium pereat in versione, ad penitus assequendum sensum atque indolem orationis Græcæ, id ipsum hac versione veluti luculentissimo exemplo optime declaratum dedit. Notæ textui subjunctæ, breves quidem illæ nec Commentariorum instar scriptæ, Philostratum emendatum præclare illustrant, magna eruditionis luce perfundunt. Sed & novarum variaque occasione natarum observationum spicilegium*



cilegium operi finito singulari consilio subjunxit Cl. Olearius, ut pateat scilicet, eum ipsum primum esse, emendationi a se dictorum qui studeat. Nam & gratissimum sibi fore pollicetur, si alii quoque idem facturi, melioraque ipsum edocturi sint, modo bona fide id fiat neque nodus in scirpo quærat. Quod nescimus, an observaverit is, cui nuper stricturnæ quædam ad novam hanc editionem exciderunt. Ei displicere sane non debebat iudicium ab Oleario de Morelli versione latum, eo quod melius de ea B. Schurzschius judicasset. Quid mirum enim plures nævos ejus versionis animadversos fuisse ab eo, qui ex instituto eam evolvisset? Et sane quis ferat *Ajacem Eburneum* (qui est *Ἄϊας ἐλέφας* L. II c. 24 p. 86 ed. Morell.) quis *Solis Sacerdotes* (qui sunt *ἡλείοι* L. III c. 30 p. 137 ed. Morell.) & sexcentæ ejus generis? Nec erat cur displiceret Censori, quod *Morelliana e Codice Regio emendatio Cl. Bentlejo sit adscripta* p. 8 a. Nam distinguenda erat viro bono emendatio a lectione. Lectionem ex Cod. Reg. exhibuerat Morellus, nullo iudicio interposito. Restituendam eam lectionem Philostrato esse docuerat Bentlejus. Quid ergo est, quod in Oleario dictis reprehensionem mereatur: *ἄδαιος, in prioribus editionibus omissum, ex Cod. Lutetiano* (ex quo excerptas Lectiones Morello deberi in Præf. fuerat monitum) *& Suida restitui mavult Bentlejus.* Sed & *delectari Olearium variis lectionibus* ait, & id vexat, quod p. 5 b, cum nihil in textu edito sit monstri, Morellitamen lectio ab ipso in nota indicata sit *ἔ μὴν δεξιῶς γε.* At primo quis eam scripsit legem legislator, non debere lectionem diversam allegari, ubi in textu nihil sit monstri? Annon tum quoque lectio tamen lectione præstare potest? Deim mittenda non fuit lectio, quæ a Morello indicata fuerat, cujus omnes observationes editioni huic inferere fas erat. Neque porro est, quod Censor existimet fugitivo oculo inspectam fuisse hanc lectionem, eo quod prout decet, non repræsentetur, & *μὴ* fuerit editum, pro eo quod edi debebat *μὴν.* Nam eam operarum typographicarum culpam esse *ἀσπίγρατον* Olearianum docet, nec incredibile impressa æque expedite legere Olearium, ac se ipsum, erit Censori: cui præterea in ipsa censura sua simile quid typographorum culpa evenit. Dum enim *ἔ μὴν* præferendum alteri *ἔ μὲν* docet, argumenti loco allegat



gat verba Philostrati p. 9 ἔ μὲν τὴν γε εὐζεν, cum debuisset esse ἔ μὴν γε. Quod de lectione illa nihil amplius addit Olearius, non ideo factum, quod dicere nil posset, sed quod minutum esse existimaret. monere, Atticam magis videri particularum conjunctionem in Morelliana lectione, idque per se patere arbitraretur. Ratio vero, quam Censor comminiscitur, vix sane in mentem cuiuspiam veniat, quod scilicet ex eo, quod τὸ ἀποδοτικὸν μόριον ἢ πρότασις requiritur, sit judicandum: nam id πρότασις habet quocunque modo legas. Ex eo vero, quod alibi inveniatur in Philostrato ἔ μὴν, cum concludit, ita eo quoque legendum esse, de quo agitur, loco, certe nimis audacter pronunciat: juxta hanc enim regulam ἔ μὲν, quod vel centies in eo pariter ac aliis Atticis occurrit, semper erit mutandum, ubi sensus feret. Sed graviora ecce monet. P. 12 Σάρδων substituit Olearius pro Σαρδόνων: at a Sardibus Lydiæ non Σάρδης dici, sed Σαρδειαυός monet. Agnoscit Olearius Σαρδειαυός frequentius dici, neque repugnet ita rescribi. Sardos vero i. e. Σάρδης nunquam dici eosdem nimis temere affirmatur. Tertulliani locum eam in rem observavit Holstenius, nec est quod Censor obtendat in de la Barrii editione se Sardios reperire, non Sardos, nam præstantiores editiones omnes, & in eis Prioriana habet Sardos. Verum nihil opus ea autoritate. Festus enim Proverbium Sardi venales diserte a Sardibus Lydiæ derivat, secutus autoritatem Græcorum doctissimi, Plutarchi, in Romulo p. 33. Imo & Plinius L. XXXVII c. 7 Sardam Gemmam dicit, Sardibus primum repertam: cum quibus si erravit, non est cur pudeat valde Olearium. Lectionem p. 171 ex Codice Vratislaviensi restitutam καὶ τί, ἔφθ, τῇ ἀνδρεία χρησεσθαι, pro χρησεσθε, quod erat in Morelliana, tanquam hiulcam taxat Aristarchus. Cum planissimum sit infinitivum poni substantive, dicente Apollonio hoc esse consilium suum τὸ χρησεσθαι, ut utantur deinceps fortitudine. Certeque manifestum quæstioni τί περὶ ἀνδρείας συμβουλευοί; quam repetit Apollonius (καὶ τί ἀν) aptius respondere τὸ χρησεσθαι, quod dicit se suadere, quam futurum indicativi χρησεσθε. Ponitur vero futurum infinitivi, ut vim præcipiendi & suadendi verbum habeat, ut adeo nec hiulca oratio sit, nec opus sit aoristo χρησασθαι, ut putabat censor. Lectio p. 173 ἔχοντα quæ Oleario exprobratur, rursus typographis



graphis debetur, tum in autographo enim notarum, tum in textu, est ἴχοντα; & ita quoque clarissime collationes Roma transmissæ habent, quarum ἀρχέτυπον videre potest Censor apud Olearium, si velit. Errori typographorum & correctorum occasionem dedit, quod τὸ ε, in exemplari typothetis dato emendati, vestigia quædam superessent, cum litura, qua in 4 versum id erat, literæ prioris figuram non abolevisset. Hinc postea in nota quoque expressum est, quod in textum admisserant. Tam præclara sunt, quæ Censor ille monuit! Quem tamen ne nunquam aliquid vidisse existimes, recte omnino monet p. 622 de *Julia* Imperatrice, Vitæ Apollonii Libr. I caput 2 pro 3 allegatum esse: (magnum vero in capitis statim sequentis pro præcedente allegatione παρῳ-φαμα!) p. 241 vero ex indice in Ælianum Schæfferi nomine allegari, quæ sunt continuatoris Kuhnii (scilicet præfationem illius libri, in qua, quæ Schæfferi sint in illo indice Kuhnii, monetur, non edidicerat Olearius.) Et p. 607 citari perperam ex Salmasio de *Julia Philostratum in vita Antenoris*, quod factum eo, quod in illorum temporum festinatione eam partem notarum, in quibus promiscue quædam collecta habebat, non reviderit Autor, quem alias post diligenter ita evolutum Philostratum non potuit latere, *Antenorem* nullum in Sophistis Philostrati esse: & certe sunt alia quædam in illa plagula, (leviora quidem,) quæ mutata cuperet. Illa vero si gravissima sunt in hoc libro menda, habet sane de quo sibi gratuletur Olearius. Nec multum est, quod poeniteat eum in manibus suis non fuisse notulas quasdam exigui momenti Viri magni, οὐν ἐν ἀγίοις, Philostrati marginibus adspersas, quæ magifico verborum apparatu commendatæ in lucem producuntur, & quæ an tanti viri fama sint dignæ, lectores judicabunt. Sunt enim illæ fere excerptæ inter legendum, ex duobus tribusve autoribus recentioribus, qui si non fuerint ab Oleario inspecti, (ut omnium meminisse mortalis non est) certe vel eadem, vel non deteriora ipsi, aliis subsidiis freti, observata deprehenduntur. Si quid igitur hic desiderent docti, humanitatem desiderent, quæ postulabat, talia, dum editio pararetur, communicari, si tanti visa essent. Ceterum editionem hanc claudunt *Indices tres*, iique a clariss. Viro Jo. Christiano Herzogio, qui in avertendis quoque operarum typographicarum erroribus, ac schedis Cl. Editoris excutiendis ordinandisque



indefessa opera desudavit, magno labore atque industria concinnati, 1 *Autorum*, qui in notis allegantur, explicantur, emendantur & notantur, 2 *Rerum*, 3 *Phrasium & vocum* rariorum. Et hæc quidem hac vice de præstantissima Philostratorum editione in genere dicta sufficient; quæ restant, proxime Supplementis inferemus.

JOANNIS MICHAELIS HEINECCII DE  
*Veteribus Germanorum aliarumque nationum Sigillis,  
 eorumque usu & præstantia Syntagma  
 historicum.*

Francof. & Lipsiæ. sumtibus Nicolai Försteri, 1709, fol.



Constat Alph. 2 plag. 14 tab. æneis 19.

**V**IR Celeb. Jo. Michael Heineccius, S. Theol. Doctor, Regius per dioccesin Salanam in Ducatu Magdeb. Inspector, Pastor ad D. Ulrici Hallens. & Gymnasii ibidem Scholarcha, non tantum de Ecclesia optime hæctenus meritus est, verum & historiam, medii imprimis ævi, egregie exornavit. Elegantissimum est imprimis post Antiquitates Goslarienses, superiore Anno M. Febr. p. 49 nobis memoratas, hoc de Sigillis opus, e quo nonnulla hoc loco enotare operæ pretium fuerit. In Prolegomenis Autor clarissimus occasionem sigilla quamplurima colligendi sibi benigno fato oblatam esse prædicat; idque eo felicius ipsi cessit, quod, cum antea pictura lineari & tædiosa admodum & minus accurata uti cogere-  
 retur, modum invenerit sigillorum cereorum ectypa satis accurata formandi, quem aliorum curiosorum causa ipsius verbis describere non pigebit. *Alia, inquit, ex aliis cogitanti opportune demum mihi in mentem venit massa farinacea, quam ob mollitiem qualicunque soliditati sigillorum facile cessuram sculpturasque omnes sine ullo sigillorum periculo admissuram suspicabar. Periculum igitur feci sigillique cujusdam facie masse depositæ & probe subactæ impressa, & ectypon sigilli numeris omnibus absolutum deprehendi, & ipsum sigillum nulla sui parte vitium cepisse inveni. Hinc ceram liquefactam massa infuâi, & aeri frigidiori exposui, donec induresceret, massamque deinde facili negotio separavi a cera, quam sigillum tam accurate referre vidi, ut ovum ovo non possit esse similis.* Hoc invento cum magnum operæ temporisque fecisset




fecisset compendium, insignem rarissimorum sigillorum numerum ex variis archivis, veluti Corbejensi, Goslariensibus, Richenbergensi, Quedlinburgensi aliisque quamplurimis collegit, eaque subinde horis subscevis eo modo, quo numismata solent, explicavit. Dum vero varios, qui huc spectabant, libros evolvit, observavit, neminem in tanta literarum copia hoc argumentum pro dignitate tractasse. *Theodori enim Hoppingkii tractatus de Sigillis, Norimb. 1642, 4* editus, ea tantum de sigillis ex jure explicat, quæ in foro videbantur usum aliquem habitura. *Mabillonius* etiam Lib. II de Re Dipl. nonnulla quidem ad sigilla magis pertinentia differit, sed ultra sigilla Francica vix quicquam observavit, nec rem adeo omnem exhaustit. Dominus denique *le Blanc* de Regum Francorum sigillis tractatum singularem minatus est in Diario Parisiensi, sed sententiam autore Carolo du Fresne se mutasse, ipse refert in Præf. tractatus de *Monetis Francia*. Hinc Autor operæ pretium se facturum putavit, si observationes suas cum eruditis communicaret, quibus tamen eos limites statuit, ut non de antiquissimis, de quibus jam *Gorlei, Liceti, Georgii Langii, Chiffletii Sponii, Begeri, Kirchmanni* opera extant, nec de novis, sed de mediæ ævi sigillis ageret, atque hinc duas fecit tractationis Partes, quarum prior Capitibus septendecim sigillorum naturam & indolem, posterior vero Capitibus IV eorundem usum & præstantiam ob oculos ponit. Parte I *Cap. I de sigillorum autoritate & fide* inter omnes constare existimat. Hinc locis nonnullis, quæ sigillis multum ponderis inesse docent, ex jure & diplomatibus decerptis, observat, majores nostros literis eo plus tribuisse, quo pluribus essent sigillis munitæ, atque hinc literas Bohemorum A. 1415 datas allegat, quas CCCL sigillis firmaverant. His præmissis sigillorum fidem accuratius expendit, eaque haud inconvenienter *turpem humano generi fraudis ac nequitie publicæ confessionem* cum *Seneca* appellat. Concedit quoque sigilla, licet omnino recte sese habeant diplomata, tamen non extra omnem *ὑποψία* suspicionem collocari. Quamvis enim ex falso & inepto sigillo diploma ipsum recte falsitatis convincatur, ex integro tamen & vero non statim sequi, ipsum quoque diploma genuinum esse. Interim si cetera omnia recte se habeant, magnam ubique sigillorum



auctoritatem esse dicit; atque ob illam Principum sigillis non secus ac ipsis Principibus summam venerationem fuisse exhibitam, in eorum adulteratores summis suppliciis animadversum, custodiam eorum viris illustrissimis creditam, & si forte familiae illustres exaruerint, sigilla simul fracta & tumulo injecta esse, exemplis selectissimis demonstrat, ex quibus ea, quæ p. 12 de Monachis Benedictinis sigillorum falsificatoribus, p. 13 de consule Pragensi ob sigillum uxoris negligentia amissum capitis damnato, nec non quæ p. 14 de thesauro sepulchrali Mariæ Honorii Imp. sponsæ Romæ reperto ex *Surii Commentariis* referuntur, præcipue legi merentur. Miratur denique Autor, eo processisse hominum perfidiam, ut suis quoque sigillis fidem ipsi detraherent, qua in re Græcos præsertim male audivisse, *Polybii, Guntheri & Iuvenalis* testimoniis ostendit. *Cap. II* vocum *Etymologiam, homonymiam & synonymiam* magna cura evolvit, variasque subinde ex antiquitate observationes admiscet, quarum specimen esse possunt ea, quæ occasione lapidum sepulcris reliquiarum suppositorum (p. 17) de origine hujus consuetudinis disserit. *Cap. III* de gentibus, quibus sigilla in usu fuerunt, prolixius agit, sigillorumque usum tam antiquum esse existimat, ut *ἔνεσμα βίε καὶ χεόνε* videatur. *Senecam* quidem in votis habere, ut nulla stipulatio emptorem venditoremque obligaret, nec pacta conventaque impressis sigillis custodirentur, fidesque potius illa fervaret & æquum colens animus, sed præter Indos, de quibus *Strabo* tale quid referat, vix gentem inveniri, quæ non sigillorum auctoritate se opus habere crediderit. Auspicatur ab *Hebræis*, de quorum sigillis ex *Genes. XXXIIX, 18, Exod. XXIIX, 11, Cant. IIX, 6, 1 Reg. XXI, 8, Jer. XXXII, 10,* rem expeditam esse pronuntiat, qua occasione voces  &  ex linguis orientalibus & interpretibus variis erudite explicat. Cum vero ex *Philone & Josepho* constet, Hebræos ab artibus *γαφικῆ καὶ τελασικῆ* vehementer abhorruisse, easque *βλαβεράς δημιουργίας* i. e. noxias artifices appellasse, atque ex earatione *Conringius* omnia Hebræorum numismata, quæ figuris ornata vulgo circumferuntur, in dubium vocarit, inquirendum putat Autor, num Judæorum sigilla nostris fuerint similia, variasque simul in area imagines impressas habuerint? Ubi in eam

incli-



inclinat sententiam, quod tempore Phariseorum sigilla quidem meris literis constiterint (qua occasione etiam de variis Christi & Pauli sigillis agit) postea vero ævo Talmudicorum imagines etiam permixtæ sint, eo tamen discrimine, ut si cælatura annuli esset gibbosa, non indui, sed ad signandum tamen adhiberi, sin depressa, indui quidem, non vero ad signandum adhiberi potuerit. Antiquissima denique Ebræorum sigilla solis literis ornata fuisse inde conjicit, quod Moses operam  non ad imagines sed literas tantum onychibus insculpendas adhibuerit. De *Ægyptiis* primo allegat locum *Plinii* ex Lib. XXXIII *Hist. Nat.* c. 1, quo illis sigillorum usus negatur, sed contrarium constare docet ex Gen. XLI, 42, ubi Pharaon Proregi Josepho annulum sigillarem in signum concessæ potestatis tradit. Deinde idem probat exemplo *Φραγισῶν* vel *μοχλοσ Φραγισῶν* apud *Ægyptios*, de quibus ex Herodoto, Porphyrio & Plutarcho accurate agit. Eadem methodo etiam de Persarum, Cyrenensium, & Græcorum, nec non Romanorum, Byzantinorum & Francorum sigillis agit, multaque S. Scripturæ & autorum loca illustrat. Quo vero tempore sigilla apud Germanos in usu exstare cœperint, Clarissimus Auctor ob barbariem antiquitus in Germaniæ finibus grassantem Monachorumque imperitiam atque in scribendo negligentiam ad liquidum perducere vix posse sperat. Ante Carolina tempora de usu sigillorum parum definiri posse existimat. Certum autem esse, apud Regulos Bojoariorum, Thuringorum Saxonumque sigillorum usum jam multo ante Caroli M. tempora receptum fuisse, idque tum ex crebro, quod Theodoricum Regem Ostrothorum cum Regibus Herulorum, Guarnorum, Thuringorum, imprimisque Rhadegundem cum Amalfredo instituisse novimus, literarum commercio, tum ex loco quodam Venantii Fortunati Auctor egregie evincit. Ad reliquos autem populos gentesque quod attinet, paucis huc redit Nostri sententia: in *Angliam* Guilielmum Nothum XI demum seculo sigillorum usum invexisse; *Wisigothos* autem VII jam seculo sigilla ad confirmandam diplomatum auctoritatem usurpasse; Pontifices Romanos initio ceræ impressisse annulos, idque fecisse Agathonem, deinde vero, ut diplomata diuturniora forent, placuisse Stephano III, ac deinde Hadriano I, tabulas Apostolicas plumbo obsignare, circa annum im-



primis DCCLXXII; nec denique Hungaris, Moscovitis, Danis, Suecis, Polonis, Longobardis, Siculis, usum sigillorum ignotum fuisse. *Mahumedanos* autem, licet antiquitus admiserint, & adhuc etiam (sed in literis tantum ad Reges externos mittendis aut secretis negotiis) admittant, libenter tamen ab omni imaginum genere abhorre-  
re observat, quos etiam imitantur Persæ & Indi. Ab iis vero re-  
cedunt proprieque sic dictis sigillis utuntur Sinenses, Japonenses, Abissini. Illorum enim Regis sigillum præfert draconem barba-  
tum & cornutum; apud istos non modo Regis sed ipsarum quo-  
que civitatum & pagorum nobilium sigilla certa figura, veluti  
stellis, capite apri, luna, cilindris, globulis aliisque hujusmodi re-  
bus notata deprehenduntur; horum vero Rex in consignandis  
literis utitur signo leonis crucem tenentis cum epigraphe: *Vi-  
cit Leo de tribu Juda.* Quæ omnia non erudite solum pro-  
bantur, sed & ea, quæ obstare quodam modo videntur, solide  
refelluntur. *Capite IV* agitur de *materia in sigillis adhibita* &  
primum quidem de *bullis aureis*, ostenditurque Principes olim, in-  
primis vero Imperatores nostros, omnem dedisse operam, ut etiam  
externo quodam & colore & literarum splendore suæ autoritati  
confulerent. Hinc Impp. Constantinopolitanos diplomata sua  
vel encausto, hoc est, sanguine conchæ sive purpuræ vel cinnabari  
subscripsisse, hujusque prærogativæ suæ tam fuisse tenaces, ut ne  
tutoribus quidem Imperatorum impuberum isto liquore scribere  
fuerit licitum, sed potius illi viridi colore uti necesse habuerint; etsi  
negandum minime sit, labente Orientali Imperio istum morem a  
Palæologis non tam religiose fuisse observatum. Imperatores au-  
tem nostros ad majorem literis suis conciliandum splendorem pro-  
cul habito Orientalium encausto ipsum aurum (majestati Imperii  
convenientius) adhibuisse, quam tamen magnificentiam cum aliis  
quoque Regibus, Pontificibus imo & Ducibus, diversa licet auri  
quantitas fuerit, communem fuisse, pro more suo, id est, solide No-  
ster demonstrat. Ceterum originem bullæ aureæ non Francis, ut  
Carolus quidem du Fresne, Polydorus Vergilius, Thulemarius ar-  
bitrentur, sed Græcis unice deberi putat Cl. Autor, his potissimum  
rationibus inductus. Primo quia constat etiam apud Francos aureas  
bullas vocatas esse *Byzantia*. Quemadmodum enim numerum  
genus



genus a Constantinopolitanis acceptum Franci vocarint *Byzantinos*, ita eosdem eandem habuisse rationem aureas quoque bullas Byzantia appellandi. Secundo quia mores Græcorum Cæsarum id ipsum nobis persuadeant, utpote apud quos omnia ad magnificentiam, ad mollitiem, ad luxum, ut contra apud Francos ad bella potius quam ad splendorem, composita fuisse compertum sit. Post recensum variarum aurearum bullarum, negotiorumque, in quibus earundem usus fuerit, clarissimus Autor aggreditur *Capite V* ea, quæ ad *bullas argenteas & plumbeas* inprimis pertinent, illarumque Latinis rarum, frequentiore vero Græcis & Orientalibus, harum autem ob materiæ perennitatem minusque a furto periculum frequentissimum usum & Græcis ipsis & Imperatoribus Regibusque Occidentalibus, imo & Ducibus Venetis, Civitatibus, Pontificibus Romanis & Episcopis fuisse exemplis selectissimis docet. Notari vero hoc in capite quam optime merentur ea, quæ Cl. Autor de plumbeis bullis Caroli M. quarum ab una parte legitur : KAROLUS MP. AGS. ab altera vero RENOVATIO REGNI FRANCORUM, adfert. Nam non solum cui Imperatori tribuendi & quomodo legendi sint, curiose ostendit, sed & genuinas easdem esse, rationibus omni exceptione majoribus contra Cl. Tenzelium ostendit. *Cap. VI* descendit Autor ad sigilla *cerea*, eorumque varium colorem de industria expendit; atque hunc fuisse vel *simplicem*, v. g. luteum, flavum, rubrum, viridem, nigrum, vel etiam *mixtum*, & ex altera parte album vel rubrum, ex altera contra rubrum & viridem demonstrat, adjungens simul, quid de *cretaceis* sigillis & de *maltha* veterum sentiendum sit. Quo vero de sigillorum quoque *figura & diversa quantitate* constat, utramque explicandam sibi sumit *Cap. VII*, ubi varia antiquitatis monimenta producit, variasque figuras depingit tam feliciter, ut nemini non cognitum esse possit exploratumque, quo ævo sigilla *orbicularia, ovalia, parabolica, oblonga, triangularia, quadrata, trifolio similia, cava* denique olim fuerint adhibita. Notatu inprimis digna sunt, quæ p. 57 de sigillis oblongis & utrinque acutis a Cl. Autore differuntur, quorum antiquitatem ex seculo demum XII & XIII repetendam esse, exemplis Theodorici Marchionis Misniæ & Juttæ Misnen-



Misnensis & Orientalis Marchionissæ & aliis argumentis probatur, simulque ostenditur gravissimis rationibus adductis, sigillum istud Adelberti Archiepiscopi Bremensis satis grande ab H. Hamelmanno & P. Lambecio delineatum minime esse genuinum. *Cap. VIII imagines & inscriptiones sigillorum in universum considerat, sigillatim vero Christianorum rationem habet. De quibus septem potissimum momenta probe observanda esse monet. (1) Christianis & antiquis & medio ævo viventibus adeo gentilium mythologiam (secus ac hodie proh dolor fiat) sorduisse, ut illa, quæ eandem spirent, pro malæ notæ sigillis procul dubio habenda sint; eoque refert sigilla Pipini Regis cum Bacchi, & Caroli M. cum Anubis seu Serapidis capite, quorum falsitatem contra Mabillonium fuse & erudite ostendit. (2) Imagines æque ac inscriptiones ob barbariem illius temporis nihil plerumque habere, quod antiquorum Romanorum acumen ac genium referat, licet pauca, Imperatorum nimirum Carolingorum Salicorumque sigilla ob renascentes ipsis imperantibus literas eximat. (3) Inscriptiones sigillorum, si Græcæ nonnullæ Byzantinorum & Pontificum Romanorum excipiantur, Latina lingua conceptas deprehendi. (4) Nullum ferme extare mediæ ævi sigillum & inscriptionem, quæ non a cruce ordiatur, qua subscribentes innuere voluissent tacito veluti juramento, se, quod promississent, quam sanctissime servaturos esse. Qua oblata occasione etiam in originem formularum: *Dei gratia & Dei Apostolicæque sedis gratia* inquiritur. (5) Antiquos in dignitatibus provinciisque recensendis admodum parcos fuisse, ubi simul variæ de titulis Episcoporum & Principum observationes plena manu feruntur. (6) Præter inscriptiones seu perigraphas etiam nonnunquam in sigillis observari epigraphas in ipso orbe ad figurarum explicationem additas, quem morem a pictorum sculptorumque ruditate derivat. (7) Denique notat, non deesse sigilla, in quibus nulla plane habeatur Inscriptio, quæ omnia jucundissimis exemplis probantur. *Cap. IX* speciatim de *Imaginibus* atque *Inscriptionibus Cesarum Regumque Romanorum ut & Imperatricum* fuse agitur. Incipit Cl. Autor ab ipso Julio Cæsare ejusque & Augusti, Neronis, Galbæ, Commodi, varia sigilla ex antiquitate obiter exhibet. Pergit deinde ad sigilla Caroli M. cu-*



M. cujus varia sigilla, Osnaburgense, puta, tria Mabilloniana, San-  
 maximianum, Trevirense, (quod valde tamen spurium esse asse-  
 ritur pag. 82, 83) & Domini le Blanc extare ostendit, nec omittit  
 quoque characteres sigillorum Carolinorum, quorum ope vera a  
 falsis, genuina a spuris discerni possunt. Ea ergo sigilla pro ma-  
 xime genuinis habenda esse concludit, quæ Caroli faciem *modica*  
 barba (quam utique aluisse contra nonnullos disputat) conspicu-  
 am optime referant, cum hac insuper inscriptione: XPE PRO-  
 TEGE KAROLUM IMPERATOREM. Hanc vero inscribendi  
 formulam Francos a Byzantinorum moribus mutuatos fuisse per-  
 hibet. Hac fide ac methodo Cl. Autor perlustrat sigilla Ludo-  
 vici Pii, Lotharii Primi Imperatoris, Ludovici Germanici, non Im-  
 peratoris quidem, Regis tamen orientalis Franciæ seu Germaniæ  
 titulo utentis, Caroli Calvi, Caroli Crassi, Arnulfi, Conradi I, Hen-  
 ricus Aucupis (cujus sigillum primus Autor nobis communicat)  
 reliquorumque usque ad Friderici IV tempora. Utinam vero no-  
 bis liceret hic pro dignitate recensere varias huic Capiti in-  
 spersas observationes, quales v. g. sunt, quæ de *aurea Roma* in  
 Imperatorum sigillis deprehensa, de Lothario II & Conrado II ad-  
 feruntur, curiosasque quæstiones historicas, quo referas illas: quis  
 Imperatorum se primus vocaverit semper Augustum? quid sibi ve-  
 lint literæ A.E.I.O.V. in Fridericianis sigillis? item quid significant  
 versiculi:

*Aquila Ezechielis*  
*Sponsa missa est de cælis,*  
*Volat ipsa sine meta,*  
*Quo nec ales nec propheta*  
*Evolavit alius?*

tandemque, quo tempore apud Germanos invaluerit aquila bi-  
 ceps? Sed hæc persequi & chartæ angustia & instituti nostri ratio  
 prohibet. *Cap. IX* tractantur sigilla *Regum, Ducum, Principum*  
 & *Comitum*. Inter Regum sigilla numerantur primo loco Regum  
 Francicorum, tum Merovingicorum, ut Childerici, Theodorici, tum  
 Carolingorum; secundo vero Regum exterorum, ut Hispano-  
 rum, Suecorum, Russorum, aliorumque sigilla, una cum inscriptio-  
 nibus accurate exhibentur. Principes vero diplomata signare cœ-  
 pisse statim a Carolingicæ stirpis interitu, defenditur solidissime



adversus Jo. Aventinum, sigillorum Ducalium originem in seculi XII initia referentem, istamque gloriam Henrico demum VIII Boiorum Regulo vindicantem. Post hæc erudite explicat, quid sibi velit in nonnullis diplomatibus titulus *Marchisi*, quid in sigillis *ensis frictus*, habitus equestris vel venatorius, aliaque plura. *Capite XI* sigilla nobilium *civitatum*, *Capite vero XII Pontificum, Conciliorum & Cardinalium* explicantur, ubi tot occurrunt curiosæ observationes, ut eas brevi hoc recensu absolvere minime liceat. Non tamen prætereunda sunt, quæ post alios de bullis Pontificum differit, cum enim in illis sistatur nobis S. Paulus ad dextram, S. Petrus vero ad sinistram, inde, quicquid tandem Pontificii nonnulli circa ejusdem sigilli explicationem excogitent, evinci facile posse docet, Ecclesiæ Romanæ Præsules in locandis ad se invicem Apostolis primatum Petri & προεδρίαν non adeo scrupulose, ut hodie fieri soleat, attendisse. Id vero signandi genus Leonem IX, non Adrianum IV, nec etiam Paschalem, aut Urbanum II, primum invenisse, contra nonnullos asseritur. Multa ceteroquin notatu dignissima reperiuntur de annulo piscatoris, de bullis Conciliorum, Consistoriorum, imprimis Hussiticorum, de sigillis Cardinalitiis, & quæ imprimis observanda, de sigillis, quæ *Tezelianis indulgentiis* appensa fuerunt. *Cap. XIII de sigillis Archi-Episcoporum, Episcoporum, & Magistrorum Domus Teutonice* agit Autor, ubi occasione sigilli, in quo Episcopus librum cum formula PAX VOBISCUM præfert, inter alia multa notabilia inquirat, qui factum sit, ut, cum ista formula omnibus Clericis ab initio communis fuerit, postea solis tantum Episcopis eadem uti fuerit integrum. *Cap. XIV* subministrat doctissimus Autor *sigilla Ecclesiarum, Monasteriorum, Abbatum, Præpositorum, Decanorum*, addita ratione, cur illis Sanctorum figuræ, Angelorum capita & imago S. Mariæ præcipue inscripta fuerint? *Cap. XV de sigillis secretis & contra sigillis* eorundemque usu & antiquitate, imaginibus atque inscriptionibus agitur. *Cap. XVI modi sigilla imprimendi atque appendendi* curiose, notato semper tempore, explicantur, & tandem *Cap. XVII* haut pauca de variis fraudibus ac imposturis in ne sigillari commissis, una cum regulis quibusdam de discernendis sigillis genuinis & supposititiis adjiciuntur. In *Parte secunda* usum ac



ac præstantiam sigillorum fufe ac folide ubique Cl. Autor demon-  
 strat, & *Capite I* facta jucunda collatione sigillorum cum numisma-  
 tibus, disquirat, quodnam inter hæc antiquæ elegantia *λειψανα*  
 alterum præstantia superet? De numis equidem concedit Clarissi-  
 mus Autor, eos ob suam & antiquitatem & copiam & diuturnita-  
 tem præ sigillis habere quandam quasi prærogativam: pro sigil-  
 lorum tamen præstantia contendit, multasque ac pergraves  
 subesse rationes ostendit, quibus permotus fatendum existimat,  
 sigilla, si non palmam numis præripiant, dubiam tamen ean-  
 dem quam maxime reddere. Demonstrat enim (1) sigillorum  
 ope historiam mediæ ævi magis, quam ipsis numis illustrari posse,  
 (2) certiores esse sigillorum quam numorum *γνησιότητα*, (3)  
 chronologiæ sigillorum, quam numorum, tutius fidendum esse,  
 (4) sigilla numis mediæ ætatis multo esse elegantiora, & (5)  
 denique inscriptiones sigillorum magis, quam numorum, esse  
 perspicuas. Quæ sane ad unum omnia quemadmodum  
 numorum pretium non minuunt, ita satis superque, quanto in  
 pretio sigilla haberi debeant, nos edocent. Usus vero sigillorum  
 in omnibus fere elegantioris eruditionis partibus Clariss. Autor  
 ostendit. Hinc *Cap. II* usum sigillorum *Grammaticum & Cri-  
 ticum* insignem admodum expendit, eumque in his potissimum  
 cerni ait, partim quod sigilla doceant, quæ singulis seculis exstiterit  
 literarum forma, quæ scribendi, abbreviandi, interpungendique  
 ratio, (hanc vero ut eo melius certiusque cognoscas, observatio-  
 nes quasdam de forma literarum in genere præmittit, postea non-  
 nullas in specie de diphtongis, de abbreviaturis, de interpunctio-  
 nibus, de orthographia subjungit;) partim quia e sigillis genuina  
 nomina propria Germanorum restitui possint. *Cap. III* repræ-  
 sentat usum imprimis sigillorum *Historicum*; eumque tam amplum  
 esse selectissimis testimoniis atque exemplis probat, ut in histo-  
 ria Sanctorum, accuratiore Ecclesiarum cognitione, in historia con-  
 versionum, in omni civili historia, in Genealogia, in scutis gentili-  
 tiis, in historia Principum, in studio Antiquitatum, in ritibus qui-  
 busdam sacris, in re mediæ ævi vestiaria, mirum in modum appareat.  
 Réperiuntur insuper multæ eruditæ observationes, v. g. de mitra  
 Episcoporum, de barba Clericorum, de variis armis, veluti vexillis,



Gonfanonibus, de gladiis & calcaribus, & quæ sunt hujus generis alia. *Cap. IV* eoque ultimo Autor *usum* sigillorum *Heraldicum* declarat, omittens de industria *usum*, quem sigilla habent etiam in Politicis & Moralibus. Tandem sub finem hujus libri, se proxime aliquot familiarum sigilla justa serie disposita atque explicata editurum esse, promittit, & totum librum novendecim tabulis æneis, in quibus sigilla selectiora quamplurima nitide admodum delineata exhibentur, obsignat, ut quibus exemplis subinde regulas suas explicarit Autor, Lectores eo felicius perspiciant.

*JURIS PRIVATI ROMANO - GERMANICI,*  
*ex omnibus suis partibus, puta Jure Civili, Ecclesiastico*  
*& Feudali, hætenus separari solitis, secundum genuinam*  
*Jurisprudentiæ naturalis fundamenta compositi, a tricis*  
*& obsoleto jure purgati, ex necessario suppleti, ac ordine na-*  
*turali planoque statui Reipublicæ Germanicæ attempe-*  
*rati, Libri duodecim; Autore D. GOTTLIEB*  
*GERHARD TITIO.*

Lipsiæ, sumptibus Hæred. Lanckis. 1709, 4.

Alph. 9 plag. 10.

**D**E reformanda Jurisprudentia multorum diverso tempore prodierunt consilia, sed Consultissimus *Titius*, Facultatis Juridicæ apud Lipsienses Assessor gravissimus, nosterque in colligendis his Eruditorum Actis Collega perindustrius, re ipsa specimen emendationis, quousque hæc privato subest arbitrio, exhibere sustinuit, de quo in Præfatione operis plenius differitur. Scopus igitur ejus est, vitia disciplinæ emendare, ac Jurisprudentiam privatam Germanicam usui scholarum & vitæ civilis propius aptare, id quod ea ratione sibi exequendum esse existimavit, ut partes Jurisprudentiæ privatæ, nempe Jus Civile, Ecclesiasticum & Feudale, hætenus sine ulla, ut putat, ratione distractas, conjungeret, conjunctas statui generis humani & Reipublicæ Germanicæ attemperaret, generalia æquitatis fundamenta legibus positivis & institutis humanis passim substerneret, a legibus obsoletis disciplinam

hanc



hanc purgaret, tricas, quæ mentibus discentium glaucomata velut obijciunt, abstergeret, jura scitu necessaria & utilia, vulgo tamen omiſſa, loco congruo infereret, atque illa omnia ordine plano & naturali proponeret. Nos totius operis ſtructuram ſumma, qua fieri poterit, brevitate exhibebimus. In duas igitur partes diſciplinam juris diſcernendam eſſe Noſter cenſet; in *præliminarem*, quæ indolem illarum rerum, quæ per univerſam Jurisprudentiam ſe diffundunt, explicet, & *principalem*, quæ argumentum legum Germanicarum tradat. Prior pars *Libro Primo* abſolvitur, in quo adeo de Jurisprudentia Germanica, actione humana, legibus Germanicis, jure Canonico, Romano, Longobardico, conſuetudine, de eo, quod fit ipſo jure, fictionibus legum, conflictu ſtatutorum, rebus moralibus ſive incorporalibus, conſcientia, de affectionibus actionum humanarum moralibus, delictis, pœnis, actionibus aliisque remediis forenſibus, legum interpretatione & applicatione nec non reſtitutione in integrum tractatio fuit inſtituta. Pars poſterior ſive principalis *jus conſtitutum ac modum jura obtinendi ſeu proceſſum forenſem* ſummatim, ex ſententia Noſtri, continet. De jure conſtituto, ſecundum triplicem hominum conſiderationem generalem, quatenus ſcilicet illi exiſtunt, ac ſibi ipſis, proximo & Deo officia debita exhibent: deinde genus ſuum propagant, ac tandem moriuntur & morituris vel mortuis officia præſtant, idem deinceps egit. Hinc in *Libro Secundo*, præmiſſa varia hominum conditione, de officio hominis erga ſe ipſum, officiis ſocialitatis in genere, pactis, jure & obligatione correali, de poſſeſſione, præſcriptione, probatione ejusque ſpeciebus, confeſſione, inſtrumentis, teſtibus, jurejurando, præterea de jure Talionis, Religione & jure Neceſſitatis diſſeritur. Sed ut jura hominum exiſtentium ſpecialius intelligantur, potiora ſigillatim Noſter expendit, ac in *Libro Tertio* de hominum inviolabilitate, libertate, exiſtimatione & infamia, injuriis, de dominio ejusque effectu ac circa illud officio, de pauperie, negotiis geſtis, pretio, dominio minus pleno, de ſervitutibus personalibus & realibus, de pignoribus, actione Publiciana & læſione imminente, pro inſtituti ratione agit. Quam tractationem in *Libro Quarto* excipit explicatio contractuum, hinc de permutatione, emtione, venditione, locatione,



conductione, societate, mutuo, donationibus inter vivos, mandato, commodato & precario, de deposito, pollicitatione & voto, contractibus innominatis, fortuitis, fidejussione, contractu pignoratitio, de contractibus ex una parte impletis, imputatione contractuum alienorum, læsione in contractibus onerosis emendanda, evictionibus & usuris aliisque contractuum communibus, necessaria capita exhibentur. *Liber Quintus* in tradendo jure personali, quod ex delictis, aliorum res præcipue respicientibus, dependet, occupatur, adeoque in eo, quæ de furto, vi, condictione ob turpem causam, damno injuria dato, incendio, dolo & stellionatu, falso, de delictis ambiguis & receptatione delinquentium, scitu sunt necessaria, repræsentantur. Cui expositioni tractatus de solutionibus, solutione subsidiaria, compensationibus, novationibus, transactionibus reliquisque tollendarum obligationum modis, nec non de condictione indebiti & Senatus Consulto Vellejano accedit. His absolutis pergit Noster ad jura hominum propagationem & res connexas respicientia, hinc in *Librum Sextum* disquisitio de sponsalibus, conjugio, consanguinitate & affinitate, jure conjugum in bona, dissolutione conjugii, repetitione illatorum, usu jurisjurandi in re matrimoniali, de adulterio reliquisque delictis carnis, patria potestate, agnoscendis & educandis liberis, peculio liberorum, legitimatione & adoptione, societate domestica, de tutela, cura, de curatore mulieris Saxonico & restitutione minorum relata est. Hanc sequitur tertia hominum consideratio generalis sive tractatio jurium, quæ mortem respiciunt; quamobrem in *Libro Septimo* de successione ab intestato, successione conjugum, testamentis & codicillis, hæredibus instituendis, substitutionibus, hæreditatibus fidei commissariis, de legatis & fidei commissis singularibus, testamentis invalidis, invaliditate legatorum, testamentis privilegiatis, sepultura mortuorum, hæreditatis aditione & repudiatione, actionibus hæreditariis, querela nullitatis & inofficiosi, de divisione hæreditatis & collatione, agnitione legatorum, mortis causa donationibus & capionibus nec non de hæreditatis separatione & venditione agitur. Postea, quæ ad statum subditorum civilem spectant, in *Libro Octavo* adducuntur: nam in hoc argumento triplex hominum consideratio generalis, hætenus

scorsim



feorsim excussa, suo modo concurrere Nostro videtur. Hoc loco igitur de subditis Germaniæ, universitatibus, pagis, municipiis, collegiis municipum, districtibus pagorum & urbium, subditorum existimatione, oneribus & muneribus publicis, de jurisdictione, foro competente, commissariis & arbitrariis, jure subditorum circa res publicas, venationibus & sylvis, metallis, molendinis, re militari, regimine temporum & jure fisci idem differuit. In primis illi, qui in civitate vivunt, intuitu cultus divini, aliquam inire solent societatem, cui Noster *Librum Nonum* destinavit, hinc in illum consuetam Jurisprudentiæ ecclesiasticæ capita, de Ecclesia, Conciliis, Consistoriis, jure Patronatus, Parochiis & Parochianis, subfelliis templorum, ministris Ecclesiæ, de statu Ecclesiæ pastore destitutæ, Superintendente, Clero Papali, Liturgia, Baptismo, Eucharistia, confessione auriculari, delictis ecclesiasticis, disciplina ecclesiastica, de ecclesia politica & conservatione Ecclesiæ, redacta conspiciuntur. His expositis, instituta & operationes, quæ formatam societatem civilem sequi solent, Noster in *Libro Decimo* expendit, quem in finem doctrinam de Scholis & Academiis, dignitatibus Academicis, commerciis, nundinis, cambiis, proxenetis, concursu creditorum, debitoribus obæratibus, actione Pauliana, peregrinationibus, viis publicis, vectigalibus, infortuniis peregrinationum, de divertoriis, bello, jure postliminii, lætitia & calamitate publica ac cura pauperum, distinctis capitibus proposuit. Cum autem jura humanis, & præcipue quidem Imperio & Dominio accidere soleat, ut aliis nonnunquam sub lege fidelitatis concedatur, ex eoque instituto feudum existat, ideo de hoc in *Libro Undecimo* sibi dicendum esse existimavit. Hic igitur solennia Jurisprudentiæ Feudalis capita, de natura, origine & varietate feudi, de personis illud constituentibus, materia & constitutione feudi, simultanea investitura & expectantia, præscriptione feudi, jure Domini directi & Vasalli, alienatione feudi, revocatione feudi alienati, debitis feudalibus, pignore feudali tacito, concursu creditorum feudalium, de successione feudali legitima liberorum, parentum & collateralium, testamento & tutela feudali, renovatione investituræ, amissione feudi & judice feudali, exhibentur. Hæc omnia ad Jus constitutum pertinent, deinde ad alterum caput Jurisprudentiæ generalissi-



mum, nempe Processum forensem in *Libro Duodecimo* Noster progreditur, quam tractationem ita executus est, ut absoluta tractatione processus generali, partes processus civilis ordinarii, nempe libellum, citationem, terminum, satisfactionem, dilationem, litis contestationem, reconventionem, interventionem, litis denunciationem & reassumptionem, nec non contumaciam, exceptiones, modum probandi, sententiam judicis, appellationem similiaque remedia & executionem explicaret. Postea varias processus civilis species, summarium, executivum, processum concursus & arresti, provocatorium & possessorium adduceret, ac tandem ea, quæ ad processum criminalem banni & desertionis spectant, persequeretur. De cetero in singulis materiis aliquam connexionis rationem reddere, easdemque ita, ut captui disciplinæ præsentis conveniant, proponere conatur Noster, præterea libertate, quam scopus præfixus exigere videbatur, usus a sententiis receptis nonnunquam recedit. Sic fictiones legum Romanarum passim probatas & commendatas valde exagitat, recepta contractuum principia plane immutat, dum nullos nisi contractus consensuales admittit, explosis Romanorum contractibus verbalibus, realibus & innominatis, nec non pactis legitimis & adjectis, quæ autem de contractu literali & exceptione non numeratæ pecuniæ vulgo dicuntur, ea ad materiam probationis pertinere censet, & quasi contractus otiosa commenta existimat. Jus Canonicum & Civile, in computanda cognatorum collateralium distantia dissidere, communis est sententia; sed illud male intellectum, in rei veritate autem nullum inter jura illa esse dissensum, Noster arbitratur, contendens Jus Canonicum saltem numerare descensum collateralium a communi stipite, civile vero eos inter se computare, quæ adeo facile conciliari queant. Juramentum judiciale contra matrimonium deferri non posse, ex indissolubilitate vinculi matrimonialis vulgo eliciunt; sed rationem illam male applicari, ac adeo juramentum illud, etiam contra matrimonium esse admittendum, diversis rationibus probare Noster nititur. Plura addere non opus videtur. De usu hujus scripti ipse Cons. Autor etiam in Præfatione nonnulla admonuit, ex quibus hoc unicum notamus, quod idem, juxta rationem a se præmonstratam, intra unius anni spatium, fundamenta



Jurisprudentiæ Universalis, ut & Germanicæ, tam publicæ quam privatæ, sub alterius ductu tractandæ, absolvi posse existimet.

*SACRÆ MAJESTATI REGIS AUGUSTI  
dicata de Thermis Carolinis Commentatio, qua omnium  
origo fontium calidorum itemque acidorum ex Pyrite  
ostenditur; Autore JOANNE GOTHOFREDO  
BERGERO, Archiatro Regio & Professore  
Medico.*

Vitembergæ, prelo Gerdesiano, 1709, 4.

Alphab. I.

**C**eleberrimi Autoris *Physiologiam Medicam*, in Actis nostris A. 1701 mense Novembri recensitam, quanto applausu exceperit Medicorum ordo, notissimum est. Lætandi atque applaudendi novam occasionem dedit nuperrime, emissa in publicum præsentis de Thermis Carolinis Commentatione, illis omnibus, qui accuratam fontium medicatorum atque in natura ipsa fundatam explicationem hiantem ore ac faucibus expectarunt hætenus. Quibus enim nota Excellentissimi Viri in Physicis ac Medicis scientia consummata, fateri non detrectabunt, nullum inter Medicorum filios inventum iri facile, qui pari felicitate tam abstrusum negotium explicatum dare valuerit. Accedit solita ejus in stylo elegantiori puritas juxta & perspicuitas, quibus vel maxime se a communi scriptorum cœtu distinguit, & aurea poma in argenteis patinis Lectoribus suis proponere solet. Totius accuratissimi operis compendiosam pro more nostro adumbrationem dabimus.

*Cap. I* de ortu & incremento Thermarum Carolinarum agens, anno M CCC LXX has inclarescere potissimum cepisse, Carolo IV Romanorum Imperatore ipso salutarem in crure affecto earundem virtutem experto, docet, qui etiam domo ad oram fontis, quo recreatus fuerat, extracta, prima condendæ urbis ab ipso & calidis aquis appellatæ, fundamenta jecit. *Cap. II* originem fontium Carolinorum rivo cuidam subterraneo adscribit, quem ex propinquo flumine Egræ alicubi se subducere, ac sub-



ire terram, & cursum secreto agere intra montem, cui nomen est a cervis, ex eoque itinere tandem declivi per fervidas terræ venas occultis illuc viis commeari persuasus est. *Cap. III* dum rationem investigandi materiam & temperationem Thermarum Carolinarum proponit, accuratius ante omnia examinanda putat varia fossilia ejus regionis, in qua hæc calidæ manant, quæ in pyrite, ferri & salis cujusdam nitrosi ejusque generis saxi calcarii, quod vocatur gypsum, venis potissimum consistere pro comperto habet. Hic experimenta simul quædam affert, pro examinandis horum fontium concretis instituta. Aquas ad libram circiter modo ex fonte hæstas, injecto tantillo pulveris gallarum ad duo triave grana, illico purpurascere, infuso oleo tartari per deliquium semper lactescere, cum solutione salis petrae & communis amice misceri, ex sale ammoniaco autem salem volatilem liberare, cum solutione vitrioli non sine conflictu confundi observavit. Exhalatione libræ thermarum unius sedimentum relinqui albidum drachmæ tantum dimidiæ ponderis, & iterata solutione salem præbere crystallinum granorum circiter 25 saporis nitrosi, expertus est. *Cap. IV* de materia & temperatione ac speciatim de sale thermarum agit. Ubi in genere quidem has aquas ex sale nitroso per minima soluto & ramentis gypsi, ac divisis tenuissime particulis pyritæ sulphureis & ferreis constare, ea quidem proportione, ut sextarius vel libra una aquæ grana salis minimum viginti quinque, uti jam supra monitum, pollinis vero gypsei grana circiter quatuor vel quinque, minimumque partium pyritæ complexu suo contineat, docet. In specie autem salem nitrosum Thermarum pro aphronitro habet, nullumque discrimen inter hoc atque illud, quod in cellis nascitur, inveniri putat. *Cap. V* falsas de causa caloris Thermarum sententias & errores reprobat. *Cap. VI* autem veram caloris subterranei & Thermarum Carolinarum omniumque aliarum causam Pyritem ferventem esse docet. Pyrites autem ipsi idem illud minerale est, quod Arabibus Marchasita, Germanis ein Kieß, & a *Lisbero* ferri metallum appellatur, quod, cujuscunque sit generis, ferro constat, ut clare pulvis ejus testatur, qui ustus, imo sæpe etiam crudus, prompte magnetem sequi observatur. Hic Pyrites, humore aqueo undecunque in venas suas hujusque poros delato, ita paulatim sol-



vi potest, & laxari nexus & compages sulphuris & ferri, ut cum hæc antea conjuncta arctius coactave in pyrite ferme quiescerent, vel paulo certe languidius agitarentur & spirarent, jam aquæ subeuntis incitatione vinculis suis nonnihil soluta & concita vividius ac collisa, rarefiant paulatim, & que ad motum attritumque progressu temporis acriorem adacta, effluviu copiosius, quo calor continetur & viget, proferant. Atque ita aquismersum pyritem, dum suarum motu partium sulphurearum & ferrearum mollitur atque extenuatur, atque hinc concepto fervore æstuque, vaporando paulatim totus in aquis diffluit ac tabescit, pro illius varietate decentis motus, varium in his calorem accendere, Thermasque efficere persuasus est. In genere autem, ubicunque locorum vel calor viget subterraneus, vel incendia terræ existunt, aut aquæ manant calidæ, ibidem vel ipsos investigantibus pyrites occurrere, vel eos intus æstuantem alia haud levia indicia prodere existimat. *Cap. VII* originem fontium atramentosorum seu Acidularum & chalcanti ex eodem cum Thermis deducit principio saltem aliquantum immutato. Nam uti pyrites fervens aquas reddit calidas, in quibus suarum æstu partium liquefit, atque in ochram vaporantem halitusque sulphureos paulatim totus diffluit: ita parit, sua opinione, Acidulas, ubi imbribus terras ejusmodi eluentibus liquatus, & cum iisdem aliorum delabentibus alicubi collectus, longoque partium tritu magna sulphuris portione pingui orbat, & hinc emergente halitu acido exacutus ac defervescent, sive in atramentum versus metallicum, aqua profluyente dissolvitur. *Cap. IIX* causam halituum in Thermis Carolinis quondam perniciosorum ex eodem quidem pyrite, aut arsenico aut aliis vi corrodingi præditis admistis, exsurgere potuisse persuasus est. Tales enim re vera quondam ex infamibus quibusdam foveis, hodie terra tectis ac munitis, exhalasse, e Sommero allegat. *Cap. IX* de viribus & effectis potarum Thermarum Carolinarum differens, repetit, quæ de materia & mixtione eorundem superius dixit, atque exinde colligit, vim earum diluendi, temperandi, dissolvendi, tergendum atque aperiendi, & alvum pariter atque urinam sudoremque ciendi, satis manifeste patere. Siquidem hæ ipsæ aquæ suarum tenuitate partium & vi in minima divisi admistiquæ



falis nitrosi & cientium intus atque agitantium fervore halituum  
 pyritæ ad id maxime natæ aptæque sunt, ut facile ventriculum &  
 intestina quodam caloris fugacis sensu subire, & hinc consequen-  
 te ac durante diutius vi refrigeratoria, in vasa & in omne corpus  
 permanere, nec minus succos qui iisdem continentur, diluere ac  
 dissolvere, quam canales ipsos ad vegetiores renixus & contractio-  
 nes placide excitare, eorumque amurcam & colluviem abradere  
 & coercere, ac fecum per vias alvi, vesicæ & sudoris aliosve natu-  
 ræ abscessus evehere possint. Hic postea in specialem descendit  
 affectuum enumerationem, quibus opitulari observantur lauda-  
 tæ thermæ, insimul vero & illos, quos peiores reddere solent, re-  
 censet. *Cap. X* de ratione bibendi aquas ex fontibus Carolinis  
 sequentia potissimum observanda commendat: 1 Has aquas non  
 aliter, quam detracta vasorum plenitudine, & præparatis quoad  
 satis est primis viis, bibendas esse: 2 Ubi electioni locus est, in ve-  
 ris flexu atque inter æstatis initia, principio item autumnii, ubi  
 temperatum est cœlum & ad calorem magis inclinatur, uti eis con-  
 venire; nec tamen penitus dissuadendum usum temporis hyber-  
 ni, præeunte *Morello de Balneis Patav.* existimat: 3 Tempus diei  
 commodissimum esse horas matutinas, quintam vel sextam, refe-  
 ctis nocturna quiete viribus, & si opus, levato prius onere naturæ:  
 4 Rationem habendam esse modi, ut post quietis unum aut alte-  
 rum diem, sensim & partitis vicibus, ac per intervalla, ne gravetur  
 ventriculus, neu fiat nausea, quove alvus & vesica, prout natura  
 operatur, convenienter exonerentur, recens haustæ ex præcipua  
 scatebra aquæ calidissimæ bibantur, idque vel interpositis mode-  
 rate deambulationibus in loco temperato, vel stando sedendoque,  
 prout visum cuique commodum fuerit, & effectus responderit:  
 5 Imprimis quantitatem potus definiendam esse ratione naturæ bi-  
 bentis & morbi, quo tenetur, ita quidem, ut diebus aliquot conti-  
 nuis, sine intermissione, aut usu balnei, ea unoquoque die quan-  
 titate aquas quisque bibat, non quantum ferre, sed quantum faci-  
 le & commode ferre possit. *Cap. XI* usum externum aquæ Ca-  
 rolinarum comprimendo habitum corporis contrahendove atque  
 in illud penetrando, magnas in eo mutationes efficere posse, con-  
 stare putat. Ast sicut harum potationem Thermarum ad eluen-  
 dum



dum purgandumve corpus merito magni facit, & plurimis salubrem ducit Celeberr. Autor, sic paucis admodum conferre operatur balneum earum, posteaquam observavit, non ita multis idem magnopere profuisse, quosdam etiam, qui a potis Thermarum aquis belle habuerint, male imo pessime a balneo habuisse. Quod cum prospiceret, aliis, quibus minus illud salubre censuit, usum balnei aquarum, prope molendinum scatentium, suavit, aliis auctor fuit, ut finita potatione balneas inviserent Teplizenses.

Hæc summaria totius Tractationis recensio. Claudunt hanc quædam, durante Thermarum usu, ægrotantibus utiles præcandi formulæ, quas ex Thomæ Guidotti de Thermis Britannicis opere mutuatas, communicat; toti autem Commentationi capitum & rerum Index locupletissimus adjectus est.

## A DIRECTORY PHYSICO - MEDICAL.

i. e.

*MANUDUCTIO PHYSICO - MEDICA; Auctore PETRO PAXTON, Med. D.*

Londini, apud J. Sprint, 1707, 8.

Plag. 17.

**I**N studiosæ juventutis gratiam, Praxin Medicam aliquando exercituræ, hanc Manuductionem composuit Clarissimus Autor, methodum suppeditando, & adminicula communicando, quibus ad Artis hujus cognitionem plenariam quis facili negotio pervenire possit. Scilicet ex vera partium natura, ex quibus corpus humanum componitur, a structuræ elegantia & forma, ut & a continuo fluxu & mutatione partium machinam nostram infirmitatibus, id est, morbis, & dissolutioni, id est, morti obnoxiam esse demonstrat. Hinc ex natura brutorum perfectorum & hominum sylvestrium, sylvas & deserta incolentium, morborum myriades in Europæis regionibus homines infestantium a luxuria & malefano vivendi ordine potius, quam a naturæ fragilitate produci probat. Ad Materiam Medicam hinc progreditur, ejus species enumerando, & methodum eas facile cognoscendi proponendo. Qua vero ratione eadem tam Galenico quam Chymicorum more sint præparandæ, seorsim tradit, & medicamentorum operationes



expendit, qua scilicet methodo & quibus instrumentis agant, & in quas partes suam exerant vim. Denique in morborum enumeratione eorum classes & differentias explicat, partes & corporis regiones, in quibus producuntur, determinat, & methodum eos expugnandi breviter tradit. Quibus singulis in capitibus Auctores semper allegat, qui substratam materiam vel ex professo explicaverunt, vel ulteriorem informationem suppeditare possunt.

ESSAY D' ANALYSE SUR LES JEUX DE HAZARD.

hoc est,

*TENTAMEN ANALYSEOS AD LUDOS APPLICATA, quorum eventus a fortuna pendet.*

Parisiis, apud Jacobum Quillau, 1708, 4.

Const, 1 Alph. 4 plag.

**A**Bunde huc usque docuerunt Geometræ, quantum ab ipsorum methodis præsidii rerum naturalium Scientiæ accedat: sed quantum ad actiones humanas in negotiis eventus dubii dirigendas eadem conferant, parum inquisiverunt. Exulavit fere hæctenus Analysis Mathematicorum ex Moralibus & Politicis. Neque tamen, quæ passim prostant Geometrarum specimina, nos de successu prorsus desperare sinunt. Cum enim summus *Leibnitius* series infinitas ad interusurium simplex in Actis A. 1683 pag. 425 & seqq. felicissime applicaverit, sæpeque de supplenda Logica in æstimandis gradibus probabilitatum admonuerit, *Pascalius*, *Fermatius* atque *Hugenius* sortem quorundam ludorum per Analysis ordinariam accurate determinaverint, quod etiam Mathematicus Gallus ingeniosus olim circa Bassetam præstitit, ut in Diario Parisino habetur; *Wittius Pensionarius* & *Johannes Huddenius* reditus ad vitam calculo subjecerint; in Anglia *Pettius*, *Hallejus* & alii gradus mortalitatis hominum calculo subjecerint indeque varias regulas pro dirigendis quibusdam negotiis civilibus deduxerint (quemadmodum in Actis A. 1691 p. 407 & seqq, atque A. 1705 p. 543 innuitur) & *Craigius* in Principiis Theologiæ Christianæ Mathematicis leges computandi probabilitatem historiæ tam viva voce, quam per testimonia scripta transmissæ, itemque gradus



gradus voluptatum tam æquabilium, quam inæquabilium tradere aggressus sit; quis in aliis casibus frustraneum fore arbitrabitur Geometrarum conatum, in quibus non minus atque in istis accurata æstimatio locum habet? Hac spe fretus *Jacobus Bernoullus* in singulari de Arte conjectandi opere nondum edito regulas proposuit probabilitatis futurorum eventuum sive in ludis, sive in aliis vitæ humanæ negotiis, ubi hæctenus fortunæ soli litatur. Quatuor præclari operis partes esse debebant, quarum tres priores diversorum de ludis fortunæ problematum solutiones una cum solutionibus quinque problematum a longo tempore per *Hugenium* Geometris propositorum exhibituræ, quarta vero methodos in istis exhibitas ad quæstiones morales, politicas & civiles resolvendas applicatura erat. Quam igitur orbis eruditus ob mortem Geometræ summi jacturam fecisse hæctenus visus est, ingeniosus *Reimundus de Monmort* supplere conatur, ostensurus in hac sua Analyfi dari leges fortunæ cognitu possibiles. *Bernoullum* imitaturus Parte I solutionem affert variorum problematum circa ludos, quos Galli *Pharaon, la basse, le lansquenet & le treize* vocant. Diversa præterea tradit de combinationibus theoremata & ad problematum particularium solutionem in ludis, quos Galli *l'homme, le piquet, l'imperiale, le Brelan &c.* appellant, transfert. Parte secunda tessellarum ludos expendit, partim in Gallia, partim in Anglia, partim alibi usitatos, utrobique una ostendit, quomodo ludi reformandi, ut eadem ludentibus vigeat spes lucri. Tandem Parte tertia problemata *Hugeniana* solvit & alia quædam superaddit, quatuorque Geometris solvenda proponit. Generaliter scilicet determinari jubet prærogativam ejus, qui chartas lusorias manu tenet, in ludo Gallis *Treize* dicto. Similiter petit fortem in ludis, quos Galli *le Her, jeu de la ferme & jeu des Tas* vocant. Enimvero horum ludorum leges, quas Autor tradit, huc transcribere nimis prolixum foret. Circa negotia moralia, politica & civilia nondum sibi satisfecit: quamobrem in præsentis opere ab iis abstinet, ne tanto argumento indigna proferat. Speciminis loco nonnulla ad ludum *Pharaon* pertinentia proferemus, cujus prænotandæ sunt leges sequentes. *Petrus* scilicet 52 chartas lusorias manu tenet duasque a reliquis semotas in mensa deponit. Quodsi dextra fuerit ea, quam sibi elegit *Johannes*, lucrum *Petro* cedit, sin sinistra, *Johanni*.



*banni.* Quodsi utraque ex electo genere fuerit, dimidium pecuniae ludo a *Johanne* assignatae Petrus accipit, altero dimidio ipsi relicto. Denique si charta ultima ex electarum numero fuerit, lucrum est nullius; ut adeo duplex sit *Petri* prae *Johanne* praerogativa. Enimvero ut intelligatur, quomodo fors tam *Petri*, quam *Johannis* in variis hujus ludi casibus determinari queat, generale, quod Cl. Autor praemittit, lemma *Hugenianum* considerandum est. Nimirum si numerus fortunarum *Petro* lucrum  $a$  offerentium fuerit  $m$  & numerus fortunarum ipsi  $o$  offerentium fuerit  $n$ , nulla alia fortuna concurrente &  $2a$  argentum a *Petro* & *Johanne* ludo consecratum designante, erit fors *Petri*  $2ma : m + n$ . Sit enim fors *Petri*  $= x$ , fors *Johannis*  $= y$ , erit  $x + y = 2a$ , ex hypothesisi. Et quoniam sortes sunt in ratione spei, spes vero in ratione mediorum lucrandi, erit  $x : y = m : n$ , consequenter  $ym = nx$ . Unde habetur  $x = 2am : m + n$ . Lemmate hoc demonstrato per combinationem 4 chartarum lusoriarum, quas inter una electa, casus utrique lusori favorabiles determinat, quorum lucris in unam summam collectis & per numerum combinationum 24 divisis, quotus sortem quaesitam exprimit. Similiter procedit in aliis casibus & ex simplicium consideratione alios magis perplexos determinat, legibus nempe combinationis cum legibus ludi collatis. Sint e. g. chartae lusoriae 6, & inter eas nonnisi una ex genere electo. Combinationes possibiles sunt numero 720, quae per 6 columnas dispositae dant 120 casus, in quibus charta electa primum; 120, ubi secundum; 120, ubi tertium; 120, ubi quartum; 120, ubi quintum; & denique 120, ubi sextum locum occupat. Ergo series prima, tertia & quinta offerunt *Petro*  $2a$ , secunda & quarta nihil, sexta  $a$ . Quare fors *Petri*  $S = (3, 120, 2a + 2, 120, 0 + 1, 120, a) : 720 = 840a : 720 = a + \frac{1}{8}a$ . Et generaliter si numerus chartarum  $p$ , numerus variationum possibilium  $m$ , erit  $S = (\frac{1}{2}p, m : p, 2a + (m : p)a) : m = a + a : p$ . Quodsi lemma generale, cui omnes istiusmodi calculi superstruuntur, accuratius consideres, facile apparebit, in ejus demonstratione supponi, casus omnes possibiles esse aequae possibiles seu (ut ita loquar) habere aequale jus ad existendum dato quolibet tempore: quod licet accurate & in concreto verum non sit, cum eventus in natura sint ex causis determinati,



Fig. 6.




Fig. 10.



Fig. 7.




Fig. 8.



Fig. 9.





Fig. 1.




Fig. 4.




Fig. 2.




Fig. 5.




Fig. 3.







minati, prudentia tamen jubet, ut pro æqualibus interim in æsti-  
mando habeamus, quæ per se spectata æqualia sunt, etsi per acci-  
dens ex iis, quæ a nobis cognosci nequeunt, discriminentur.

*ILIAS CONSTRUCTIONUM PLANO - GEO-  
metricarum a FERDINANDO ERNESTO Comite ab  
HERBERSTEIN in nucem Hartmannia-  
nam redacta.*

**I**liadem in nuce tibi, amice Geometra, me exhibere existimo,  
Idum insignis Problematis ab admodum Reverendo ac doctissi-  
mo Patre Sigismundo Ferdinando Hartmanno, e Societate Jesu, in  
Catoptricæ Propositionibus Physico-Mathematicis illustratæ Part.  
2 prop. 12 Anno 1668 resoluti, quam ipse Geometris reservave-  
rat, demonstrationem publici juris facio; quin ultra Autoris in-  
tentionem progressus, cujuscunque Problematis plano-Geometri-  
ci constructionem eodem ex fonte hauriri posse ostendo. *Opor-  
tet, inquit laudatus P. Sigismundus, invenire fenestram E in turri* **TAB. XI.**  
*CD, unde subjeclus hortus AB omnium perfectissime, & in maxi- Fig. I.*  
*ma, quam in tota linea CD fieri possit, amplitudine conspiciatur,*  
*ponamus, quod AB contineat orgyas 15, AC 5, multiplico AB, addi-  
tum ipsi AC, hoc est, 20, in AC seu in 5, proveniunt 100, hujus pro-  
ducti Radix Quadrata est 10. Dico ergo, si a C versus E numeres  
10 orgyas, inventum esse locum E, qui quarebatur. Demonstrat-  
ionem Geometris reservo; quam ego colligo in sequens*

*Theorema.* Si ab aliquo puncto C extra circulum, in eun-  
dem inciderint duæ Rectæ CB, CD, quarum una illum secet in  
punctis A & B, altera tangat in E, angulus AEB qui super chordam  
AB secantis lineæ CB ad punctum contactus E constituitur, est  
omnium maximus, qui ad aliud & aliud punctum F, H dictæ Tan-  
gentis super eandem chordam AB constitui possunt.

*Demonstratio.* Fiant anguli AFB, AEB, AHB, & ubi AF,  
AH secant circulum in G, I, inde ducantur GB, IB, erunt in eodem  
segmento circuli AGEIB, anguli AGB, AEB, AIB æquales, atqui  
externus angulus AGB major est interno AFB & AIB major  
quam AHB, ergo etiam angulus AEB major est, quam AFB aut  
AHB, & quam quisque aliis. Q. E. D.



*Corollarium primum.* Hinc, si CE fuerit media proportionalis inter AC, CB, rectangulum AC:CB erit = quadrato CE, ideoque per 37 *Elem.* 3 CE tanget circulum, unde, ut supra, angulus AEB erit omnium maximus, & huc collimat nobile Problema Hartmannianum de Turri & Horto.

*Corollarium secundum.* Sequitur secundo, angulum ad C posse esse quemcunque sive rectum, sive acutum, obtusumve; demonstratio enim est de omnibus eadem.

Superest modo, ut ostendam, qua ratione quicumque casus possibilis, ad quem constructio plano-Geometrica reducitur, ex eodem fundamento, unde Problematis Hartmanniani resolutio resultat, expediri queat: absolvitur autem hæc ipsa constructio, mediæ, tertiæ, quartæ proportionalium aut Rectarum datæ alteri Reciprocarum, quarum summa vel differentia nota sit, investigatione; casum etenim de inventionem Quadratorum, quorum summa aut differentia data sit, datis Quadratis Reciprocorum, quem Hugo de Omerique in *Analyfi sua Geometrica Anno 1698 Gadibus edita*, & alii passim *Analystæ Elementis* necessario addendum esse arbitrantur, cum nullo negotio ad Rectas, quarum summa aut differentia nota sit, datæ Rectæ Reciprocas reduci possit, tantæ utilitatis vel necessitatis non esse, ut absque illius adminiculo Problemata plano-Geometrica construi nequeant, subjecta declarat

*Analysis.* Esto enim data Quadratorum Reciprocorum differentia =  $a^2$ . Quadrata itidem data =  $b^2$  &  $c^2$ . Igitur:  $x^2$ :  $b^2 = c^2$ :  $x^2 + a^2$ . Esto:  $a$ :  $x = x$ :  $y$ . Item:  $a$ :  $b = b$ :  $d$ . Et:  $a$ :  $c = c$ :  $f$ . Ergo:  $ay$ :  $ad = af$ :  $ay + a^2$ . Quare:  $y$ :  $d = f$ :  $y + a$ . Neque absimili ratiocinio proceditur circa investigationem Quadratorum Reciprocorum, quorum summa innotescit.

Reperiri autem ope Resolutionis Hartmannianæ mediã, tertiam & quartam Proportionales, datæque Rectæ Reciprocas, quarum summa aut differentia pariter sit data, ita evadit manifestum.

TAB. XI.

Fig. 1.

Sit inter datas AC, AB inveniendã media Proportionalis, aufer ex majore AC, minorem AB, residuaque BC bifariam secta in E, radio AE, describe arcus sese intersecantes in H, eodemque Radio ex centro H circulum DBC, ducto Radio DH, parallelo Rectæ AC, conjunge puncta A & D Recta AD, quæ ipsa est media propor-



proportionalis quæ sita, duc Rectas EH, BH, sitque  $BH = DH = AE = a$ ,  $BC = 2b$ , erit proinde  $BE = b$ ,  $AB = x$ ,  $HE = AD = c$ . Atqui etiam  $a^2 = b^2 + c^2$ , &  $a^2 = b^2 + x^2 + 2bx$ . Ergo:  $b^2 + c^2 = b^2 + x^2 + 2bx$ . Et (auferendo  $b^2$ )  $c^2 = x^2 + 2bx$ . Quare  $x + 2b : c = c : x$ . Q. E. D.

Tertiam obtinebis, si, ducta infinita AR in eam ex A versus B in B, transferas primam datarum AB, erectaque normaliter secunda AD, & punctis B, D, Recta BD conjunctis, per D agas DF parallelam ipsi AB. Secta porro DB bifariam in E, erigas normalem EH, secantem ipsam DF in H, ac tandem ex H velut centro Radio HD describas circulum DBL, secantem Rectam AR in C; ita enim determinabitur AC tertia proportionalis desiderata. TAB. XI.  
Fig. 3.

Quarta invenietur, ubi inter secundam & tertiam datarum media, atque ad primam & hanc ipsam mediam tertia fuerit reperta.

Si datam differentiam AB protrahas in infinitum versus D, eademque bifariam divisa in C erigas perpendiculariter datam CH, tum ex H velut centro Radio AH, describas circulum, ABS, Radiumque HS ducas ipsi BD parallelum ac tandem ex S in ipsam BD demittas normalem SP, erunt PA, BP ipsi CH Reciprocae, quarum differentia sit data AB. Fig. 4.

Easdem Reciprocas data summa AB ita investigabis: ex termino A demitte normaliter datam AD, actaque per D infinita DP ipsi AB parallela, divide AB bifariam in H, ex quo velut centro Radio AH describe circulum ACQB interfecantem infinitam DP in C & Q, & habebis DC, DQ, datae AD Reciprocas, quarum summa sit ipsa AB. Fig. 5.

Quæ omnia ex Resolutione Problematis Hartmanniani adeo sunt evidentiæ, ut ulteriori atque aliunde petita demonstratione non indigeant.

*JOANNIS VIGNOLII EPISTOLA AD ANTONIUM Gallandium, V. C. de numo Imp. Antonini Pii, qui in tertio ejus Consulatu percussus columnam quandam exhibet in cimelio D. Foucault.*

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1709, 4.

Const. 4 plag. ch. aug.

Nnn 2

Cum



Cum inventam ante hosce quinque annos Romæ Antonini Pii columnam pereleganti commentario, quem anni proxime emortui mense Januario recensuimus, dilucidare aggressus esset Celeberr. Vignolius, inter alia, quibus nobilissimum monumentum Heroi suo assereret, idonea argumenta provocavit ad musei Fucaltiani numum, cujus exemplum ab Antonio Gallandio, viro magnæ apud Gallos existimationis, habuerat. Monstrat autem in obversa parte radiatum Antonini caput cum verbis: ANTONINVS. AVG. PIVS. PP. TR. P. COS. III; in averfa vero columnam cum lemmate: FELICITAS AVG. S. C. Eo itaque persuaderi sibi passus erat, Antonino Pio vivo adhuc, non mortuo, erectam fuisse istam columnam, multaque ex historia Romana, quæ viris bello claris, dum in vivis essent, columnas a Senatu positas affirmet, multa de virtutibus Antonini tali honore dignissimis argute disputaverat. Non idem persuadere poterat Gallandio, qui M. Aurelii cochlidem in numo potius repræsentari credens, ipsum minus accurate eclypum suum edidisse, atque inter alia fenestram, quæ turriculam in summitate columnæ conspicuam ornet, prætermisisse tam privatim quam publice conquestus erat. Quam negligentia suspicionem ut mature dilueret Vignolius, in Epistola hac cum eo amice agendum statuit: ubi primo negat apparuisse sibi in transmisso numi specimine lineam illam, quam fenestram Gallandius appellet, nec cælatoris oculos etiam subiisse. Neque enim sibi constare rationem, quare columna, quam solidam exhibet numus, quæque gradibus intus pervia non est, ut ad fastigium ejus ascendatur, portulam hujusmodi seu fenestellam offerre debeat. Maxime cum veteres cochlidem aliquam columnam in numis signaturi gyros a stylobate ad epistylum illi superinducere sueverint, ceu Trajani quidem numus sub Fig. 6 liquido probet, in quo tum columnam ambientes lineæ spirales, tum porta in basi ejus obvia concavam illam esse satis superque innuant. Tametsi enim quis regerat, vel ideo in numo Fucaltiano eadem notari haud licuisse, quia sub initium principatus Antonini Pii, quo percussus fuit, columna M. Aurelii cochlis, quam præ se ferat, nondum anaglypho opere eminuerit, quippe quod post Antonini Pii demum decessum, postque ultimas M. Aurelii adversus

TAB. XII.  
Fig. 6.

Quados



Quados & Hermaduros expeditiones accesserit. Ita tamen existimat Noster, si Senatus non solidam, sed intus cavam decrevisset columnam, tum integrum amplius haud fuisse monetariis publicis aliter eam dare in numis atque Senatus decreto suo semel sanxisset, quantumvis ultimam forte manum opus adhuc efflagitaret. Sic porticum Vaticanam omnibus numeris suis absolutam videri in numismate Alexandri VII, quæ tamen jam sola duntaxat latera ostendet. Sic porticus basilicæ M. Aurelii in exercendorum veterum curiam modo conversas reliquias in alio Innocentii XII numo provinciarum simulacris insigniri, quibus tamen hæcenus careat. Quem quidem ritum, ædificia aliaque opera nondum perfecta integra in numis repræsentandi, apud veteres perinde viguisse utut demonstratu difficile videatur, quum quæ in numis antiquis appareant, hac nostra jam ætate vel semirutæ vel subversa plane jaceant, adeoque olim ita extitisse, prout expressa sistunt numi, dubitare minus liceat; Trajani tamen in numo supra indigitatam columnam in testimonium hujus rei haud incommode trahi posse. Ibi namque Trajani statuam in summo columnæ fastigio spectari, quam certe non adfuisse, cum cusus fuit numus ipsaque columna in foro ejus erecta, luce meridiana clarius pateat. Collocatam enim novimus columnam A. U. 866 æræque Christianæ 113: statuam vero post ejus mortem demum impositam, quæ incidit in A. U. 870 computique vulgaris A. 117, Victoris autoritate comprobatur, apud quem in Epitome c. 13 hæc leguntur: *Hujus exusti corporis cineres relati Romam, humatique Trajani foro sub ejus columna & imago superposita, sicut triumphantes solent, in urbem invecata Senatu præeunte & exercitu.* Nimirum observat Autor atque exemplo Augusti Imp. de quo Appianus Lib. V de bell. civil. p. 746 edit. H. Stephani, verisimile reddit, moris illo ævo fuisse, triumphantium statuas atque illorum quidem, quibus columnæ honor publico suffragio adjudicabatur, non ante columnis superimponi, quam peracta esset triumphi pompa, atque in hac demum statuæ elevatione desisse illa solennia. Quod autem porro urget Gallandius, columnam illam a tertio Antonini Pii Consulatu usque ad M. Aurelii Trib. Potest. XXXII, hoc est, per totos triginta novem annos nudam stetit, id Nostro omnium minime arridet,



quin potius cochlidem columnam non prius erigi posse contendit, quam singulæ suæ partes acceperint destinata figurarum ornamenta. Si tandem reponat, nullam facile rem & fama & marmore dignam gessisse Antonium, posteaquam columnam ei dedicasset Senatus, tum e Pausania & Capitolino Noster planum facit, bellicis laudibus non minus quam pacis artibus vitæque innocentia excelluisse Imperatorem, ideoque Senatui vix defuisse materiam, tanti Principis honores quocunque licebat modo augendi ac perennandi. Majorem sane moderationis Antonini rationem habendam fatetur, quam mirificam prorsus in eo fuisse prædicat Capitolinus, ut plurimos honores a Senatu sibi oblatos respuerit. Sed cum inter acceptatos, quos ordine enumerat diligentissimus istarum rerum consignator, ne verbum quidem de columna injecerit ullum, eo rem deductam jam esse ait Vignolius, ut plane in dubium vocare prædicti numi sinceritatem, diversaque statuere cogatur ab iis, quæ Cap. 3 dissertationis suæ, Gallandii sententiam de integritate ejus secutus, vulgaverat. Licet enim numum ipsum nunquam viderit Noster, argumenta tamen plura eaque haud proletaria sibi suppetere docet, quæ manifestæ eum falsitatis convincant. Circa antiquitatem quidem ejus nihil controvertit; antiquo conflatum ære, Antonini Pii ætate signatum, anterioris partis antiqua omnia, posterioris etiam antiquum titulum lubentissime concedit, columnam vero, quam simul exhibet, antiquam minime credit. Consideranti enim inter æreos Antonini Pii eosque mediæ formæ numos passim inveniri, qui in antica parte circa laureatum vel radiatum Imperatoris caput, æque ac in Fucaltiano, verba: ANTONINVS. AVG. PIVS. PP. TR. P. COS. III. atque in postica figuram muliebrem grandiusculam, dextera caduceum, sinistra vero olivæ ramum gestantem, cum eadem epigraphe: FELICITAS. AVG. S. C. præ se ferunt, suboluit statim, falsarii forte cujusdam scalpro proceram illam Felicitatis imaginem erasis brachiis aliisque superfluis in columnam transmutari potuisse, siquidem numus viri dem nactus superficiem, quæ acredine sua metallum ita perficit ac penetrat, ut perquam molle fiat atque friabile, tale quid omnium admittat commodissime. Quæ nefariæ artes, ut sublato quasi velo singulis pateant, numi speciem tam in statu legitimo,



gitimo, quam sub ferro falsari, atque uti jam in Cimelio Fucaltia TAB. XI. no extat, ære incidi curavit, cujus etiam hic Fig. 7, 8 & 9 copiam Fig. 7, 8, 9. dare volumus. Utcunque vero astutum satis præbuerit sese impostor, non ita tamen expolivit mangonia sua, quin fraudes ipsius atque imperitiam pudendam statim detegant harum rerum callentiores. Ita nempe insolens atque in suspectis merito habendum, Felicitatem solius columnæ symbolo adumbrari, cum in numis Antonini Pii, verbis FELIC. SÆCULI insignitis, felicitatis constantiam securitatemque significet mulier sinistro cubito columnæ innixa, pacisque & abundantia symbola manibus tenens, quæ fame multo decentius inter se cohæreant. Deinde spatium illud in superna numi parte a dextra columnæ nimis late patere præ sinistra, haud obscuro argumento, caduceo, qui in legitimo numo lineæ epigraphali respondet, hic olim locum fuisse. Fenestram quoque, quam tanti æstimet Gallandius, aperta nimis prodere falsitatis vestigia, tum quod columna solida fenestra non indigeat, tum quod si vel M. Aurelii columna cochlis repræsentari debuisset, alia potius atque evidentiora magis cochlidis indicia, qualia in numis Trajani occurrunt, fenestellæ puta in columnæ scapo, vel janua in stylobate depromenda fuissent. Turpius vero inscitiam suam testari falsarium neglectu statuæ Imperatoris Aurelii, quando nulla facile in numis inveniatur columna, quæ statuam vel aliud quid superpositum non sustentet. Hinc Morellum etiam & Mediobarbum, quorum alter rotundam aram accensam in numo Cari cum titulo ΑΦΙΕΡΩΣΙΣ; alter majusculam literam Ι, quæ in Byzantinorum numismatibus sæpius apparet, columnam venditavit, erroris insinulat, multoque peritius res suas egisse jocatur veteratorem illum, qui columnam in Trajani numo a Seguinno edito conspicuam, ne quid ei deesset, noctua exornavit. Enim vero nihil aliud esse videntur Nostro columnæ ejusmodi honorariæ, quam bases quædam vulgaribus altiores, in quibus triumphali splendore illustrium virorum imagines constitui moris fuit, ut omnium oculis pateret, *altius illos, ceu Plinius H. N. L. XXXIV c. 6 loquitur, supra cæteros mortales attolli.* Quoties ergo columnæ incluti alicujus Viri honori dicatæ mentio fiat apud scriptores antiquos, statuam una cum columna positam diserte ut plurimum



TAB. XL  
Fig. 10.

plurimum innui. Hoc Suetonium affirmare de Galba, Trebellium Pollionem de Claudio Gothico, Plinium de C. Minucio Augurino; affirmare item Nicæensium numum de L. Ælio Cæsare, ac de Antonino Pio numos consecrationi ejus inservientes, e quibus unum rariorem e museo suo producit hic a nobis Fig. 10 delineatum. Adstruit inde, nec Antonini Pii columnam, quam descripserat, statua Principis optimi caruisse, licet eam a multo jam tempore dejecerit vesana hominum barbaries; imo nec cochlidem M. Aurelii columnam sine statua fuisse e veteri turricula, quæ ibi S. Pauli statua hodie ornata visitur, quæque materiam forte suggestit impostori nostro turriculam illam suam cum fenestra mutandi, judiciose colligit, licet numis typo isto signatis gloriari nequeamus. Ex allatis porro declarari putat vetus Jctorum proverbium: *circa columnas se occultare*; utpote quod Alciati & Cujacii calculo de debitoribus morosis ad Principum columnis superimpositas statuas confugientes exponi conveniat. Nulla autem ratione huc applicari posse, quod supra de Trajani statua monuerat, Antonini Pii nempe statuam, ut columnæ superponeretur, triumphum pariter expectasse. Nihilominus enim in numis statuam cum columna exhibendam fuisse, quemadmodum in Trajani numis contigit, ubi quatuor annis prius in columna conspecta est statua ejus, quam revera ibi sedem invenit, curru triumphali a successore Hadriano demum, teste Spartiano cap. 6, in urbem inventa. Atque id longe magis in numis Antonini Pii fieri debuisse, cujus de Britannis triumphus non adeo remotus, sed in eodem Consulatu, quo Fucaltianus numus percussus, ductus etiam fuerit, sicuti & ad hunc triumphum numum ejus, triumphali habitu notabilem, sub Fig. 10 respicere autumat. Ultimam eamque non minus certam falsitatis numi Fucaltiani conjecturam inde eruit, quod toto orbe singularis atque unicus sit, adeoque concurrentibus aliis indiciis non possit non inter spurios rejici, nullatenus vero raritatis aliquod pretium sustinere. Hæc dicenda habuit doctissimus Vignolius e ctypanum tantummodo versans, alia plura forte dicturus, si numum ipsum præ manibus habuisset. In eo tandem desinit, columnam M. Aurelii cochlidem, quæ jam superat, neque Antonini Pii, neque M. Aurelii tempora vidisse, sed inter reliquos potius



tius honores, quibus Senatus M. Aurelii consecrationem nobilitatum iuit, referri oportere. Sententiæ nempe huic patrocinari tum Sex. Aurelii Victoris auctoritatem, cui tam in ejus Vita c. 16 quam in Epitome columnæ Imperatori post fata decretæ expressis verbis memorantur; tum Bernardi Gamucii Architecti Romani testimonium, qui A. 1565 in quatuor Antiquitatum Romanarum Libris Italice editis vetustum hujus columnæ stylobaten, antequam Sixtus V Pontifex crustis marmoreis recentari juberet, suismet oculis usurpasse, ibique M. Aurelii, non Antonini Pii, effigiem contemplatum, in una parte legisse asserit: CONSECRATIO; in altera: DIVO. ANTONINO. AVG. PIO; per quem M. Aurelium haud dubie intelligas. Inde tamen promanasse antiquariorum errorem, qui cognatis utriusque Principis nominibus decepti, illam ad Antoninum Pium Seniores retulerunt, atque eandem cum hac noviter detecta, quæ in ejus numis adsurgit, columna arbitrati sunt. Eodem etiam occæcatum falsarium nostrum solidam Antonini Pii columnam cum cochlide M. Aurelii, quantum ad turriculam & prægrandem ipsius stylobaten, combinasse ac monstrosum hoc columnæ genus exstruxisse.

*HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PRIMÆ AN-  
C. Seculi Selecta Capita; studio D. THOMÆ  
ITTIGII, &c.*

Lipsiæ, apud hæredes Jo. Grossii, 1709, 4.

**Q**uæ in hoc opere eruditissimo, de quo dicere cœpimus Mense sup. p. 38; sq. notatu digna restant, nunc breviter absolvamus. In capite IV, quod de hierarchia ecclesiastica variisque institutis, ritibus & cerimoniis primi Seculi inscribitur, primum Petri & Romanorum Pontificum primatus impugnatur. Inter ritus seculo primo perperam attributos refertur imaginum cultus, quem neque ex statua hæmorrhousæ, nec ex imagine Christi ad Abgarum missa, nec ex sudario Veronicæ, nec ex imaginibus, quæ sepulchralibus Christi linteis impressæ perhibentur, nec ex Christi statua, quæ a Nicodemo sculpta fingitur, nec ex imaginibus, quas Lucam pinxisse nonnulli somniant, probari posse demonstratur. Status quoque primi seculi monasticus quam male, partim ex Dio-



nysio Areopagita aliisque pseudepigraphis Scriptoribus, partim ex Philonis Judæi libro de vita contemplativa, partim ex Suetonii & Taciti narrationibus de oraculo Carmeli a nonnullis probari soleat, refertur. Non minus ritum chrismatis in baptismo, eucharistiam infantum, congregationem Crucigerorum, pallium Episcopale, & alios quosdam ritus perperam primo seculo affingi, Celeb. Autor noster docet. Dum Sacerdotes primi seculi ad coelibatum nondum adstrictos fuisse probat, obiter enarrat, quale colloquium B. Dilherrus Noribergæ in loco Bibliothecæ publicæ cum Jesuita Bisselio de loco quodam Ignatii habuerit, & observat, Wagenfeilium cimelia Noribergensis Bibliothecæ oculis non satis vigilantibus perlustrasse, dum in hac bibliotheca manuscriptum Epistolarum Ignatii exemplar extare negat, quod tamen in hunc usque diem ibi asservari Ittigius ex ore testium *αυτόπλων & αξιοπιστων* se cognovisse asserit. Sed ad sequentia capita pergendum est.

Quintum igitur Caput de hæresibus primi seculi agit. Auspicatur autem Autor hoc caput a *Dositheo*, & quæ olim in Dissertatione de hæresiarchis ævi Apostolici, ejusque Appendice scripserat, adversus objectiones a Laurentio Cozza in Commentario ad Augustini libellum de hæresibus ante biennium Romæ edito propositas, breviter vindicat, & quid varii autores de Dositheo, sive juniore, sive seniore referant, recenset. A Dositheo ad *Simonem Magum* progressus inter alia disquirat, cur Epiphanius dicat, Simonem nullum sibi nomen tribuisse, & quæ olim in Dissertatione sua hac de re statuerat, contra doctissimi Wormii objectiones tueri satagit. Non minus inquirat, an Simon Magus divinos honores affectaverit, quod cum Clarissimus Basnagius negaverit, Autori nostro affirmativam tenere & probare placuit. Inter alia etiam de statua Simoni Mago Romæ posita disserit, quam traditionem falsam aut saltem dubiam esse in dissertatione sua de Hæresiarchis olim tradidit. Nec ejus sententiæ ipsum poenitet, etsi Cozzæ in Commentario ad Augustini libellum de hæresibus ista traditio extra dubitationis aleam posita videatur. Non minus Ittigio dubia est relatio de tragico Simonis lapsu, de quo priorum seculorum Scriptores tacent, recentiores autem, qui illum Simonis casum referunt, in circumstantiis admodum differunt. Et quamvis Hugo



Grotius & Henricus Hammondus ab ipso Paulo tragicum Simonis interitum 2 Theff. II, 8 describi putent, id tamen Autori nostro persuadere non potuerunt. Ceterum impium hunc Hæresiarcham, qui tot & tantos errores dictis & scriptis propagavit, horrenda morte non indignum fuisse judicat. Si quis autem quærat, num Simon Magus, in Actis Apostolicis commemoratus, idem sit cum Simone Mago, Gnosticorum autore, an ab eo diversus, quæ singularis est Campegii Vitringæ sententia, Autori nostro videtur, nihil obstare, quo minus idem ille Simon Magus, qui Petri censuram & anathema incurrit, sectam aliquam apud Christianæ professionis homines sibi parare potuerit. Post Simonem Magum agit de *Menandro*, qui immunitatem a morte suis discipulis promisit, & de *Cerintho*, circa cujus historiam inter alia inquit, an Christi divinitatem negaverit, & Evangelista Johannes prologum sui evangelii ipsi opposuerit? quod a Vitringa negatur: num Angelos colendos docuerit? quod contra Baronium negantem Jesuita Garnerius asseruit: num chiliasmus ab illo assertus a chiliasmo quorundam Patrum multum discrepaverit? quod Autori nostro post celeberrimum Fechtium negare placuit, quicquid Peterfenio contrarium probare frustra conanti videatur: num Apostolus 1 Cor. XV, 49 ad morem Cerinthianorum pro mortuis vivos baptizantium respexerit? quod Autori minus probabile videtur: num Cerinthus balnei ruina oppressus fuerit? quod nec ab Hieronymo, nec ab ullo veterum assertum Noster observat. Quod autem Autor noster p. 302 refert, non Cerinthum sed Ebionem balnei ruina oppressum ab Epiphanio memoriæ prodi, id corrigendum esse in synopsi sui tractatus monet, cum ipso teste Epiphanius tale quid memoriæ nullibi prodiderit. Fuisse omnino in rerum natura hæresiarcham nomine *Ebionem*, Autori nostro nullum est dubium, qui a vero Arnoldum aberrare observat, dum primam Ebionis mentionem ab Epiphanio factam fabulatur. Cum autem Ebionitæ duplicis generis fuerint, utrumque in eo convenisse notat, quod Christum merum hominem fuisse crediderunt. Nec obstare putat, quod Irenæus scribat, Ebionæos de Christo non similiter ut Cerinthianos sensisse, cum apud Irenæum pro *non similiter* legendum videatur *consimiliter*. Errorem



*Nazaræorum* in eo imprimis positum fuisse notat, quod Judæicam legis observationem tanquam necessariam inculcaverint, etsi per hunc cum Judæis consensum Judæorum gratiam tantum abfit, ut sibi conciliare potuerint, ut potius Judæi ter in die Nazaræos diris devoverint, si Epiphanio fides adhibenda, etsi Hieronymus sub Nazaræorum nomine omnes Christianos ter singulis diebus maledictis impetitos referat. *Nicolaitæ* non a Profelyto Antiocheno, qui Act. VI inter septem primos ecclesiæ Diaconos numeratur, sed ab alio quodam Nicolao cognomentum suum adeptos statuit. De aliis quibusdam Hæresiarchis primi seculi, de quibus in Dissertatione sua Autor olim egit, nihil hoc loco vel repetendum vel addendum duxit.

Sextum Caput circa historiam persecutionum & martyrum primi Seculi occupatur, ubi primum agitur de literis, quas Judæi statim post Christi passionem ad alios Judæos quaquaversum miserunt, cujusmodi epistola A. 1348 Ulmæ reperta dicitur, quæ ex Crusii Annalibus Suevicis exhibetur. Eiusdem generis epistolam a Judæis Hierosolymitanis anno, quo Christus crucifixus est, ad Judæos Ratisbonenses scriptam, in qua de Christo e vivis sublato exultarunt, Judæos A. 1519 Ratisbona expulsos secum abstulisse ex Cœlestini Mausoleo refertur. Herodem, qui Jacobum gladio occidi iussit, non fuisse Herodem Antipam, sed Agrippam, contra Erasmus & quosdam alios demonstratur. Persecutiones, quas Nero & Domitianus contra ecclesiam excitarunt, a Dodwello perperam extenuari ostenditur. Per Chrestum, quo duce Judæos sub Claudio Romæ tumultuatos Suetonius refert, non alium quam Christum intelligi probatur. Historiolam de Petro fugam parante, sed per Christi visionem revocato, nullo probationis fundamento niti evincitur, num vero a Montanistis fugam in persecutione dissuadentibus conficta fuerit, in medio relinquitur. Nomen Eperalli apud Glycam non esse nomen aliquod proprium, sed adjectivum, & dilectum significare ex Labbei ad Glycam notis observatur, additurque verum illius pincernæ nomen, cujus conversionem ad Christianam fidem Nero ægre tulit, ex nonnullorum suspicione fuisse Torpetem, cujus memoria d. 17 Maji collitur. Johannem sub Domitiano dolio ferventis olei immersum fuisse,



fuisse, etsi Tertullianus retulerit, Spanhemium tamen inter incerta hanc traditionem referre, & neque Nicetam in oratione panegyrica laudibus Johannis Evangelistæ consecrata, neque Menæa Græca ullam ejus rei mentionem facere observatur.

Caput septimum de variis personis & gestis primi seculi memorabilibus agit. Ac prima quidem hujus capituli sectio circa Christi historiam versatur, ubi de tempore nativitatis ejus agitur, & refutantur, qui verba Lucæ de descriptione sub Cyrenio facta expungenda, vel nomen *Κυρηνίς* in *Κυιντιλίς* mutandum, aut pro Cyrenio Saturninum reponendum esse censent. Consuetudinem festum nativitatis Christi d. 25 Decembris celebrandi nec universalem nec perpetuam fuisse, eosque inanem operam ludere ostenditur, qui vel ex Haggæo II, 19, 20, vel aliis nullius ponderis argumentis verum Christi natalem in 25 Decembris incidisse probare contendunt. Christum in oppido Bethlehemo, non extra oppidum in spelunca natum, cum ab aliis tum a Dorscheo abunde probatum esse animadvertitur, quem sua per plagium ex Casaubono surripuisse Hoornbeckii calumnia est, a Joh. Alberto Fabro refutata. Sculteti sententiam, qui per *Φάτην* non præsepe, sed diverforium quoddam suburbanum intelligi existimat, probari non posse demonstratur. Salomonem van Til, qui Magos primo statim die affuisse, & Christum ante octavam diem & circumcisionem suam in Ægyptum fugisse opinatur, circa prima Christi infantis tempora nimis festinare Autor noster statuit, qui Christum, antequam in Ægyptum fugeret, in oppido suo natali circumcisum minime dubitat, & quid Pontificii de ejus præputio finxerint, paucis commemorat. Sententia fanatici, qui Magos Christum veneratos Melchisedecum, Enochum & Eliam fuisse somniat, ipsa narratione refutatur. Rejicitur etiam sententia Petri Simonis, qui Magos pauperes & tenuioris fortunæ homines fuisse opinatus est. De Simeone, qui die purificationis Christum in templo excepit, variæ Græcorum aliorumque Scriptorum traditiones recensentur. Miracula, quæ in Christi fuga contigisse perhibentur, cum ab exinanitione ejus aliena videantur, suspectæ fidei habentur. Historiam infanticidii Bethlehemitici, etsi ejus Josephus ne unico quidem verbulo meminerit, verissimam tamen esse, & Josephum



Scaligerum, qui ob Josephi silentium infanticidii hujus relationem aliunde Matthæi Evangelio intrusam suspicatus est, non audiendum esse asseritur. Ex fabulosis infantiae Christi Actis per Gnosticos confictis nonnulla recensentur. Lentuli epistolam de forma Christi suppositam esse probatur, & variae veterum & recentiorum de forma Christi opiniones recensentur. Baptismum Christi ab ecclesiis quibusdam orientalibus quotannis die Epiphaniarum per statuam pueri Christi ter aquis immerfam renovari, & aquam illam, si in aliquo vase asservetur, nulli corruptioni obnoxiam credi, ex Pagi Critica narratur. Quæ de Christi tentatione per Diabolum referuntur, non in visione, sed re vera contigisse statuitur. Quod autem Vir quidam doctus per pinnaculum templi conclave Gafith intelligit, ibique coram Synedrii confessu Christum a Diabolo de arrogato sibi Regis nomine accusatum, & illico se proripere jussum narrat, Autori nostro tantum abest, ut probabile videatur, ut potius Virum illum doctum in re seria ludere voluisse censeat. Clementem Alexandrinum, qui unicum Christi ministerio annum tribuit, non minus errasse judicat, quam Irenæum, qui Christum circa passionis tempus jam ad senium declinasse sibi persuasit. Ad insignem Flavii Josephi de Christo locum ubi accedit, observat novissime Magnificum & Excellentissimum Archiatrum D. Georgium Wolffgangum Wedelium in eruditis Exercitationibus Medico-Philologicis pro hoc Josephi testimonio tanquam genuino militasse, & prolixius Carolum Daubuz in peculiari tractatu A. 1706 Londini impresso, de quo agemus proxime in Supplementis, hunc locum Josepho vindicandum censuisse. Cum vero Daubuzius in illo tractatu Ittigium nostrum modo inter eos referat, qui hanc Josephi pericopen nec plane genuinam, nec plane suppositam agnoscunt, modo inter eos, qui partim de fide hujus loci dubitant, partim ejus fidem impugnant, eumque suppositum esse probant, hinc Autori nostro occasio nata, sententiam suam, quam antehac in suis ad novam Josephi editionem prolegomenis dixerat, summatim repetendi, & contra Daubuzium fuscè confirmandi. Post locum Josephi expensum de præcipuis Christi miraculis, de ultimo ejus paschate, aliisque ad Christi vitam & passionem lætamque passionis catastrophæ pertinentibus, & novissime de Pilati ad Tiberium epistola,



de Actis Pilati, & Tiberii Imperatoris proposito Christum inter Deos referendi differit. Reliquæ Capitis VII sectiones agunt de Maria Christi matre, de Josepho Mariæ sponso & conjuge, de Johanne Baptista, de Apostolis, tam in genere, quam de singulis in specie, de LXX Discipulis, de Viris Apostolicis, de ecclesiarum quarundam originibus, & primis Episcopis, de miraculis & visionibus primi seculi, ac denique de epimetris quibusdam miscellaneis.

*HENRICI UFFELMANNI VARIORUM IL-  
lustrum Conscientiæ Casuum Fasciculus. Prologum Ga-  
leatum, quo ostenditur Conscientiæ ac Juris Naturæ divi-  
nus ortus ac certitudo, cum Introductione, præ-  
misit CASPAR CALVÖR.*

Lipsiæ & Goslariæ, apud Jo. Christoph. König, 1709, 4.  
Plag. 18.

**H**enicus Uffelmannus, Moralium quondam in Academia Ju-  
lia, postea in illustri Gymnasio Luneburgensi Theologiæ Pro-  
fessor, ibidemque ad D. Michaelis Pastor fuit. Inter præclaros ejus  
labores, quibus moralem doctrinam illustravit, haut ultimum sibi  
locum venditat præsens Casuum, ceu vocant, Conscientiæ Fascicu-  
lus, quem accurata cura studiosæ juventuti in prælectionibus  
olim suis tradidit. Ab initio nonnulla de Summistis, sive autori-  
bus casuum conscientiæ, eorumque placitis ac peculiari docendi  
modo, quo usi fuerunt, præfatus, indicatoque ordine, quo ipse in  
tractandis hisce conscientiæ casibus sit usus, ad Partem primam  
accedit, in qua novem Quæstiones exhibet, ad conscientiam re-  
ctam, erroneam, probabilem & dubiam pertinentes. Quibus bre-  
viter pro instituti ratione explicatis, ad Partem alteram progreditur,  
& casus difficiliore perpetuoque obvios secundum seriem & du-  
ctum Præceptorum Decalogi enarrat, eosdemque, allatis atque exa-  
minatis utriusque sententiæ rationibus, solvit. Eximium hocce  
scriptum a blattis tineisque vindicarunt Caspar Henricus Sellius,  
Ecclesiastes, qui e tenebris protraxit, & Henningus Guilelmus Ha-  
gius, Canonicus, qui mendas sustulit. Quod reliquum est, haud vul-  
gare libro pretium conciliat Introductio in Jus Naturæ, tum & Pro-  
logus



logus Galeatus, quem Vir maxime Reverendus Caspar Calvör ad amicorum petita præmisit. In eo enim Conscientiæ ac Juris Naturæ divinum ortum & certitudinem contra illos præclare ostendit, qui omne illud, quod Conscientiam dicimus, disciplinæ, assuefactioni, educationi, legumve imperio, atque si rotunde eloqui licet, commentis humanis attribuunt. Adversus hoc hominum genus multis idoneisque argumentis evincit, dari conscientiam, h. e. tribunal ac judicium homini intrinsecum, quod bona jubeat, mala prohibeat, quodque non minus de factis hominis judicet, an bona, anne mala, ista laudando, hæc redarguendo ac castigando. Deinde ulterius probat, domesticum ejusmodi tribunal naturæque legem divinæ originis esse, nec arbitrariæ aut fortuitæ hominum institutioni adscribi posse.

*NOVA LITTERARIA E BELGIO.*

**A**Mstelodami Vir Armenice doctissimus, Joannes Joachimus Schröderus, quem nuper ad Professionem Linguarum Orientalium Marpurgum vocatum esse accepimus, Thesaurum Linguae Armenicæ editurus plagulam speciminis loco præmisit, eaque libri contenta & Alphabetum Armenicum æri incisum exhibuit. Complectetur hoc opus 1 Dissertationem de linguae Armenicæ antiquitate, natura, fatis, & in omni eruditione usu & præstantia, 2 Grammaticam antiquæ literalis Linguae, 3 Poeticam, in qua varia carminum genera & signorum Musicalium usus tradentur, 4 confessionem Ecclesiæ Armenicæ, cum versione Latina, 5 Synopsin Grammaticæ hodiernæ civilis Armenorum linguae, 6 Apophthegmatum seu sententiarum Armenicarum centuriam, 7 Dialogos tres Armeno-Latinos de rebus & consuetudinibus sacris civilibus & domesticis Armenorum, 8 Epistolas familiares in eadem lingua civili scribendi methodum. Literas, quæ numero 38, ita adornavit, ut non solum quintuplicem earum formam, pictam, seu animalium aut florum figuris ornata, ferream, h. e. ferreo stylo scriptam, rotundam, qua in MSis & librorum impressione utuntur, cursivam tam majorem quam minorem; sed & earum potestatem & valorem in numeris exhibeat. Optamus itaque publico nomine, ut Mæcenates inveniat opus elegantissimum, qui editionis ferant sumtus. Ibidem Dn. de Bruyn, edito Itinere per Mare Mediterraneum & regiones aditas clarus, nunc in eo est, ut Itineris in Persiam & Armeniam suscepti descriptionem magnifico ornatu edat, eoque plurimas tabulas a se ipso in his regionibus accuratissime pictas una cum Inscriptionibus, quæ antiquissimum Persarum characterem repræsentant, æri incidi curas.



# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Novembris Anni M DCC IX.*

*VETERIS TESTAMENTI LIBRI HISTORICI, JOSUA, JUDICES, RUTHA, SAMUEL, REGES, PARALIPOMENA, ESDRAS, NEHEMIAS & ESTHERA, ex translatione JOHANNIS CLERICI, cum ejusdem Commentario, Dissertationibus Criticis & Tabulis Chronologicis.*

Amstelodami, apud Henr. Schelte, 1708, fol.  
Alph. 8. pl. 9.

**P**Ræmissa huic operi est Dissertatio, qua Celeberrimus Auctor de Scriptoribus Librorum historicorum, qui in Veteris Testamenti codice post Mosen extant, divinaque pollent auctoritate, brevibus quidem, sed eruditissime disserit. Operæ igitur pretium erit, ut prius potiora hujus dissertationis momenta attingamus, & cum B. L. communicemus, quam ad opus ipsum nostra descendat oratio. Quod itaque attinet libros istos, qui *Josua, Samuelis & Judicum* nominibus comparent, existimat Clericus nec duos priores ab iis fuisse consignatos, quorum nomina iisdem sunt præfixa, nec posteriorem, nempe librum *Judicum*, communi eorundem opera exaratum esse; sed extitisse quondam in gente Judaica volumina longe prolixiora & antiquiora, scripta a viris, iis temporibus, quorum historias exhibebant, æqualibus. Et ex illis libros hosce compositos esse putat, vel sub ipsis Regibus, vel demum post captivitatem Babylonicam; id quod



ex ipsa horum librorum inspectione fieret valde manifestum, siquidem hic loca quædam reperias, manum scriptoris, his circiter temporibus viventis, redolentia. Quamvis & negandum non sit, hic quoque antiquioris scriptoris vestigia inveniri. Sed sciendum esse, quod scriptores sacri nonnulla loca ex antiquis monumentis, quæ ipsis scribentibus ad manus fuere, ad verbum exscripserint.

*Ruthæ* librum credit vel ipsis *Davidis* temporibus, vel brevi postquam vivis excessisset, in honorem familiæ *Davidicæ*, non ita pridem ad regium solium evedtæ, a viro quopiam scriptum esse, qui, ut plerumque fieri adsolet, regiam gratiam inde sibi conciliare studuerit. Quod autem ista, quæ in hoc libro continentur, contigerint tertia ætate ante *Davidis* tempora, prout quidem ex fine hujus libri adparet, illud equidem Vir celeberrimus concoquere non potest, existimans, incuria librariorum aliquos progenitorum *Davidis* fuisse omissos; vix enim credibile videri, post *Mosis* ætatem in una eademque familia tres viros, *Bohazum*, *Obedum* & *Isain*, haud interrupto ordine, liberos progenuisse, postquam jam omnes integri seculi spatia vivendo superassent. Unde haud quaquam ipsi aridet longe celeberrimi Chronologi, *Jacobi Usserii*, calculus, quo annos CCCLXVI, quos ab ingressu *Israelitarum* in Terram sanctam ad natales *Davidis* effluxos esse novimus, ita dispartitus est, ut primo ponat, *Rachabam* peperisse *Salomoni Bohazum* annis XLII, post ingressionem populi Judaici in Palæstinam, deinde vero *Bohazæ* annos CII, *Obedo* CXI, totidemque *Jesse* ante *παραδουβίαν* tribuat. Longe consultius itaque esse Noster opinatur, in talibus menda librariorum vel lacunas, ex summa antiquitate ortas, fateri, quam ea adserere, quæ vix sine aliquo miraculo divino fieri potuerint, inprimis cum ejusmodi lacunarum exempla & alibi in sacro codice, immo etiam in ipsa *Christi* Genealogia *Matth. I*, non desint.

A libro *Ruthæ* ad libros *Regum* postea progreditur, ex fine posterioris Libri colligens, eos demum post captivitatem tribuum *Judæ* & *Benjaminis* conscriptos & ex antiquissimis annalibus, stante adhuc *Judæ* Regno scriptis, collectos esse. Nec huic adserto adversari, quod in libris istis quædam legantur, quæ non nisi *Judæis*, prosperrimarum rerum successu gaudentibus, scribi potuerint, (confer *1 Reg. VIII, 9, IX, 21*) siquidem hæc verbotenus ex dictis



commentariis a scriptore sacro his suis historiis inseri potuerint. Interim tamen non putandum, auctorem librorum Regum, quod verba dierum Regum *Judæ & Israelis* sæpius citaverit, ad istos libros respexisse, qui adhuc hodie sub ephemeridum nomine extant, cum istæ potius res gestas Regum *Judæ*, quam decem tribuum, hoc est, *Israelis* regni, complectantur. Ceterum *Jeremiam & Esdram* absque ullo fundamento pro horum librorum auctoribus a nonnullis eruditorum venditari.

Idem quoque sentit Clericus de libris illis, quos *Hebræi* vocant **דברי הימים**, *verba dierum*, Græci vero *παράλει-  
πόμενα*; nonnulla enim loca, imprimis ad calcem hujus operis, legentibus esse obvia, quibus captivitatis, tam decem tribuum, quam *Judæ & Benjaminis*, immo & reditus duarum harum tribuum, mentio fiat, & hinc luculenta satis ratione colligi posse, libros istos æque ac libros Regum a recentiori scriptore ex antiquis monumentis esse compositos, utcunque & hic quædam occurrant, quæ manum antiquiorem prodere videantur, hæc enim eadem ratione, ut in libris Regum factum esse meminimus, huc translata esse, prout a scriptoribus ævi antiquioris fuerant consignata. Uti autem de auctore librorum Regum nihil certi constat, ita etiam de conditore harum Ephemeridum nihil posse pronunciari, quod pro vero habere possis. Interim probe observandum esse, quod libri isti non accipi debeant pro antiquis istis Commentariis, quæ nomine Ephemeridum Regni *Judæ & Israelis* olim veniebant, tum quod ne millesimam quidem partem rerum per CCCCLXIX annos, quibus Regnum *Judæ* stetit, gestarum in se contineant, tum etiam, quod in antiquis Regum Ephemeridibus nullus locus fuerit tabulis Genealogicis, utpote ad ejusmodi scribendi genus, quod gesta diurna referebat, non spectantibus. Deinde etiam notandum esse, non convenire librorum istorum appellationem cum opere ipso. Quod enim Hebraicam inscriptionem attineat, manifestum esse, quod libri isti **דברי הימים** *verba dierum*, proprie non possint vocari, cum saltem epitomen longam historiarum comprehendant. Præterea ne in annos quidem eos ordine esse digestos, nedum ut gesta diurna contineant. Quare concludendum esse, hos libros nomen suum tu-



lisse ab isto opere, quod postea intercidit, cujusque vicem hi libri supplere debebant. Ita nec Græcam appellationem huic operi aptam esse, cum res alibi etiam obviæ in eodem tantum repetantur, & præterea hic plura sint, quæ ad Regnum *Juda* pertineant, quam ad Regnum decem Tribuum.

His ab Auctore propositis, de libris *Esdra* & *Nehemia* brevibus agit, docetque, eos ab iis viris fuisse conscriptos, quorum nomina præ se ferunt. Interim tamen non diffitendum esse, quod ad finem *Nehemia* ab alio quopiam Genealogia Pontificum Maximorum adjuncta sit, cum in eadem summi Pontifices una serie habeantur usque ad ultimi Persarum Regis *Darii Codomanni* tempora, quibus *Nehemias* superstes amplius esse non poterat, quod tamen historiæ fidei ne minimum quidem deroget.

Denique de *Estheræ* libro statuit, eum ab incerto auctore, florente adhuc imperio Persico, conscriptum esse, hocque patefcere ex summa, quæ in eo elucet, consuetudinum Persicarum peritia.

Sed postquam hæc, quæ ex Dissertatione præfationali retulimus, in medium a Nostro allata sunt, ex iis pariter atque ex toto Commentario suo colligit, veram gentis Hebraicæ historiam a populi ingressu in terram *Chanaan* usque ad Regnum *Artaxerxis Longimani* in Octateucho hoc inveniri. Interim vero, ne quis de scopo auctorum sacrorum præpostere judicet, primo loco observandum esse, sacros scriptores nobis tantum voluisse perbreve aliquod de rebus gestis *Judeorum* historiæ & chronologiæ compendium relinquere. Omnes enim eventus DCCCC annorum, quibus *Judeorum* Respublica duravit, nequaquam in historia sacra contineri, nec exactam inibi quærendam esse chronologiam, cum tantum annos regnorum sacri scriptores notaverint, omissis mensibus & diebus, quorum tamen cognitio ad accuratam chronologiam magnopere requiratur. Deinde hos divino Spiritu excitatos viros potissimum voluisse illa ad seram usque posteritatem propagare, quæ ad religionem spectare videbantur, cetera autem fere esse prætermissa, si excipiamus clades aut victorias ex observatione & neglectu religionis ortas. Tertio eos nobis voluisse tradere historiam eorum miraculorum, quæ ad



ad hanc gentem & religionem Mosaicam conservandam patrata sunt; & denique ipsis fuisse propositum, ut historias suas legentes ad præstantissimarum virtutum & infucatae pietatis cultum egregius veluti stimulis excitent.

Enarratis iis, quæ in Dissertatione operi præmissa scitu lectuque maxime digna nobis visa sunt, de ipso opere perbrevis instituenda est oratio. In eo nemo non agnoscat industriam & laborem, quem Autor noster in translatione librorum istorum adhibuit. Et licet neutiquam hic quod in Pentateuchi translatione fecit, textum sacrum perpetua paraphrasi illustret, non minus tamen fere omnia tanta verborum claritate ubique radiant, ut de sensu historico lectores parum solliciti esse debeant, si oculorum aciem intendere velint. Quæ enim hinc inde in fontibus vel a mira verborum concinnitate, vel a locutionibus ellipticis, vel denique ab ipsius linguæ Hebraicæ paupertate oboriuntur obscuritates, illas in hac versione, utut sæpius unico tantum verbo, plerumque tam feliciter animadvertimus sublatas, ut hac versione in consilium adhibita in omnium fere verborum atque rerum sensus facili negotio Lector penetrare possit. Ceterum ut textum sacrum legentibus multo redderet clariorem, perpetuo eum commentario philologico illustrare annititur, ubi non solum omnium vocum significationem studiose indagat, sed etiam permultas *Φιλολογίων* circa hanc vel illam textus sacri partem seu circumstantiam interpretationes, quas erroneas judicat, rejicit pariter atque confutat. Nec alienum fore speramus, si hujus rei unum vel alterum adduxerimus exemplum, iudicio Lectoribus relicto. Sic *Jos. II, 18* probatur, quod *קורה חוט השני* non significet funiculum fili dibaphi, sed textum fili coccinei. Et certe non satis conspicuus fuisset purpureus funiculus Israelitis, victricis manu urbem *Jericho* intransibus, facileque inde fieri potuisset, ut *Rachaba*, hoc domus suæ signo non observato, cum suis in excidio urbis ejusque incolarum interiret, quod tamen promissis exploratorum, *Rachabe* datis, valde fuisset adversum. Sed hæc etiam a *Masio* in Commentario suo super *Josua*, unde quoque hausta sunt, fuerunt observata. Porro verba illa *Josue*, quibus in pugna cum *Emorais* Solem



jussit cursum suum morari, non secundum litteram, sed ita interpretatur, ac si *Josua* modo hoc voluisset, ut Sol sese oculis eorum, a quibus *Gabahone* spectabatur, ita sisteret, ut videretur serius occidere. Existimat enim Noster, hanc Solis super terra commorationem naturæ ordini principiisque Astronomiæ peritorum prorsus esse contrariam. Deinde etiam non esse verosimile, ob rem tantillam, qualis fuerit cædes aliquot *Chananeorum*, terræ aut Solis motum interruptum fuisse, cum Deus, ut verbis ejus utamur, non soleat sic prodigus esse miraculorum, ut naturæ ordinem levi de causa perturbet. Denique hæc videri depromta ex libro poetico, cujus in sequentibus verbis cum encomio mentio fiat; Poetis vero solenne esse, hyperbolicis locutionibus res gestas præclarissimorum virorum describere. Et fortasse libri *Recti* scriptorem voluisse indicare, non sine providentia divina certaminis loca quasi Solis & Lunæ luce fuisse illustrata, vel per insolitas radiorum Solis refractiones, vel ope extraordinarii alicujus luminis, quod cœlum adspectantibus speciem ac vicem Solis & Lunæ præbuisset, cum Deo pariter ac angelis infinitæ sint rationes id conficiendi, quod alias præter naturæ ordinem esse existimatur. Simili fere ratione interpretatur locum 2 *Reg.* XX, 9, 10, 11, ubi mentio fit signi istius, quod Regis *Hezekie* causa editum est, cum periculosissimo morbo correptus, vitæ annorum quindecim impetraret accessionem. Nam licet præstantissimi Interpretes hucusque hujus loci verba de ipso Solis regressu acceperint, multo tamen eidem videtur credibilius, hoc miraculum in umbra factum, quam propter rem tantillam Solis aut potius telluris motum in partem contrariam vi divina fuisse pulsum, imprimis quod non sine maximo incommodo incolarum orbis fieri hoc potuerit. Nam si supponas, decem istos gradus, quos Sol retro cesserit, fuisse horarios, diem istum viginti horis fuisse longiorem sequeretur; inde vero aliter non fieri potuisse, quin istud hemisphærium, quod tum a Sole illustrabatur, inusitato & incredibili ejus æstu, præsertim in oris calidioribus, vehementer deflagraverit; & illud contra, quod a Sole valde erat remotum, frigoris vehementia riguerit. Veruntamen abstinendum nobis est de ulteriori harum annotationum Philologicarum recensione, ne videamur benevo-



lo Lectori in recensione hujus operis prolixiores, quam decet. Duobus itaque tantum verbis adhuc significandum erit, in fine hujus libri duas additas esse Dissertationes, cum tabulis chronologicis. In prima Dissertatione de magno Synedrio LXXII virorum eruditissime differitur, magnoque argumentorum pondere ostenditur, illud haudquaquam, prout vulgaris fert opinio, per *Mosen*, sed demum institutum videri temporibus *Seleucidarum*, ubi simul Vir clarissimus Lectores suos ad *Seldenum* de Synedriis & præfecturis veterum *Hebraeorum* ablegat, utpote quem noverat hanc materiam omnium prolixissime & doctissime esse persecutum. Altera autem Dissertatione de lepra instituitur sermocinatio, cujus *Leviticorum* XIII & XIV *Moses* meminit, doceturque, morbum illum, quo cum sæpius Judæis olim conflictandum fuit, speciem quandam fuisse istius plagæ, quam Græci λευκήν seu albam vocarunt, cum in hoc morbo pariter atque in Mosaica lepra cutis sit alba, albi sint pili, & pellis alte descendat seu deprimatur. Quod reliquum est, post Tabulas Chronologicas adjecti quoque sunt Indices vocum, locutionum & rerum, quæ fere omnia, in hoc Commentario maxime notata digna oculis Lectorum exhibent & insigni usui esse possunt iis, qui veluti in compendio conspicere cupiunt materias præstantiores in illo obvias.

*PETRI DE MARCA, ARCHIEPISCOPI  
Parisiensis, Dissertationum de Concordia Sa-  
cerdotii & Imperii Libri octo; quibus accesserunt ejus-  
dem Auctoris Dissertationes Ecclesiasticæ varii argumen-  
ti, nec non Observationes selectæ Ecclesiasticæ J U-  
STI HENNINII BOEHMERI.*

Lipsiæ, apud Thomam Fritsch, 1708, fol.

Alph. II. pl. II.

Quanto cum orbis litteratoris plausu bonorumque favore communi exceptum fuerit dudum opus hoc Viri immortalis memoriæ, Petri de Marca, *de Concordia Sacerdotii & Imperii, seu de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, insigne ac splendidum,



dum, tres ejus testantur editiones amplissimæ & nitidissimæ, quarum prima ab ipso Auctore illustrissimo A. 1641 in 4, altera vero A. 1664 & tertia A. 1669 in fol. procurata, multumque aucta & ornata fuit a *Stephano Baluzio*, Viro eruditissimo. Nam tametsi altero statim a prima editione anno opus hoc, tanta cum eruditione, quanta cum prudentia animique moderatione conscriptum, excommunicationis fulmen Romæ ferebat, atque inter libros prohibitos & damnatos referebatur: tamen cum Auctor illustrissimus paullo ante, quam A. MDC LXII vitam cum morte mutaret, assiduo illi laborum studiorumque suorum comiti, Baluzio, Ecclesiæ Cathedralis Rhemensis Canonico, Lucubrationum suarum, tum editarum, tum ineditarum, curam supremis sermonibus demandasset, is non solum A. 1664 quatuor priores operis de Concordia Sacerdotii & Imperii Libros nova editione recensuit, additionibusque passim exornavit, sed & integrum Tomum alterum ex autographo Marcæ descriptum, & quoad partem ejus Latine a se versum addidit, ac nonnulla alia Antiquitatis Ecclesiasticæ monimenta, una cum Vita Viri summi, adjecit. Imo cum distractis intra breve tempus editionis hujus secundæ exemplaribus tertia jam quoque tot virorum doctorum tum in Gallia, tum alibi hortatu urgeretur: non cunctatus est versatissimus in antiquitate Ecclesiastica Baluzius libros Marcæ de Concordia emendatiores aliquantum, multisque additamentis & observationibus illustratos anno 1669 orbi litterato reddere, eique Vitam Mæcenatis sui paullo auctiorem, & ab insultibus Pauli Fageti vindicatam præmittere. Et produnt sane admirandam Baluzii in antiquitatibus Ecclesiasticis notitiam cum primis ea, quæ post C. XII L. V addidit, in quibus legationum Sedis Romanæ seriem & fata scite depingit, & magna cum eruditione enucleat. Publici itidem juris fecit eodem anno tres Marcæ Dissertationes de auctoritate Pontificis Romæ, & ceterorum Patriarcharum ac Primatum, de Canonis Arausicani explicatione vexatissima, & de Initiis susceptæ in Galliis fidei Christianæ, quibus & alias A. 1681 ex schedis Marcæ ad se devolutis adjecit, quarum seriem M. Octobr. A. MDC LXXXII, p. 326 in his Actis indicavimus.



Nunc cum post Gallicanam tertiam, editio operis laudatissimi de Concordia Sacerdotii & Imperii in Germania prima, habitu cultuque prioribus non impari prodeat, eique præter Additiones Baluzii omnes Dissertationes Petri de Marca selectæ, quæ tractatum ejus majorem illustrant, subjectæ sint, vel illud primo loco significasse partium nostrarum esse duximus, quod XVII Dissertationes huic editioni subjunctæ legantur: I de singulari Primatu Petri; II de Primatu Lugdunensi cum appendice; III de Patriarchatu Cæptano; IV de Epistola Vigilii; V Vigilii & Euty-chii Epistolæ; VI Anathematismi quintæ Synodi; VII Notæ ad dissertationem de Epistola Vigilii; VIII Notæ ad Concilium Claromontanum; IX de discrimine Laicorum & Clericorum, X de tempore Synodi Syrmienensis; XI Jacobi Sirmondi diatriba de damnatione Photini; XII de Synodica epistola Synodi Illyricanæ; XIII Explicatio Canonis V Synodi Cæptanæ; XIV de veteribus collectionibus Canonum; XV Interpretatio C. Clericus C. 39 Q. 4; XVI Explicatio Can. XVII Ancyrani; XVII de tempore, quo primum suscepta est in Galliis Christi fides. Deinceps id nobis monendum est, quod editioni huic in Germania primæ, sed in ordine quartæ, non exiguum ornamentum accesserit ex Observationibus ad Libros Marcæ selectis Jcti clarissimi, *Justi Henningi Bæhmeri*, Professoris in Regia Fridericiana Publici, aliisque jam scriptis meritisve celebris, qui & rubricas, quæ in opere Marcæ majori desiderabantur, singulis capitibus adjecit, & uberiores materias Indicem fieri curavit. Præmisit idem Observationibus suis Dissertationem præliminarem de necessitate & utilitate studii Historiæ Ecclesiasticæ in Juris Ecclesiastici Prudentia, in qua simul monet, quod Antonius Pagi in Criticis ad Baronium Marcæ observationibus admodum fuerit usus. Sed ipsæ Observationes Bæhmeri Ecclesiasticæ ad tria momenta redeunt. Aliquando enim in iis ea, quæ in favorem aulæ Romanæ a Marca scripta sunt, ad veritatis trutinam examinat: in aliis, quæ uberiores in libris Marcæ illustrationem desiderare videbantur, ulterius explanat: aliquando vero, quæ iniquius impugnata fuerant, ab insultibus adversariorum Marcæ liberat, illaque in antiquitate Ecclesiastica quam optime fundata esse,



non inerudite demonstrat. Nos ut novarum harum accessio-  
 num specimen unum alterumve exhibeamus, non indignam me-  
 moratu deprehendimus Observationem primam, qua occa-  
 sionem operis majoris a Marca conscripti altius eruit, & nomen  
 scriptoris illius, in quem Vir summus toties & tantopere invehit,  
 detegit. Indigitari nempe hoc nomine observat Bœhmerus per-  
 sonatum auctorem, *Optatum Gallum*, qui anno M DC XL li-  
 brum edidit sub titulo: *De cavendo schismate ad illustrissimos Ec-  
 clesie Gallicanae Primate, Archiepiscopos, Episcopos liber paræ-  
 neticus*, in quo se sollicitum esse simulabat Optatus de præcaven-  
 do schismate, quod metuendum esset ex Patriarchatus novi in  
 Gallia institutione, quam Gallia Antistites Proceresve moliri tum  
 temporis rumor erat. Et suspicionem hanc se desumpsisse aiebat  
 Optatus ex editione Voluminum duorum de *Libertatibus Ecclesie  
 Gallicanae*, quæ Petrus du Puy seu *Puteanus* fecerat, quo jurium  
 Regis intelligentiorem Galliam vix vidisse Noster dicit. Meminit  
 etiam, quod easdem Ecclesie Gallicanae libertates scriptis non unis  
 adstruxerint Natalis Alexander, Ludovicus Thomassinus, Edmun-  
 dus Richerius, Paschasius Quesnellus, Ludovicus Ellies du Pin,  
 Jo. Launojus, aliique. Sed cum liber Optati paræneticus multas  
 oppido in Gallia turbas excitaret, isque obesse videretur consiliis  
 Cardinalis Richelii, quem a Patriarchatus institutione non alie-  
 num fuisse, sunt qui perhibent: idcirco Clerus Gallicanus provin-  
 cia Parisiensis eum anno eodem, quo prodiit, die 28 Martii da-  
 mnabat & proscribebat, velut non ad schisma præcavendum, sed  
 potius suscitandum scriptum. Stephanus Baluzius in vita Petri  
 de Marca id quidem non dissimulat, quod sibi Auctor libri hujus  
 parænetici satis sit cognitus, sed tamen eidem larvam detrahere  
 veretur. At in Patinianis Bœhmerus hæc de eo reperit: *Celvi de  
 l' Optatus Gallus est Mr. HERSAN, Prêtre Parisien & celebre  
 Predicateur*. Ut vero schismatis omnis, per hunc librum inten-  
 tati, suspicio removeretur, spartam hanc commissam fuisse, me-  
 morat Bœhmerus, illustrissimo Auctori nostro, qui quæ Putea-  
 nus forsan nimis crude & aperte proposuerat, temperamento quo-  
 dam leniret, & Gallia observantiam erga Sedem Romanam  
 offenderet. Natæ inde sunt præsentis Marcae de Concordia Sa-  
 cer-



cerdotii & Imperii Dissertationes, quarum partem aliquam mox anno sequenti A. MDCXLI edidit, quam tamen Aula Romana magis damnabat, quam probabat. Observatione II ad Librum I Boehmerus de causis schismatis magni inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem disserit, easque contra Petrum de Marca, Baluzium & Allatum a temporibus Gregorii M. litibusque de primatu inter Episcopum Rom. & Cptanum arcessit; & observatione V faciem & naturam regiminis Ecclesiastici primam amplissime delineat. Observatione VI lites Eruditorum circa explicationem Canonis VI Concilii Nicæni commemorat, quæ, ipso Marca teste, ingenia eorum dudum exercuerit. Scripserat nimirum Salmasius scientissimus ficto sub nomine librum de *Ecclesiis suburbicariis*, ubi partim in prædicto Canone non agi de Patriarchæ jure, partim limites Ecclesiæ Romanæ ad suburbicarias provincias restringere contendebat. At statim huic se opposuit eruditissimus Jacobus Sirmondus in tractatu, cui titulus: *Censura conjectura Anonymi scriptoris de suburbicariis regionibus & ecclesiis*; quos duos Auctores suo etiam loco Marca laudat. Post hos alii quoque lucem Canoni huic afferre conati sunt, inter quos cum primis nominat Noster Jo. Launojum, qui in dissertatione de recta Nicæni Canonis VI intelligentia de jure Metropolitico ibi agi contendit, quam vero Valesius in alia ad calcem Socratis & Sozomeni dissertatione adjecta confutare allaboravit. Utriusque sententiam postea sub examen revocavit Ludovicus Ellies du Pin in Tractatus de antiqua Ecclesiæ disciplina Dissertatione prima, & ab utroque quodammodo recessit. Ut Leonem Allatum, Edmundum Richerium, Jo. Cabassutum, Antonium Pagi, Jo. Schelstratenium, Christophorum Justellum, nec non Samuelem Basnagium, Casparum Zieglerum & item Jo. Schilterum taceamus, quos omnes in ejusdem Canonis explicatione, sed vario partium studio, desudasse Boehmerus subindicat. His verò enarratis jam ipsum Boehmerus canonem controversum exhibet, & distinctis conclusionibus probat, quod in eo non de jure trium Episcoporum, Romani, Alexandrini, & Antiocheni, Patriarchali, ut Marca cum Valesio aliisque affirmat, neque de Jure Exarchico seu Primatus, quo Pinius inclinaret, sed de Jure Metropolitico



agatur, ut cum Launojo & Justello Nostratum plerique vellent. Observatione IX eam Marcæ sententiam cum Pinio refellit, qua ut Aulæ Romanæ faveret, Cap. V L. I contendera, Episcopum Romanum tempore Concilii Nicæni Patriarchatum per totum Occidentem exercuisse, simulque loca Augustini, Hieronymi & Innocentii quædam explicat. Observatione XII eam quæstionem evolvit: num Episcopus a nemine judicari possit? Quod utut Marca acerrima contentione affirmet, hodie tamen in contrariam partem totum fere Clerum Gallicanum abire, Noster ex Launoji Epistolis docet. Observatione XVIII de Advocatis Ecclesiarum, & Obs. XIX de Patriciis antiquis quædam non ubivis obvia ad illustrationem librorum Marcæ adfert. Observatione XI ad Librum II de quæstione: num leges requirant acceptationem populi? cum auctore Tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, qui anno MDC LXXXIX Leodii prodiit, disceptat. Obs. III ad Librum III de eo: num Canon XXVIII Concilii Chalcedonensis ad instantiam Leonis P. R. fuerit expunctus? disquirat. Obs. XII ad eundem librum de ficta Constantini M. donatione & figmenti hujus occasione tractat. Obs. XI ad Librum IV de pragmatica Caroli IX sanctione quædam superaddit; & Obs. XIV causas enucleat, cur olim non auditæ fuerint provocationes a Pontifice ad Concilium Oecumenicum. Observatione III ad Librum V quæstionem sat agitatam inter eruditos: quisnam Synodo præfuerit Nicænæ? excutit. Obs. XIV de Apocrisariis, & qua occasione illi primum introducti fuerint, agit. Observatione II ad Librum VI de electionibus Episcoporum primitivis; & Obs. III ac IV de usu pallii quædam commentatur. Demum Observatione V in quæstionis de Annatarum origine enodatione desudat; & quæ sunt alia. Non dubitamus, quin Consultissimus *Bæhmerus* æque ac solertissimus *Fritschius* noster dignam uterque merito suo gratiam ab Orbe literato sit relaturus: & ille quidem, quod Accessionibus suis perdoctis Marcæ opus magis illustrare, novæque hujus editionis curam in se suscipere voluerit; hic autem, quod habitu tam nitido opus universum prodire in lucem curaverit.



*TRACTATUS DE POTESTATE JURISDICTIONIS, seu de regimine animarum, ac de jurisdictione contentiosa, an & quomodo Prælati inferioribus, ex privilegio, vel præscriptione competere valeat? Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI Papæ XI, supremo Ecclesiæ universalis Monarchæ, a CAROLO ANTONIO de MANENTIBUS, Status Urbini, dicatus.*

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1708, 4.

Alph. 3 plag. 4.

**L**ites subinde & controversias in ecclesia Romana inter Monasteria & Episcopos intercedere, his in illa jurisdictionem sibi vindicantibus, illis sub vario prætextu horum imperio subinde se subtrahentibus, notum est. Hinc Auctori nostro occasio enata huncce conscribendi tractatum, quem ut ex Canonistarum, quos vocant, fontibus collegit, ita eorum qua sententias, modumque tractandi, qua dicendi genus minus cultum horridumque se legere diligenter vestigia, ubique demonstrat. Octo opus hocce absolvitur partibus. In prima de potestate jurisdictionis, seu de potestate regiminis animarum, de temporali & ecclesiastica jurisdictione, de juribus Episcopalibus, de diœcesi Episcopi, de territorio, quid & quotuplex sit? de territorio Episcopi, agit. In altera parte de Monachorum jurisdictione, de parochiis & ecclesiis unitis monasteriis, de Prælati inferioribus, de territorio Prælati inferioris, verba facit, quæstionesque: an detur territorium separatum Prælati inferioris in diœcesi Episcopi? item, an detur territorium separatum, cum qualitate nullius, in diœcesi Episcopi? pertractat. In tertia parte ad id, quod caput causæ est, propius accedens, disputat: an Prælati inferioribus native (ita loquitur) & originarie competere valeat potestas jurisdictionis? an Prælati inferioribus ex privilegio summi Pontificis competere possit potestas jurisdictionis? an præscriptione Prælati inferioribus potestas regiminis animarum competere possit? an potestas jurisdictionis sit obnoxia præscriptioni, quoad ejus species? Quartæ partis hæc sunt contenta: jurisdictio Laicalis quomodo acquiri valeat? ju-



risdictio Episcopalis an native & originarie competere valeat? an Prælati inferioribus ex privilegio summi Pontificis Episcopalis competere possit jurisdictio? an præscribi valeat jurisdictio Episcopalis contentiosa? an Prælati inferior præscribere valeat jurisdictionem in clerum & populum? In parte quinta, varia Juris Canonici loca & decisiones, quæ ad hanc causam facere, aut sententiæ Auctoris obstare videntur, explicat. In parte sexta, an concilia aliquid favore Episcoporum contra Monachos disposuerint? disputat, & quæ in ejusmodi controversiis Concilii Tridentini mens fuerit, disquirat. Pars septima has expedit quæstiones: an potestas regiminis animarum præscriptione acquiri possit, post Concilium? item, an jurisdictio Ecclesiastica præscriptioni subja- ceat, post Concilium? Pars denique octava & ultima quæstionem tractat in controversiis inter Episcopos & Prælatos, ad quem spectet onus probationis assumere? Hæc summa libri est. Ad rem ipsam quod attinet, Episcoporum causam contra Monachos ac Prælatos, quos vocat inferiores, pro viribus defendit atque tuetur. Ut vero pateat, quod supra jam observavimus, decretis ac placitis veterum Canonistarum Auctorem prorsus addictum, vel unico hoc comprobabimus exemplo. Potestatem spirituales, seu regiminis animarum, ita describit, quod sit potestas quædam supernaturalis, a Deo, ut auctore ordinis supernaturalis tradita Ecclesiæ super omnes creaturas universi, qua mediante summus Pontifex, ac omnes Episcopi ab eodem constituti, habent eminentiam, & potestatem super homines, pro directione eorundem ad dictum finem supernaturalem, hacque de causa non solum potestatem habent in illorum personas, & bona, & possunt ac debent eorundem judicare ac definire causas, verum etiam eorum animas solvere ac ligare ipsis est concessum, cum hac differentia, quod Papa habet dictam eminentiam & potestatem quoad omnes homines, Episcopi quoad oves, eis assignatas. Spirituale hocce animarum regimen in supremum, medium & infimum dividit. Supremum, ita pergit, est penes supremum Ecclesiæ Monarcham Romanum Pontificem; medium penes Episcopos, Pastores & Principes Ecclesiæ subordinatos Pontifici; infimum penes Parochos, Episcoporum Coadju- tores, subjectos Episcopis. De potestate porro Pontificis magni-



fice admodum sentit. Imperium supremum, inquit, tenent Pontifices in toto Orbe, tum quoad spiritualia, tum quoad temporalia: & quod sint spirituales Monarchæ universi, est de fide: hocque supremum spirituale imperium a primordiis Ecclesiæ usque in præsens exercuerunt, leges stabiliendo, ac aliorum revocando in materia fidei ac morum, atque ultimas provocationes recipiendo, ceteraque peragendo, quæ conveniunt supremo Ecclesiæ capiti. Sed mittimus reliqua. Hæc enim sufficiunt, ut ex ungue leonem agnoscas.

חמשה חומשי תורה

h. e.

*PENTATEUCHUS CUM TRIPLICI VERSIONE Chaldaica: tribusque Commentatoribus, Raschii, Raschbami & AbenEsra.*

Berolini, Anno Supp. Min. 465, Christi 1706, 4 min.  
Constat 11 Alph.

**N**OVÆ huic Pentateuchi editioni non solum tres versiones Chaldaicæ, Onkelosii, Jonathanis Ben Uzielis & Hierosolymitana annexæ sunt; sed in eadem trium inter Judæos celeberrimorum Interpretum, Raschii, Raschbami, & AbenEsra Commentarii simul exhibentur. De Raschio & AbenEsra, quorum interpretationes omnibus notæ sunt, nihil habemus, quod addamus; de Raschbamo vero monemus, quod hactenus nunquam excusus, sed tantum MStus in Bibliothecis asservatus fuerit, codicemque, quem Berolinenses Judæi suffragio Cl. Jablonski typis expresserunt, R. David Oppenheim, scholæ Nicolsburgensis Rector, in bibliotheca sua instructissima custodiverit. Hujus Commentarii Auctorem cum Judæis ר"ש"ב Raschbam initialibus literis scriptum appellamus, cui alias R. Samueli Filio Meir nomen est, ex celebratissimi Interpretis Raschii prosapia prognato. Speciminis loco difficiliora quædam loca excerpamus, ex quibus ejus interpretandi facultas intelligetur. Gen. XVIII, 10 verba כעת חיה eleganter vertit: *Secundum tempus parturientis*, eaque cum Mich. V, 2 confert עד עת יולדה יולדה, *usque ad tempus quo pariens pepe-*



pepererit. Deinde annotat, quod parturiens non solum in constitutionibus Judaicis, sed & Exod. I, 19 כִּי חַיּוֹת הַנָּחַל, quia parturientes sunt illæ, scil. Ebraorum mulieres, antequam ad eas veniat obstetrix, eodem sensu reperiatur. Nec infelix interpres est Noster vocis מַכְפֵּלָה Gen. XXIII, 9, quam cum Pluribus nostratum pro nomine proprio districtus cujusdam habet, suamque sententiam ex v. 17 probat, ubi *ager Ephronis, qui in Macpela est*, legitur. Sic Gen. XXX, 14 פְּרִי הַשֵּׁטֶל *flores ficus* vertit, suffultus loco Cant. VII, 14. Porro קְשִׁיטָה Gen. XXXIII, 19 monetæ nomen esse existimat. Gen. XXXVI, 24. הַיָּמִים quos alii *mulos* transferunt, Nostro vel *gigantes* vel *mala bestia* significant. Aptus quoque est locus parallelus 2 Reg. X, 2 עִיר מְבִצָּר וְהַנְשָׁק *urbs munitiois & armorum*, quo יִשְׁק *armabit se* Gen. XLI, 40 illustrat, quia osculi significationem verba פִּיךָ יְעַלְּךָ *juxta mandatum tuum* non admittunt. Sic כְּרוּבִים Exod. XXV, 18 Cherubim, quibus alii *vitulorum*, alii *juvenum* formam tribuunt, Noster *aves* esse putat, quia Ezech. XXIV אַתָּה כְּרוּב מִמְּשָׁךְ הַסּוּכָךְ *tu es Cherub extensus protegens*, legitur, ubi notandum, quod vocem מִמְּשָׁךְ cum ה scriptam ille cum ך legerit, uti quondam Vulgatus eandem vocem interpretatus est. Præterea Num. XVI, 1. verba וַיִּקַּח קֹרַח וְגוֹ' *& assumebat Korach*, Noster aptissime cum sequentibus וַדָּתַן וְאֶבְיָתָר *& Onem filium Peleth ex filiis Ruben &c.* quam phrasin deinde loco parallelo Gen. XII, 5 וַיִּקַּח אַבְרָם שָׂרָם *& assumebat Abram Saram uxorem suam & Lotum filium fratris sui*, illustrat. Coacta itaque, phrasique Scripturæ contraria est recentior illa versio: *Es nahm sich heraus Korah*: aperte enim Hebræa phrasis cum Germanismo confunditur. Ceterum sensum mysticum, cui alii Judæorum Magistri inhærent, Noster deserit, tantum literalem persecuturus, sed neque hunc, quod dolemus, in singulis capitibus ab ipso erutum reperies; in Genesi enim a cap. I ad XVIII usque ejus annotationes desiderantur; reliqua vero Raschio & AbenEsra parcius, sed nervosius interpretatur.



MENSIS NOVEMBRIS A. M DCC IX. 497  
MONUMENS AVTHENTIQUES DE LA RE-  
ligion des Grecs.

i. e.

MONIMENTA RELIGIONIS GRÆCORUM  
authentica, quibus falsitatis convincuntur plurimæ  
Christianorum Orientalium fidei professiones, in libro de  
Perpetuitate Fidei Catholicae contra Reformatos allatae;  
Autore J. ARMON, Ministro Evangelii &

J. U. D.

Hagæ Comitum, apud Carolum DeLo, 1708, 4.

Alphab. 3.

**I**N lite, quæ Reformatorum Doctoribus cum Pontificiis interce-  
dit, conati sunt hi demonstrare dogma suum de Transubstan-  
tiatione semper fuisse creditum in Ecclesia. Orientales igitur  
Christianos istud constanter & asseruisse & adhuc asserere prodi-  
derunt. Hanc in rem de Perpetuitate Fidei Catholicae Tracta-  
tum ediderunt *Theologi Portus Regii* (Messieurs de Port Royal)  
A. 1664, cui *Claudius* insigne inter Reformatos sortitus nomen  
respondit A. 1666. *Arnaldus* vero socios suos contra *Claudium*,  
editis A. 1669 & sequentibus eadem de Perpetuitate voluminibus,  
defendit. Pluribus hæc omnia apud *Belium* in Dictionario  
articulis *Arnaud & Claude* inveniuntur, qui nos adeo prolixiori  
liberavit deductione. Quievit postea per tempus aliquod hæc  
controversia, concedens aliis, maxime vero *Præjudiciis contra Pa-  
pismum & Calvinismum* ab utraque parte editis. At nunc resumit  
eam *Aimonius*, ne desertam credant Adversarii, præsertim cum no-  
vis rationibus pugnare se & vincere posse confidat, malam partis  
adversæ fidem ubique demonstrans. In Dissertatione, quam præ-  
mittit operi, & institutum hoc suum indicat, & succinctam fato-  
rum *Cyrilli* narrationem, *Arnaldo & Simonio*, illi in Tractatu jam  
allegato, huic in *Historia Critica de Fide Orientalium* oppositam,  
exhibet. *Cyrillus* nempe *Lucaris*, circa annum 1621 & sequen-  
tes Patriarcha Constantinopolitanus, cum adversaretur maxime  
Pontificiis, faveret Reformatis, & vivus & post mortem accusatus  
vicissim est atque defensus. Quam turpibus igitur Pontificiorum

R r r

insi-



infidiis perierit, post *Thomam Smithum* (qui *Tractatum de Vita & Martyrio Cyrilli Lucaris Miscellaneis* suis Londini 1686 editis inseruit) breviter hic Autor declarat, sperans fore, ut ex universa operis sui serie Sole meridiano clarius istud evadat. Ne tamen in limine hærentes, fugitive nimis ædes ipsas contemplari & perlustrare cogamur, age concedamus eo, quo dignitas nos operis vocat. Aliquot monumenta, ut ipse vocat, authentica profert Autor, quæ, quo melius vis eorum elucescat, copiosis pariter atque eruditis auget Observationibus, nihil omnino prætermittens, quo vel leve vulnus adversariis possit infligere. Primum locum occupant septem & viginti literæ nondum editæ Cyrilli. Harum partim apographa ex Genevensi Bibliotheca deprompsit, earum scilicet, quas tum ad *Genevensem Academiam, Deodatum, Georgium Abbatem & Ulytenbogardum*, tum maximam partem ad *Legerium*, Batavo apud Turcas Oratori prius a sacris, Professore postea Theologiæ Genevensi, Cyrillus scripserat, partim nactus est autographa a Domino de Wilhem, Præside Curiæ Feudalis Brabantiae, ad cuius patrem a Cyrillo erant transmissæ. Has in Leidensem Bibliothecam deposuit, ut cuius *αὐθεντία* earum possit patere. Scriptæ sunt tum Latino, tum Italico idiomate, in Gallicum tamen singulæ ab Aimonio conversæ. In illis cum de aliis rebus scribit Cyrillus, tum sæpius sententiam suam de rebus fidei adversam plane Pontificiis explicat, eamque non suam solum asserit esse, sed totius Ecclesiæ, quamvis non dissimulet, multos a Pontificiis inclinatos nutare & ad *ἑτεροδοξίαν* esse propensos. Machinationes item varias adversus se, occultas maximam partem & sub pietatis specie paratas exponit. Præcipuo inter has literas loco habenda est decima, qua, quæ dogmata inter Græcos propagare nisi sint Pontificii, monstrat. Sunt ea, de transubstantiatione, de Sanctorum pro mediatoribus cultu, imaginumque adoratione. Porro lectu digna decima tertia ad Ulytenbogardum, cui Ecclesiæ Græcæ statum, quoad credenda, varias sectas & regimen Ecclesiasticum describit, queriturque simul de suorum profunda ignorantia, quæ Pontificiis grassandi cupidis fræna penitus laxet; & denique 19 ad Dn. de Wilhem, qua plane sententiam suam de Cœna Domini declarat, ne latum quidem unguem recedens a Reformatis. De



iis præcipue literis, quas ad Wilhemum exaravit, notandum, scriptas esse, cum Alexandrinæ præsideret Ecclesiæ, nec tantam cum Reformatis haberet consuetudinem, quantam Cpli, adeoque minus suspectam esse, quam passim testatur, Pontificiorum averfationem. Excipit has Epistolas narratio quædam perniciosorum adversus Cyrillum confiliorum, quæ tandem in autorum capita reciderunt, scripta ad Dominum de Wilhem a Chrysofculo Logotheta Ecclesiæ Patriarchalis Cpli, A. 1628. Tum nempe Jesuitæ, qui Galatæ sub Gallici Oratoris tutela per viginti annos res suas habuerant, detectis, quæ improba moliebantur, & quibus ea moliebantur mendaciis, Britannici Oratoris, Cyrillique & amicorum precibus, juvante etiam summo Turcærum sacerdote, Imperii hujus finibus omnino pulsi. Quin & hoc ex isto scripto cognoscas, usos jam tum illius Societatis homines eadem in rebus Ecclesiasticis remissione apud Græcos, qua nunc inter Chineses uti accusantur. Sequitur inde confessio de fide Ecclesiæ Græcæ Cyrillo autore, ea scilicet, quam A. 1631 (male est apud Aimonium in subscriptione 1621) edidit, postquam de priori fuerat dubitatum, an ipsum haberet Autorem. Edita est jam olim Genevæ 1633 & nunc ex Patriarchæ ipsius avtographo prodit, quod in Leidensi Bibliotheca asservatur, videasq; hic omnia Pontificiis adversantia, nisi in quibus convenire debet omnibus. Alienis adhuc armis expugnavit hostes Aimonius, jam suo illos ense aggreditur. Producit nempe *Hierosolymitanum Concilium*, A. 1672 sub Dositheo Patriarcha ejus urbis contra Reformatos, Pontificiis stimulantibus, convocatum, ut ejus ope *Claudius*, qui modo de consensu Orientalium cum sua Ecclesia disputaverat, confutaretur. Inscriserunt illud ἀσπίδα ὀρθοδοξίας, jactantque Pontificii, veram hic contineri confessionem Orientalium. Neque tamen triumphabunt, si Aimonio fides, qui accurate ostendit, quam omnia vi, persuasionibus, ignorantia, fallacia, calumniis sint acta, id quod in additis singulis capitibus observationibus probatum dedit Autor; nos paucis inde delibatis declarabimus. *Cap. 1* negant Cyrillum unquam in quacunque re sensisse cum Reformatis, nam 1 nihil cum ullo tempore nisi orthodoxum dixisse, 2 nullum extare Cyrilli αὐτόγραφον, ex quo id possit probari, 3 Homilias



ejus, quæ MStæ afferuntur in Ecclesia, contrarium plane testari. Quicumque vero literas & confessionem ipsius manu scriptas, quicumque excerpta ex Homiliis legerit, quæ in Concilio exhibentur, vel mala fide persuasos, vel omnium rerum ignaros, vel calumniis studentes credet Patres Hierosolymitanos. Confitentur ibidem Græci, Cyrillum juste & unanimi consensu Patriarcham CPtanum factum, multaque millia superesse testium, qui pium & orthodoxum hunc virum cognoverint. Pereunt igitur invidiosæ Adversariorum narrationes, nec veri speciem amplius tuentur, nisi Concilii hujus autoritatem, qua tantopere gloriantur, perire malint. Excerptorum ex Homiliis modo fecimus mentionem, a quibus antequam penitus discedamus, illud adhuc monendum est, in illis favore videri Cyrillum transubstantiationi. Dicit enim, Christum in cœna hac mystica jussisse nos *καταλαβεῖν τὴν ἀπειρον δύναμιν τῆς Θεότητος ἐν τῇ μεταστώσει τῶ ἄρτι*. Ast nihil lucrari Adversarios putat Aimonius, cum voce quidem adhibita rem tamen, quam illi velint, non intelligat. Contrariam enim mentem prodere satis verba, *καταλαβεῖν τὴν ΔΥΝΑΜΙΝ τῆς Θεότητος*. Quo eodem fere modo, hunc tamen locum non indicans, Cyrillum excusat *Th. Smithus in Resp. ad Hist. Crit. de Fide & Ritibus Orientalium*, p. 26. sqq. quo in toto Tractatu contra *Simonium* de usu vocis *μεταστώσις*, ejusque ab aliis, *μεταβολῆ* scilicet *μεταποίησις*, &c. discrimine disputat. Ceterum hæc Excerpta conjecturæ apud Aimonium locum faciunt, num forte Hierosolymitani Patres vel plane Cyrilli Confessionem non intellexerint, vel num ipsis a Gallico Clero sit impositum falsa Confessione, cum isti, quam Autor exhibet, genuinæ neutiquam afferentur Homiliæ. C. 2 Confessio hæc Cyrilli esse negatur, quippe quam 1 nec cognoverit quisquam Episcoporum, nec ei subscripserit, quæ 2 non sit transcripta in magnum Ecclesiæ librum per aliquem ex Ecclesiasticis, quod debeat fieri scriptis, quibus Synodalis sit tribuenda autoritas. Tria hic monentur ab Autore, 1 misere sibi contradicere hos Græculos, qui jam ignotam plane suis Cyrilli Confessionem asserant, alias eum in Moldaviensi & CPtana Synodis damnatum propterea produnt, quod nunquam scripto contradicere huic Confessioni voluerit; 2 sufficere, quod



doctrina ipsius Homiliis contenta transcripta sit in magnum Ecclesiae librum; 3 perire jam *αὐθεντία* Confessionum ab adversariis prolatarum, cum earum nulla publice sit examinata vel subscriptionibus approbata. C. 5 transitio fit ad duas *Synodos, Moldaviensem & CPTanam* contra Cyrillum congregatas, quibus anathema vibratum in Patriarcham hunc dicitur. Ipsas vero si inspicias (translatæ enim sunt integræ in Concilium Hierosolymitanum) in altera tantum earum factum hoc esse videas. Neque prætermittendum, quam turpiter se ipsos vel Græci vel Pontificiorum Doctores irretiverint. Patres enim nostri Concilii testantur expresse, congregatas fuisse has Synodos, quod noluerit Cyrillus unquam scripto contradicere Confessionis fidei nomen ipsius præferenti. Theologi contra Portus Regii testimonium Parthenii Patriarchæ protulerunt, eum omnino contrarias plane fidei professiones, edidisse affirmantes, quippe qui nunquam Reformatis faveret. Hanc & alias observavit contradictiones Autor p. 38 & 311. Synodorum vero ad tempus quod attinet, habita est *CPTana* sub *Cyrillo Berrhoeensi* A. 1639, *Moldaviensis*, sub *Parthenio* Patriarcha, A. 1642. Cyrillum Berrhoeensem capitalem Lucaris inimicum, & penitus Pontificiis mancipatum fuisse, notat Autor, ita ut ejus ope sæpe hunc e medio tollere tentaverint. Parthenius, præterquam quod infensus pariter erat Cyrillo, impius quoque fuit, & præ ambitione perfidus, qui pulit Cyrillum Berrhoeensem sede, in Tunetanum regnum concedere coegit, & ad restim denique adegit. Synodo CPTanæ, quæ quinque capita confessionis Cyrilli condemnat, subscripsit etiam *Metrophanes Critopulus*, Patriarcha tum Alexandrinus, quem notum est misisse antea Lucarem in Angliam ut studiis incumberet, quique Germaniam transiens edidit Confessionem fidei Græcorum Pontificiis plane non faventem, & Helmstadii A. 1661 impressam. *Synodus Moldaviensis* sequitur stimulante per Gallicum Oratorem Clero Pontificio congregata, cui homines Parthenio plane addicti subscripserunt, neque enim vere est habita, sed ejus decreta a solo Parthenio confecta, Epistolæ Synodalis forma iis transmissa, quos subscripturos Parthenius noverat. Examinatur hic Cyrilli doctrina neque diris



devovetur, quod tamen alio longe majori vitio compensatur. Hæc enim Synodus neminem amplius permittit dubitare,

Quo dente obnitens spinosa calumnia pugnet.

Per singula non licet ire; hoc inspicienti & cum Cyrilli confessione conferenti patebit, frontem tueri non posse, qui vel ei subscripserunt, vel ad tuendam causam suam ejus utuntur autoritate. Tot clara cuivis, obesæ licet naris homini, impudentiæ specimina clariora tamen observationibus suis reddidit Aimonius. Post istas Synodos relatas pergit Concilium Hierosolymitanum ad c. 6 & Decretis quibusdam confessionem fidei Ecclesiæ Græcæ opponit confessioni Cyrillianæ. Ista tamen confessio autorem solum habet Dositheim, levem hominem, & quid credat, ignarum, ad id ab Oratore Gallico plectum, ut patet post alia ex Instrumento confirmationis, quod addidit idem Orator, dissimularunt Theologi Portus Regii. In Decreto 1 observat Autor, eos, ne in limine offendant Pontificii, mollius solito de processione Spiritus Sancti loqui. Cum enim veri Græci a Patre *solo* eum procedere statuant (quod satis probat Autor contra Pontificios gloriantes, quod in Florentino Concilio cesserint hoc dogmate Græci) hic particula exclusiva omittitur. Ceterum æqua satis sunt hæc decreta, nec patrocinantur magnopere Pontificiis, præter illud de S. Cœna, ubi manifeste dicitur, post consecrationem *μεταβάλλεσθ, μετεσιῆσθ, μεταποιεῖσθ, μεταρρυθμίζεσθ* panem in verum corpus, vinum in verum sanguinem Christi. Hinc in Observatione ad hoc Decretum occasionem arripit Autor de transubstantiatione prolixius agendi. Tota res eo redit, ut Dositheim solum agnoscat autorem hujus confessionis, reliquos, qui subscripserint, rudes fuisse homines, quod ex contradictionibus, quibus passim implicentur, probat. *Μετσειώσεως* vocem esse recentem, adhiberi a Græcis, qui τὰς ἀνάγκας hujus controversiæ non intelligant, cum ipsa alias doctrina Liturgiæ Græcorum sit contraria, in qua panis & vinum post consecrationem adhuc dicuntur, τὰ ἀντίτυπα τῆς ἀγίας σώματος καὶ αἵματος τῆς Χριστοῦ. Hinc cautiores CPlī & in Moldavia congregatos hanc vocem non adhibuisse, Dositheim propterea Hierosolymis pulsum, & a Gallico Oratore præsidium petere coactum. Allatis inde variis Patrum locis, Concilium CPlī-

tanum



tanum Oecumenicum Sec. IIX congregatum urget maxime, in quo expresse statuatur, substantiam panis & vini in S. Coena offerri, unde Græcæ Ecclesiæ tum temporis fides pateat. Ut denique & Hierosolymitano Concilio aliisque adversariorum monumentis omnis pereat fides, demonstrat Autor, quam longe Ecclesiæ Græcæ Patrum, eorum certe, quos in partes suas non traxerint Pontificii, sententia absit ab Ecclesia Romana, contra quam immortale isti conceperint odium, ita ut solenni anathemate percutiant hanc Ecclesiam cum suis Pontificibus. Probat hoc eorum testimonio, qui ad id a Pontificibus fuere missi, ut de fide Orientalium ad se referrent. Talis fuit Antonius Caucus, Corcyræus Archiepiscopus, a Gregorio XIII emissus, qui sententias Græcorum Pontificiis plane adversas collegit, Gregorioque tradidit. Scriptum ejus in Regis Galliæ Bibliotheca nondum editum asservatur, defenditque Caucasum contra Leonis Allatii criminationes ipse R. Simonius in Tr. de fide Orientalium. Addi his possunt ea, quæ Dominus de la Croix in Historia de statu præsentis Ecclesiarum Græcæ, Armenæ, & Maroniticæ (quæ recensita a nobis videri potest A. 1696 p. 4) de odio hoc refert, qui ipsum anathematis ritum exponit. Post Hierosolymitanum Concilium id agit Autor, ut elevet fidem confessionum illarum, quas pro se adduxerunt Theologi Portus Regii, & addit denique centum Axiomata Juridica, quæ passim iis in locis, ubi applicanda veniebant, allegaverat. Tale est scriptum hoc de celebri hac controversia, totum eo tendens, ut manifeste Adversariorum fallaciæ, quas singulis fere lineis detegit, prodantur. Ne tamen lis credatur confecta, refutavit Aimonium nuper *Renaldotus*, qui quid opponat, quamprimum ad nos pervenerit ejus liber, videbimus. Dolemus interim Ecclesiæ Græcæ vices, quam, quicquid vel Pontificii vel Reformati scribant, in partes plane scissam esse, nemo non fatebitur, aliis aliud illam credere professuris, prout vel Pontificiis erunt addicti vel Reformatis.

DI VINCENZO GRAVINA, GIURISCONSULTO, della Ragion Poetica Libri due.



VINCENTII GRAVINÆ, JCTI, DE RATIONE  
Poetica Libri duo.

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1708, 4.  
Alphab. I plag. 4.

**E**legantia & doctrina præstantissimus Autor, cum Opusculis suis, quæ Romæ A. 1696 publicam lucem adspexere, illud etiam, quod de *Fabulis antiquis* inscribitur, inseruisset, anno tandem superiori alterum eidem, quod a doctis hominibus adhuc expectabatur, de *Fabulis novis* quasi comitem adjunxit, ductus suasu *Serenissima Colbertæ*, Carpentis Principis, Fœminæ supra sexum Philosophicis studiis imbutæ, & quantum in Historicis valeat, hoc uno satis ostendentis, quod universalem Historiam vernacula i. e. Gallicæ lingua moliatur. Utrique tractationi communem de *Ratione Poeseos* titulum affixit, quod, ut omne opus præcedere solet regula, regulam ratio, ita poema ipsum ratio poetandi præcedat. Prior liber etsi nulla nova recensione indigere videatur, cum illud in his Actis, mense nimirum Aprili A. M. DC XCVII p. 80 pridem sit præstitum, facit tamen conjunctio ab ipso Autore facta, ut nonnulla ex tam divite penu decerpamus, quæ ob instituti rationem non potuerunt non ibidem omitti. Cum igitur Poesis ipsi sit veritas per fictionem expressa *trasporto del vero nel finto*, & ut verum natura, ita fictum mens humana producat, (qua occasione multa de natura veri & falsi, realis & ficti subtiliter disputat,) ex hujus principii neglectu & superstizioso regularum cultu omnia vitia in Poesin irrepsisse docet. Illud e contra si observetur, fictionem Poeticam ita phantasiam nostram disponere, ut assensum deneget omnibus, quæcunque dictis Poetæ contrariantur, & fictionem pro veritate ipsa amplectatur; nec enim aliter fieri posse, quam ut fictio, dum motus animi nostri non intrinsecæ rerum naturæ, sed exteriori illarum figuræ respondent, plane eosdem in nobis affectus excitet, ac res ipsa. Exquirenda igitur esse verba sensibilibus rerum imagines exprimentia, fugienda impossibilia, nisi numinis cujusdam vi sustineantur; actiones denique, affectus ita fingi debere, ut per-

p. 2, 3.

Cap. 1.

2.

3.

per-



personæ, quæ sistitur, indoli, forti, loco itidem sint conformes. Odisse ob id ipsum veteres operas Scenicas tractum mensis vel anni exæquantes, atq; fabulæ tractum ad theatri horas, quarum ob interpositos ludos, cantus, choreas, ad minimum fuerint duodecim, exegisse. Vituperium etiam mereri Poetas artis nimium studiosos & singula verba ad libellam quasi appendentes, cum omne artificium sub umbra veritatis latere debeat, & deceat aliquando esse negligentem. Sic Homerum, tanquam Protea alterum in omnes formas se transmutare solitum, sublimem modo ire pro re nata, modo humi repere, mox fulgura spargere, mox lenes susurros edere, in cunctis æmulum naturæ. Vicia Poeseos ex scholis Declamatorum, Eloquentiæ tumultu, enata, aucta deinceps per Romanensium fabularum Scriptores, qui oculis hominum veri imaginem subtrahentes animos illorum in orbem quendam deduxerint fantasticum & idealem, suoque luto inquinarent Scenas Italorum. Plane absque velo Homerum exponere affectus hominum, neque Heroibus suis affingere virtutes naturæ vires superantes. Usus deinceps Poeseos hunc genuinum fuisse docet, ut universales rerum notitias Theologicas, Morales & Physicas sub imaginum involucribus in individua sua dispartiendo rudibus hominum animis insinuaret, etsi hoc ipso effectum sit, ut dum illa, quæ in Deo sunt, simili ratione sub diversis schematibus fuerint exposita, idololatria maximas inde vires ceperit. Comprobari id exemplis Lini & Orphei, quorum vestigiis insistens Homerus in Iliade quidem omnes naturæ leges, & rem politicam, in Odyssæa autem affectus humanos, transformata sapientia in personam Ulyssis, felicissime expresserit. Neque tamen omnia carminum genera æque utiliter isti instituto inservire. Potissimum locum hic deberi Epico. Illius telam ex omni mortalium & actionum genere contexi, cum res humanæ ita varie misceantur, ut circa eundem effectum raro admodum ejusdem conditionis personæ concurrant. Longam in eo fieri posse consiliorum mentionem & causarum sibi met subordinatarum, ut eo felicius interiora personarum & actionum ob oculos ponantur. Manifestum hinc fieri, Epicum simile esse Dramati, nisi quod hoc abscondat propriam personam & alienam

C. 4. p. 12.

C. 5. p. 15.

C. 6.

C. 7.

C. 8. p. 23.

C. 10. p. 30. 31.

C. 12. p. 37.

p. 38.



p. 39. operantem producat, illud narret, hoc agat, ac insuper limitibus temporis magis sit inclusum. Porro Drama aut negotia politica, hominesque in sublimi positos referre, & Tragœdiam nasci, aut privatorum facta domestica, & oriri Comoediam; in illa gravitatem materiæ parturire eventus funestos, in hac levitatem ridiculos & lætos, & exinde fieri, ut eadem natio æque in Tragœdia ac Comoedia non excellat: Latinis etiam quoties non Græcorum, sed suæ gentis historias in scenam deduxerint, minus ex voto rem cessisse, cum moderata in verbis & factis illorum virtus & innata majestas omnem a se risum amolita sit, ut doctè proinde Politianus:

43.

44.

Claudicat his Latium, vixque ipsam attingimus umbram  
Cecropiæ laudis: gravitas Romana repugnat  
Scilicet.

C. 13. p. 44.

49.

C. 14.

55.

16. p. 64.

73.

74.

Ex tam vasto eventuum humanorum complexu, quem Epicum ambit, furculos subinde varios propullulasse & minutulas compositiones, factum, affectum, vel ritum aliquem separatim exprimentes, quæ quod maximam partem ad lyram canerentur, Lyricæ, ad quam etiam Elegiam pertinere ait, Poeseos nomen indeptæ sint. Hæc porro Lyrica carmina & nominibus pro rei, quam tractant, indole, & metro ac rhytmis multum a se invicem diversa, cum plerumque oblectationem populi venarentur, Clarissimus Autor de judicio populari nonnulla intermiscet, eleganter monens, in eo Poetam ut prudentem Principem se gerere debere, ut nec fidat eidem nimium, nec contemnat temere, cui sententiæ prolixius suas causas assignat. Explicata hoc modo Fabulæ natura, & interjecta Poetarum, tam apud Græcos, quam Latinos, successionem, de celebrioribus Poetis judicium ferre instituit. In *Homeri* fabulis totam humanam vitam delineatam reperit, in *Iliade* politicam & agentem, in *Odyssæa* privatam & contemplantem; in illa artes pacis & belli explicari, in hac patrum matrumque familiæque officia inculcari. *Hesiodum* phrasi simplici usum, sed naturæ convenienti, inventionem diversum ab Homero, quod hic latissime excurret, ille vèla ubique contrahat. Inter Tragicos *Æschylum* antiquissimum & placitis Pythagoræ addictiorem, simplicitate gra-

vcm,



vem, popularitate doctum, in utroque observantem naturæ, genium Principum optime adsecutum sub persona Promethei, ut jure suo primus ei locus datus sit ab Aristophane in *Ranis*. *Sophoclem* C. 18. p. 75. splendore verborum, novitate connexionum, meditationis & elocutionis sublimitate, scenarum distributione exacta, numeri plenitudine, plura semper innuentem quam dicentem, dissimulatione omnis eruditionis & artis, medium inter naturam & artem incedere. *Euripidi* miram inesse ingenii fecunditatem & facilitatem cum gravitate Tragica conjunctam, cum primis morum omnis generis fingendorum & in cujuslibet causæ defensione peritissimum artificem se gessisse, in narratione tamen rerum præteritarum minorem Sophocle. E Comicis (qua occasione egit de antiquæ & novæ Comœdiæ differentiis, illam hac ut modestia inferiorem ita superiorem argumentorum varietate & doctrina constituens) *Aristophanis* ingenium agnosci lascivum, impium, obscœnum, venale, sed virtute Poetica & aculeis admirandum, & quod omnia etiam remotissima absque ulla violentiæ suspicione in colorem suum trahat. In Lyricis *Pindarum* ait magnificum stylo, delectu sententiarum gravem & dum privatorum laudes evehit, conditionis semper illorum & veritatis memorem. *Anacreontem* mellita simplicitate fluere & naturæ rerum ubique apta. In *Theocrito* nec culturam officere simplicitati, nec ubi tenerrimos amores delineat, pastorem exuere, adeo ut singulæ ipsius meditationes medio ruri natæ esse videantur. Moderatiorem longe eum Ovidio, quod ex collatione *Idyllii*, cujus initium ὦ λευκὰ γαλάτεια cum illo Ovidii: *Candidior nivei folio Galatea* etiam ingeniose ostendit; neq; minori in pretio habenda *Moschi* & *Bionis* *Idyllia*, cujus Epitaphium Adonidi adornatum suavissimi nectaris plenum sit. Apud Latinos *Plautum*, scriptorem novæ Comœdiæ, sales antiquæ C. 24. p. 88. dictis suis adpersisse, facetum, fecundum rerum novarum & curiosarum, alicubi tamen nimis popularem. *Terentium*, ut seculo C. 28. p. 91. magis culto scripsit, ita sermone cultiori usum, proximior tamen gravitati Tragicæ quam Comicæ festivitati, unde factum, ut sententiis dives, pauper jocis, adeoque Plauto inferior deprehendatur. Plura ab eo narrari, quam fieri, nec interrumpi satis actionem, sicque minus vividam esse. Maximum Vatem fuisse Ciceronis ævo

77e

79.  
C. 20.  
p. 80.92.  
C. 26.



- Lucretium*, tam ob operis suscepti difficultatem, quam felicitatem successus, modo abstinuisset ab impia secta. Regnare in eo facilitatem, gravitatem & suavitatem in rebus etiam maxime intricatis, ut falsum proinde sit de eo Quintiliani iudicium. *Catullum* par ingenium attulisse ad Heroicum, Hendecasyllabos & Epigrammata, in quibus multo præstantior Martiali. Jocos ipsius sponte sua venire, neque tam argutiis cum cura excogitatis, quam vivida cujusvis rei pictura delectari lectores, ut de suo nihil fere adijcere videatur. Affectus ita ab eodem expressos, ut ipsi prius legantur, quam verba: numerum vero exactum & in amoribus, ut de-
- C. 27. p. 94.
- C. 28. p. 96.
- p. 98.
- C. 29. p. 99.
- p. 100.
- C. 30. p. 100.
- Virgilium* ad perfectionis fastigium extulisse poesin Latinam. Transtulisse eum in suam *Æneida* ex Homero loca integra & descriptiones integras, a Macrobio congestas (etsi multa industriam ejus effugerint) sed mira arte, & magno Latini sermonis commodo, quem ex his Græcorum spoliis multo instructiorem reddiderit. Dictionem illius esse grandisonam & majestatis plenam, quam ut per totum opus servaret, a rebus humilioribus abstinuisse, minorem tamen Homero secus ac visum sit J. C. Scaligero, ab ipso filio, Josepho, in Scaligeranis represso. In Georgicis, quorum singuli versus auro contra cari, majorem Hesiodo, in Eclogis Theocrito cedere. *Horatium* acutum & disertum. In odis proxime a Græcis abesse, in satyris vero, rivulis veteris Comœdiæ & salibus Atticis conditis, ob nativos vitiorum virtutumque colores multum detrahere *Juvenali*, qui doctus quidem & eloquens, sed declamator extrema saltem vitiorum perstringat, prætermittens ea, ad quæ magis præceps via est, & cui animus sit non tam emendare vitia, quam detegere, neq; tam errores odisse, quam personas. *Tibullum* purum, elegantem & numerosum. *Propertium* phantasia lyrica præditum, sectatorem novarum formularum & sublimibus æque rebus ac amoribus aptum. *Ovidium* omnium calculos meriturum, si ingenio suo imperare didicisset, & limam, quod in fastis ab eo Factum est, adhibuisset frequentius. His veterum luminibus nonnullos recentiorum Poetarum addit, qui reflorescentibus sub auspiciis Leonis X humaniorum literarum & Philosophiæ potissimum Platoniciæ studiis, Italicum solum illustrarunt, de quibus tamen in universum monet, neminem



minem inter eos extitisse, qui absolutum aliquod poema Epicum, aut Systema Philosophicum versibus mandare sustinuerit. In *Palingenii* Satyra, quæ *Zodiacus* inscribitur, hoc minime ferendum C. 33. p. 109. ait, quod Aristotelem secutus Deo post creationem novi quid creandi virtutem deneget. Stylum præterea argumento accommodatum, nec humilem nimis dici posse cum Scaligero, quod infra naturam rei, quam tractat, non sit depressus. *Pontanum* ut varia doctrina, sic per varias Poeseos formas divagatum, sed non parcum satis & perpolitum. Per similia scientiarum genera animum circumtulisse *Capicium* *Libris de principiis rerum* majore industria sed minori indolis ubertate; imitatore Lucretii, sed dispari impetu. Altius quid spirasse *Aonium Verulanum* in immortalis *de immortalitate animæ* opere, qui Lucretiana virtute Lucretianos errores vincat. Omnibus tamen palmam præripere *Fracastorium*, C. 36. p. 111. cujus una *Siphilis* cum ipsis Georgicis contendere queat, & in quo videre liceat, quid valeat mens Philosophia purgata furore poetico incensa. *Sannazarium* frustra notari a Scaligero, quod in suo C. 37. p. 112. *de partu virginis* poemate numina Driadum Musarumque Christiano argumento immiscuerit, cum sub illis naturæ tantum effectus, tenacitatem memoriæ puta, fertilitatem terræ, aquarumque tranquillitatem indiget, non aliter ac Prophetæ terras, aquas & ventos ad grates creatori suo dicendas provocare assoleant. Neque C. 38. p. 114. minori injuria inculpari *Vidam*, quod in *Christeide* sua Angelos militaribus insignibus exornarit, & humanis affectibus subjecerit, cum hos non nisi cum virtute conjunctos fingat, & nefas fuerit exprobrare Vati, quod pictori indulgetur. Similia judicium invenias C. 39. sqq. *de Angelo Politiano, Bembo, Navagerio, Cotta, Flaminio Castiglione, Sadoletto, Joh. Bapt. Amaltheo, Theophilo Folengo*, qui sub ficto *Merlini Coccaji* nomine latere maluit, sed quæ nimis longum foret omnia referre.

Liber secundus circa *novas Fabulas*, Italorum scilicet, occupatur, quarum characterem ad ideam Veterum reducere ei animus est. Cumque animadvertat, Poesin quondam a summis Magistratibus, Legislatores, Solone, Sophocle, Cicerone, aliisque excultam, atque pro lingua arcana, in qua divina oracula pronuntiarentur, cum primis apud Orientales populos fuisse habitam, non



C. 1, p. 126.

C. 2, p. 128.

129.

131.

132.

C. 3.

p. 137.

aliam contemptus, quem hodie patitur, causam adsignat, quam quod nostro ævo ad aurem potius demulcendam, quam utilitatem comparata sit. Hoc majori encomio dignum videri debere, inquit, *Dantherm*, qui in divina Comœdia sua verbis sublimis & vividus, meditatione profundus, Poesin cum rerum divinarum cognitione ad imitationem veterum Sapientum conjunxerit. Quemadmodum autem ætati suæ obsequens, quæ & Latinæ linguæ & metri consuetudinem jampridem exuerat, atque loco illius vulgarem sermonem & desinentiam quandam æqualiter coincidentem in fine singulorum versuum, quæ sub rhythmî nomine venit, introduxerat, eodem sermone & dialecto poema suum conscripsit, ita Clarissimo Viro latissimus campus de rhythmis & vulgari lingua disserendi aperitur. De *Rhythmis* itaque, sive Leoni cuidam monacho Benedictino, sive Theodoto *Presbytero*, tempore Zenonis, illorum initia tribuantur, ita tenet, illos, cum duplex in literis sit barbaries, una *naturæ*, in ignorantia non voluntaria consistens, altera *artis*, ex perverso judicio ornamentorum & argutiarum excessu a naturæ proprietate deviantis, ex utraque barbarie conflatos esse; postquam commercium cum Gothis & Vandalis Latinorum aures & ora in discernenda & eloquenda syllabarum quantitate, separando itidem versu a prosa mediantibus pedibus, plane corruperit, scholæ autem Rhetorum jam inde a Seculo II post Christum natum eloquentiam nimia lusu & sonorum semet invicem æquantium affectatione inquinarent. Accidisse igitur, ut similitudo desinentiarum in Latina fabula recepta in vulgarem quoque transferretur, eandemque a soluta oratione non pedibus amplius, ut olim veteres consueverant, sed solo syllabarum numero distingueret. *Dantherm* tamen ut tædium terminationum similium aliquantulum allevaret, duabus desinentiis similibus novum semper rhythmum medium interposuisse, quod genus versuum ab Italis Terzina appellatur. Ad linguam, qua *Danthes* usus, quod attinet, rem omni dubio non vacare, cum eam nonnulli ex doctissimis Italis pro dialecto Florentina, inter quos *Bembus*, *Varchius*, *Dulcis*, *Ptolemaeus*, alii pro communi Italiæ lingua, ut *Trissinus*, *Muzius*, *Castelvetrus* & *Castilioneus*, venditarint. Sibimet quidem fieri verosimile, *Dantherm* ad imitationem Homeri, qui usu receptas voces & phra-



phrases ex omnibus Græcorum dialectis, maxime tamen Jonica, in suum opus transtulerit, nonnullas primus invenerit, aut jam obsolescentias ad usum revocaverit, communi Italiæ lingua scripsisse, voces tamen & loquendi modos ex Lombardica, Romana, potissimum vero Tusca dialecto inseruisse, multas demum a se inventas aut ex veteri Latinorum lingua postliminio reductas addidisse. Comprobasse Danthem hoc institutum suum pluribus in libro *de vulgari Eloquentia*, quem ab ipso Latino idiomate tempore exilii conscriptum, ex Bibliotheca quadam Patavii a *Corbinello Florentino* protractum, & a *Trissino* lingua vulgari donatum, eidem ut genuino suo parenti, quicquid de ea re aliis visum sit, vindicat. Vulgaris autem sive Italicæ naturam ut eo melius explicet, duplicem fuisse notat Latinorum linguam, unam nobilem & Grammaticalem, alteram plebejam, in hoc potissimum a nobili distinctam, quod in ea minor casuum, personarum, generum, numerorum & constructionum cura haberetur, provocans ad locum quendam Plautinum, inscriptiones item nonnullas a *Fabretto* separatim collectas, tum & voces nonnullæ in eadem adhiberentur, ab Historicis, Poetis & Oratoribus repudiatæ. Illam vero ipsam plebejam Latinorum esse hodiernam Italicam, quam cum commercia cum Gothis, Herulis, Longobardis in terminationibus immane quantum immutarent, ac tantum non omnes casuum & personarum differentias in pronunciando tollerent, inde introductionem articulorum ad distinctionem generum, numerorum, casuum, fuisse insectam. Seculo demum X evenisse, ut quæ hætenus plebeja fuerat, illustris fieret, & in Actis publicis adhiberetur, quam rem multum promoverit, quod pleræque Italiæ civitates ea ætate ad instar liberarum Rerumpublicarum per Consules suos regerentur, qui frequenter cum populo publice agentes non debebant non lingua uti omnibus familiari. Post ea tempora Italos in vulgari sua Poemata scribere inceperunt ad imitationem nimirum Provincialium, qui linguam Romanam plebejam inde a Friderici I temporibus, cujus & ipsius nonnulla poetice descripta eadem lingua extant, variis amorum eventibus tam versu quam prosa narrandis (unde Romanensium fabularum nomen) applicaverant; atque illos ipsos Poetas Provinciales, cum largis stipendiis Neapo-

C. 4, p. 138. sq.

C. 5, p. 141.

143.

C. 6, p. 149.

C. 7, p. 150.

151.

lin



- p. 152. lin a Regibus ex Provinciæ Comitatu oriundis invitarentur, multum quidem alterasse vulgarem, sed & eandem excolendi aliis incitamento fuisse. Inde Danthem in regno Neapolitano linguæ illustris sedem agnovisse, indignatum Florentinis dialectum suam pro lingua communi reliquis obtrudere volentibus. Admittit tamen Vir doctissimus, Florentinos multum participasse a lingua communi, idque formæ illorum Reipublicæ adscribit, quæ postquam beneficio Rudolphi I pro pecunia exigua a potestate Præfectorum Imperialium liberata esset, continuis civium suorum factionibus agitata, vilissimo etiam cuique animum addiderit, ut oratione compta alios in partes suas pelliceret, quod ex historiis illius urbis videre liceat. His atque aliis de vulgari lingua erudite allatis, demum de stylo Danthis agit, & titulo operis controverso, quem tamen Comoediam potius, quam Epicum esse debere evincit. Finem etiam politicum examinat, qui nullus alius fuerit, quam ut Italiam suam immoderato libertatis studio laborantem, atque in minutulas Respublicas divisam, laceratam præterea misere per Guelforum & Gibellinorum furores, in concordiam & sub unius imperium reduceret. Dehinc per singulas species Carminum vagatur, atque ab Epico incipiens eo Romanensem quoque Fabulam pertinere asserit, cum & Epicum & Fabula Romanensis narret rem & fingat, & nihil intersit, an res multæ & magnæ a pluribus gestæ recenseantur, an pauciores ad certam quandam personam reductæ. Inter Epicos *Bojardum* sua non ex turbidis rivulis Provincialium, sed limpidis fontibus Græcorum hausisse arbitratur. Sistere eum Parisiensem obsidionem, ut Homerus Trojanam, adscribere Heroibus suis virtutes supernaturales, ut Græci Theseo, Herculi, aliisque, ut hi autem verisimile salvum servarint per divinitatem, ita illum per imperia Fati & Magorum: bonum opus, si ad finem perductum, numerosiusque in nonnullis & magis limatum esset. Altius assurgere *Ariostum*, qui inceptam a Bojardo telam felicissime absolvit. Admirandum eum affectuum excitandorum esse artificem, lumina Philosophiæ & scientiæ naturalis ubique spargentem. Stylum & numerum pro diversitate materiæ convenienter modo tolli, modo deprimi; nec tamen labe sua carere, bonam partem ex Bojardi lectione contracta, quo referendas
- C. 8, p. 154.
- C. 9, p. 159.
- C. 10, p. 162.
- C. 11. 12.
- p. 167.
- C. 13, p. 170. sq.
- C. 14, p. 178.
- C. 15, p. 180.
- C. 16, p. 183.
- p. 185.



das existimat interruptionem frequentem narrationum, scurrilitatem negotiis seriis immixtam, exaggerationes nimias, epitheta & sententias minus rebus convenientes, digressiones otiosas ideo additas, ut Aulæ Ferrariensi placeret, atque si non peritorum artis, saltem amicæ suæ gratiam iniret. Eodem tempore prodiisse *Trissinum*, Græce doctissimum, qui Barbariei frenum excutiens, sublato ritmo, cursum naturæ in versu servans, *Italiam liberatam* cecinerit ad æmulationem *Iliados* Homeri. Stylum illius castum & moderatum, & ab omni ostentatione alienum, sententias a Scholastica doctrina Danthis puras, in omnibus felicem Græcorum imitatore, superiorem Tasso & Alamanno, quorum imitationem servilem pronunciat. Tasso in *Hierosolymis liberatis* genus dicendi floridum & sonorum, artificiosam item sententiarum ex optimis quibusque autoribus decerptarum ligaturam immortalē apud omnes gloriam peperisse. Ipsum more antiquissimorum Vatum tegere regulas Rhetorices & sancita Philosophiæ, & non tam præceptis, quam nuda narratione instruere legentes. Ab Epico ad Tragœdiam divertit, in qua Italos uti inferiores Græcis, ita ceteris nationibus omnibus superiores prædicat, documenti loco adducens *Trissini Sophonisbam*, *Speroni Canacem*, *Rucellæi Rosmundam*, *Giraldi Orbeccam*, *Tulliam Martelli*, & *Torismundum Tassi*. In Comœdia Plautinos sales sparsisse *Ariostum*, *Bibienam*, *Trissinum*, aliosque. Eclogas pastorales, quas subinde Arcadiæ suæ intexuit *Sannazarius*, numero & elocutione præstantes esse, & gravissimas sententias pastorali habitu artificiose induere. A veterum tamen simplicitate deflexisse *Tassum* in *Aminta*, & omnium maxime *Gvarinum*, qui in *Pastore fido* ex Pastoribus homines aulicos & sagacissimos Politicos effecerit, nymphas vero tam disertas finxerit, ut plane ex Declamatorum hodiernorum scholis prodiisse videantur. In Satyra primas deberi *Ariosto*, in mimica Poesi *Bernio*, in Lirica *Petrarchæ*, quem gravitate *Dantem*, acumine *Gvidonem Cavalcantem*, venustate *Cinum* superare credit. Proximum *Petrarchæ* censerī debere *Justum Contium*, Senatorem Romanum, in collectione, quæ sub titulo *bella mano* prodiit: quibus adhuc jungendi sint *Monte-magnus*, *Franciscus Sacchettus* Florentinus, *Augustinus Staccolus* Urbinas, *Sannazarius*, *Politianus*, *Bembus* & *Casa*.

p. 187.  
C. 17, p. 189.

190.

191.  
C. 18, p. 192.

193.  
C. 20, p. 197.

C. 21, p. 199.

200.

201.  
C. 23, p. 202.  
C. 24, p. 203.



## TRAITE DES DISPENSES DU CAREME.

hoc est:

*TRACTATUS DE DISPENSATIONIBUS  
Jejunii.*

Parisiis, apud Franciscum Fournier, 1709, 12.

Constat Alph. 1 plag. 2.

**D**urum jugum necessitas etiam in rebus inevidenter proficuis reputari solet. Hinc in jejunio Quadragesimali multos inter Pontificios conquerentes audias de præcepto Ecclesiæ, ipsis potius salutari, quam noxio. Neque enim abstinencia a carne sanitati officit, nec commendata hisce temporibus sobrietas eidem adversa, quin potius temperantia quotidianum nostrum jejunium esse debet, immo si quis ex ratione vivit, temperanter vivit, cum temperantia optimum sit sanitatis tuendæ & vitæ conservandæ medium. Cum præterea tempus quadragesimale passioni Dominicæ recolendæ ex præscripto Ecclesiæ destinetur, & plenus venter libidini libentius, quam piis meditationibus omnium confessione indulgeat, Ecclesia minime culpanda videbatur, quod novo vinculo ad sobrietatem eos obstringere allaboraret, qui mandati divini immemores officio suo satisfacere renuunt. Ipsius enim curæ relictum est, ut, quantum fieri potest, ad scandala tollenda, externa minimum præceptorum divinorum observatio vigeat. Alia tamen plurimorum in cœtu Pontificio animos obsedit opinio. Jejunium sanitati adversum reputant, tum quod a carne abstinendum, tum quod cœna nimis frugali contenti esse jubeantur, quasi vero ad sanitatem conservandam & carnis comestio & cibus bene multus requiratur. Inde sub vario prætextu ultimo tamen in dispendio sanitatis dispensationem a jejunio anhelant. Anonymus noster, cujus hæctenus sententiam exposuimus, vanitatem detegere allaborat, non solum a priori ex ipsa corporis humani structura mechanica & natura alimentorum, tam solidorum, quam fluidorum, sed & ex historia, tam antiqua, quam recentiore, tam sacra, quam profana, atque ex quotidianis observationibus a posteriori demonstrans, alimenta, quorum modicus usus tempore jejunii quadragesimalis ab Ecclesia Pontificia permittitur, sanitati & longævitati



gævitati corporis humani magis convenire, quam carniū usum. Plures inter voluptuosos, quam inter Religiosos, vitam quam maxime austeram ex Ordinis sui præscripto viventes, infirmos reperiri monet: nec hos citius istis morti obnoxios fieri observat. Ex principiis Physicis non ignotum, ad sanitatem in corpore humano requiri circulationem sanguinis uniformem & regularem. Neque erga materiam circulantem quantitate peccare, nec elasticitate nimia motum præcipitare debere. Huc vero conducere vitam sobriam atque frugalem, quæ superflua & vitia liquorum arceat, fluidorum æquilibrium & requisitam fluidorum ad solida rationem perfectamque inter ea harmoniam conservet. In specie ostendit, jejunium nec extraordinarii, nec austeri quidpiam habere. Præjudicium esse ait, quo a primis unguiculis ideam voluptatis nutritioni connectentes nobis persuademus, ad sanitatem & vitam conservandam requiri, ut laute & opipare vivamus & sæpe ac multum comedamus: cum tamen exemplis antediluvianorum aliarumque gentium antiquarum probari possit, non quantitatem, sed qualitatem nutrimenti, non prandiorum & cœnarum multipliciter, sed frugalitatem vires corporis vitamque longam largiri, utut non neget standum esse a sententia illorum Medicorum, qui post Hippocratem suadent, sæpius per diem, nec nimis multum una vice comedendum esse, ne stomacho ea cibi quantitas obtrudatur, quam digerere commode nequeat. In primitiva Ecclesia strictiores fuisse jejunii leges ex Historia Ecclesiastica primorum Seculorum repetit: unde apparet, jejunium quadragesimale præsentis temporis esse continuam dispensationem veteris. Cum in genere evicisset, alimenta homini maxime convenire, quæ facile digerit, quæque sanguini accommodata, atque adeo ea, quæ facile comminuuntur & dissolvuntur; in specie monstrat, fructus arborum, grana, legumina esse alimenta homini maxime propria, utpote triturationi aptissima, quam solam stomachi actionem defendit, systemate fermentationis non minus quam altero rejecto, quod per operationes chymicas digestionem declarat. Fuere alimenta memorata primus hominum in ipso Paradiso cibus. Multum ex mente Nostræ succi nutritii præbent, sanguini apprime convenientis. Eodem succo excrescunt arbores: & animalia solis herbis pasta robur ac



molem acquirunt. Carnium vero usum homini nec naturalem, nec absolute necessarium esse contendit, quoniam 1 structura organorum in bestiis carnivoris a mechanica eorundem in homine prorsus dissidet; 2 plurimi homines, immo integræ nationes, sine carnibus & olim vixerunt, & hodiernum vivunt; 3 Deus antediluvianis carnis usum non concessit; 4 carnes difficulter digeruntur multumque succi mali suppeditant. Quod si cum nonnullis objicias, corpora hominum post diluvium esse minus fortia, adeoque solidiorem requirere cibum, quam antediluvianorum, atque fructus & legumina post diluvium deterioris conditionis existere, quam ante ipsum fuerant; utrumque Cl. Autor refellit, tum quod sub aquis plantas & arbores conservatas fuisse vel ramo olivæ a columba in arcam Noachi circa finem diluvii apportato colligi possit, tum quod Deus animalia in arca conservans eorum quoque cibum, plantas nempe, sub aquis extra arcam conservare debuerit, tum quod perpetua materiæ metamorphosis in orbe contingat, nec quicquam perdat, sed quod in auram abiit in terram rursus decidat, tum quod homines post diluvium longævi fuerint. Si porro cum *Burneto* Anglo, *Pitcarnio* Scoto & *Baglivio* Italo urgeas, non a fluidis, sed a solidis potissimum, fibris nimirum nervosis & membranosis, robur corporis & vitæ longitudinem dependere, atque cum primo doctissimorum virorum ulterius inferas, vitam hominis post diluvium ideo imminutam fuisse, quod tonus fibrarum imminutus continuo fuerit; nullitatem objectionis sequentem in modum refellit. Primo nullam esse rationem monet, cur a tempore Davidis ætas hominum imminui desierit, si a diluvio usque ad tempus Davidis temporali proportionaliter imminuta *Burneto* concedatur. Quare incrementa ætatis post Davidem eadem ratione contingere debuissent, qua ante Davidem facta, sed a diluvio usque ad Davidem ætas 900 vel 800 annorum reducta est ad 80 annos, ut adeo intra 364 annos octava pars annorum 900 pereat. Quare admitta proportionali temporibus ætatis imminutione, jam ante bis mille annos genus humanum exspirasset: quod cum manifeste absurdum existat, nec *Burnetianam* hypothesin, ex qua necessario illud sequatur, veram esse posse concludit. Generalia hæc sunt, quæ



quæ ex IX prioribus Partis primæ Capitibus depromere libuit. Progre-  
ditur Autor in subsequens ad peculiare examen præcipua-  
rum specierum leguminum, granorum, radicum, herbarum, pi-  
scium & animalium testaceorum, quæ in numerum alimentorum  
consuetudo retulit, cumque singulorum vim nutriendi exposuis-  
set, pluribus evincit, quod, quæ jejuniis imputantur, mala non no-  
xiæ alimentorum memoratorum naturæ, sed habitui corporis car-  
nium esu acquisito, intemperantiæ, potui alimentis parum conve-  
nienti, varietati alimentorum una assumtorum, & ciborum con-  
dimentis adscribenda sint. Qua occasione de lacte, butyro, aro-  
matibus, aceto aliisque ad cibos condiendos adhiberi solitis proli-  
xe tractat. Ut autem ex jactis hisce principiis dispensationem  
jejunii arctioribus limitibus adstringit, quam praxis ferre videtur,  
haudquaquam tamen eandem pro injusta declarat, sed licitam pro-  
fitetur, si certum sanitatis dispendium metuendum esse ratione  
quarundam personarum clare doceri possit. Nec indecens esse  
arbitratur, quod certa pecuniæ vis inter pauperes distribuendæ  
pro dispensatione solvatur, cum omnia in Ecclesia ad charitatem  
& emolumentum fidelium sint dirigenda. Ne autem perverfus ali-  
mentorum in se optimorum usus nocere possit, cautelas quasdam  
proponit in iis præparandis & assumendis observandas, optans ut  
quis Physicæ ac Medicinæ gnarus *Coquum Catholicum* edat, veram  
alimentorum præparationem jejunantes edocturus. Hinc casus  
dispensationis distinctius persequitur, de personis, a quibus dis-  
pensatio impetranda, differit, & cautelas quasdam circa dispen-  
sationis usum superaddit. Amplissima hæc materiæ seges non-  
nisi primam Tractatus Partem absolvunt. Parte secunda omnem  
jejunii rationem & Historice, & Physice, & Theologice expendit:  
tertia vero de omni potus genere, aqua, vino, cerevisia, sicera &c.  
eadem industria tractat, quam alimentis examinandis superius im-  
penderat, & potuum ad jejunia relationem considerat. Sed de  
his dicere, instituti nostri ratio haud permittit.



M. MICHAELIS LILIENTHALII, DE HISTORIA LITERARIA CERTÆ CUJUSDAM GENTIS SCRIBENDA,  
Consultatio.

Lipsiæ & Rostochii, apud Jo. Henr. Rufwormium, 1710, 8.  
Constat plag. 16.

**O**ccasionem scripti hujus Autor in Præfatione aperit : meditatur enim Prussiæ Literatæ, Patriæ suæ, Historiam aliquando edendam, de cujus methodo cum apud se deliberaret, non eam consultum duxit eligere scribendi rationem, qualem nonnulli, ab eo recensiti, adhibuere, qui Historiam Literariam alicujus gentis, regionis aut urbis hæctenus tradiderunt ; eo quod amplo Historiæ Literariæ nomine in angustiiori nimis significato utantur, & sub splendido hoc titulo non nisi Viros doctrina & scriptis illustres comprehendant. Sed cum persuasus fuerit, longe plura Historiam Literariam ambitu suo includere, constituit secum aliquanto prolixius de momentis, quæ in Historia Literaria alicujus gentis scribenda observari possint, in prodromi vicem Prussæ suæ Literatæ, commentari. Præstitit hoc in hac tractatione quatuor Sectionibus. Sectione prima ea commendat, quæ circa origines rei literariæ alicujus gentis inquirendas sint attendenda. Ad hunc vero rei literariæ ortum cum non solum historia rei alphabetariæ & scriptoriæ, sed & incunabula scientiarum & artium pertineant ; circa singula sedulo evolvenda peculiaria propinat monita, utpote *Cap. I* de literarum & rei scriptoriæ cujusdam nationis notitia suppeditanda, & *Cap. II*. de auspiciis scientiarum & artium alicujus populi detegendis. Quibus varia scitu digna ex artis scriptoriæ, scientiarum item & artium antiquitatibus immiscet. Sectio secunda de progressu rei literariæ certæ gentis sollicite annotando agit. Et quidem *Cap. I* ea enumerat, quæ circa incrementa scientiarum & artium describenda attendi debeant, atque eo Scholas etiam collimare demonstrat ; quare *Cap. II* de re scholastica alicujus nationis delineanda, consilia proponit & hac occasione scholarum publicarum necessitatem & utilitatem contra Dn. Thomasium modeste defendit. Sectioni tertiæ omnium prolixissimæ cogitata sua inclusit, quomodo



res literaria gentis cujusdam in flore suo exhiberi debeat. Postquam ergo criteria generalia floridi rei literariæ status præmisisset, & Academias quoque ad florem ejus pertinere commonstrasset, *Cap. I* de Academiarum cujusdam populi historia scribenda præcepta exhibet, observationibus variis literariis referta. Hinc *Cap. II* ea qua potuit accuratione momenta feligit ac in ordinem disponit, quæ in vitis clarorum certæ gentis Virorum concinnandis respicienda sint; quibus nonnulla de utilitate ex vitis clarorum Virorum redundante, de ampliando vitarum scribendarum subjecto, & de fontibus ac subsidiis rei biographiæ præmittet, atque coronidis loco Nomenclatorem Prussorum Literatorum annectit. Pergit *Cap. III* ea subministrare, quæ in Bibliothecarum & Musæorum i. e. Pinacothecarum & Cimeliarchiorum cujusdam nationis notitia exquisite aperienda suum habeant usum; selectis hinc inde rei bibliothecariæ & antiquariæ capitibus intermixtis. Porro *Cap. IV* de re libraria certæ gentis exhibenda consultat, quo nomine omnia comprehendit, quæcunque circa librorum impressionem, commercium & compactionem, Typographias scil. Bibliopolia, Auctiones & Bibliopegas dici possunt. Denique *Cap. V* regulas præscribit, juxta quas conversatio literaria alicujus populi sit delineanda. Quo partim Societates Literarias, partim Comensalitates, ut vocat, partim Disputationes viva voce institutas, partim quoque Commercium epistolicum refert. Singulorum ex his historiam peculiaribus observationibus illustrat. Sectionem quartam & ultimam inscripsit de fatalibus rei literariæ periodis, quos gens quædam habuit, describendis. Hic vero, postquam Rempubl. Literariam suas habere vicissitudines ostenderat, *Cap. I* de rei literariæ decrementis earumque causis enucleandis est sollicitus, atque ex instituto causas præcipuas recenset, quibus mediantibus felix rei literariæ periodus in aliqua gente vel throno movetur, vel plane pessundatur, easdemque nomine Piorum Desideriorum Literariorum complectitur, applicatione ad modernum rei literariæ statum morbidum ubique facta. Subjungit tandem *Cap. II* consilia, de palingenesia literarum in quadam natione commonstranda, & in operis peroratione symbola Eruditorum ad Prussiam suam Literatam summopere efflagitat.



PAULI COLOMESII, RUPELLENSIS, OPERA  
Theologici, Critici & Historici argumenti, junctim  
edita curante JO. ALBERTO FABRICIO, D.  
& Prof. Publ.

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1709, 4.  
Alph. 5.

Quemadmodum plurimum hactenus Eruditorum dispersa volumina in unum collecta corpus magno eruditi orbis fructu prodire, quos inter solos nunc liceat nominare Jo. Harduinum & Franciscum Vavassor, quorum Opuscula nuperrime Belgæ collegerunt, ita commendandum utique celeberrimi Fabricii institutum, qui & superiori anno Andreae du Chesne Bibliothecam Chronologicam Scriptorum ab Originibus Regni Francici ad sua usque tempora, nec non Christiani Gryphii Diatriben de Scriptoribus rerum Galliae & Lotharingiae seculi praesertim XVII, e majori opere, quod propediem integrum proditurum spondemus, decerptam, & Hermanni Dieterici Meibomii de Gallicae Historiae periodis & Scriptoribus Dissertationem junctim sub t. *Isagoge in Notitiam Scriptorum Historiae Gallicae*, & hoc ipso anno *Supplementa & Observationes ad Vossium de Historicis Graecis & Latinis*, Mallincrotii scilicet, Nogarolæ, Sandii & Hallervordii, ut & hæc ipsa *Colomesii Opera*, sparsim antea edita, eoque non ubivis obvia, collegit & accurate typis mandavit. Et hic quidem primo loco comparet ejus Gallia Orientalis ad editionem Hagæ Com. 1665 vulgatam expressa, quam excipiunt ejus Opuscula Latino-Gallica, Lutetiae primum A. 1668 iterumque Ultrajecti A. 1669 edita, tum Bibliotheca selecta (*Bibliothèque Choisie*) non tam ad Rupellensem editionem, quæ prior prodiit A. 1682, quam alteram auctiorem Amstel. 1700 publicatam recusa, Clarorum porro Virorum Epistolæ singulares, antehac Colomesio editore Lond. A. 1687 vulgatæ, & *Observationes Sacrae*, quæ ibidem anno sequenti prodire; accessere postremo *Rome Protestante*, Lond. 1675, Theologorum Presbyterianorum Icon ex Protestantium scriptis ad vivum expressa, A. 1682, Colomesiana, seu *Melanges Historiques*, qui libellus Arausione antea 1675 impressus rarissimus fuit, donec Dn. Des Maizeaux re-



recentissimæ San-Evremontianorum Operum editioni, Londini & Amst. 1706 sex Voluminibus in 8 procuratæ, illum cura variorum cimeliis rarioribus adjiceret, cujus & notulæ elegantiores hic repositæ sunt, denique Catalogus Librorum MSS. Isaaci Vossii a Colomesio confectus, & minora nonnulla alia. Dolet vero Cl. Editor, quod Epistolas Reginae Suecorum Christinae, a Colomesio A. 1687 editas, multum licet quæsitas, ejusdemque vitam Jac. Sirmondi, A. 1671 publici juris factam, & Epigrammata Gallicana, A. 1669 vulgata, reperire hisque scriptis adjungere haud potuerit.

*ELOGIA GERMANORUM QUORUNDAM  
Theologorum, collecta a GEORGIO HEINRICO GOE-  
ZIO, Doctore Superint. Lubec.*

Lubecæ, apud Joh. Wiedemeyerum, 1709, 8.

Alph. 2.

**N**OVAM summe Reverendus Gœtzius collectionem sistit, quæ Germanorum quorundam Theologorum, de diversis Academiis & Ecclesiis præclare meritorum, vitas complectitur, quorum nomina vel Wittenius desideravit, vel Auctor noster eruditus non ingrata fore censuit. Equidem non dissimulat, egregios hosce Viros, quorum laudationes hic exhibentur, æqualem gloriam sibi tribuere haut posse, sed unum alterum doctrina, auctoritate, munerum amplitudine, fortunarumque copia sæpissime vincere. Ne tamen in ipsum Deum, qui eos dotibus suis ita mastravit, nec in merita honestissimorum Virorum, neque tandem in seram posteritatem, majores noscendi cupidam, injuriosius esse videretur, memoriam eorum indiscriminatim renovavit, atque ab ingrata oblivione vindicavit. Imprimis autem Theologos Lubecenses hic exhibere placuit, quorum nulla mentio ab aliis hætenus est facta. Lubecensibus adjunxit Lipsienses, ob amorem, quo in patriam ejusque doctores fertur, Rostochienses ac Gryphiswaldenses, aliosque, qui variis in locis inclaruerunt. Cum vero octoginta tantum Theologos hoc volumen comprehendat, reliquos, quorum copia tunc demum ei facta est, cum illud prelo exiret, alio tempore exhibere ac in publicum producere apud animum constituit.



*SCHWARZENBERGA GLORIOSA, SIVE E-  
pitome Historica de Ortu & Gestis Serenissimæ Gentis  
Schwarzenbergicæ; Autore JO. HENR. HAIMB,  
Sesslacensi, J. U. Cand.*

Ratisbonæ, apud Seb. Bruggmayerum, 1708, 8.

Constat 10 plag.

**D**Um historiam Illustrissimæ gentis Schwarzenbergicæ, hodie-  
num in Serenissimo Principe, Adamo Francisco Carolo, Di-  
casterii Rosweilensis Judice hereditario superstitis, Autor expone-  
re instituit, primam ejus originem a Richario & Rudolpho, Comi-  
tibus Burgundiæ, deducit, quos Carolus Crassus Imp. A. 884 Sue-  
viæ Duces creavit. Horum vero posterii & successores, cum  
Henrici Saxonis partes secuti, adversus Conradum I Imp. arma ce-  
pissent, circa A. 917 dignitate illa & vita ipsa multati sunt. Re-  
lictus ex omnibus Conradus, Erkingeri occisi filius, omni spe recu-  
perandi ditiones paternas dejectus, A. 918 in Francoriam confugit,  
ubi donatum sibi ab agnato cognomine castrum sein neues Heim  
h. e. novam patriam suam appellavit. Hinc nomen gentis *Seins-  
heimianæ* repetitur, quæ diu equestri dignitate contenta, Seculo  
XIV per Fridericum I & Hildebrandum, Henrici filios, in duas fa-  
milias divisa est. Prior Seinsheimiorum nomen retinuit, ex qua  
hodiernum ortum trahit Illustrissimus Dominus a Seinsheim, S.  
R. I. Comes. Posterior sub finem Seculi XIV & initium XV sen-  
sam illud cum nomine Schwarzenbergico commutavit. In hanc  
Erkingerus, natus 1362, Lib. Baronis, Adolphus, Javarini expugna-  
tor, A. 1598 Comitis, & hujus nepos Jo. Adolphus A. 1672 Prin-  
cipis dignitatem intulit. Omnium, qui in utraque familia florue-  
runt, res gestæ ita recensentur, ut passim digressiones haud inju-  
cundæ, e. g. de motibus Grumbachianis p. 51. seqq. de bello  
Smalcaldico p. 107, de bello rustico p. 113 seqq. de memorabili  
Javarini expugnatione, qua Adolphus Comitis titulum promeruit,  
p. 229 seqq. admisceantur.

Das Zittauische DIC CUR HIC, und HOC  
AGE.



i. e.

*DISSERTATIO DE LECTIIONIBUS ET METHODO docendi in Gymnasio Zittaviensi adornatis ; Auctore M. GODOFREDO HOFMANNO, Gymnasii Zittaviensis Rectore.*

Zittaviæ, apud Johannem Jacobum Schoepfium, 1709, 4.

Constat plag. 22 $\frac{1}{2}$ .

**E**X quo Vir clarissimus, Christianus Weisus, qui Zittaviæ Gymnasio per annos bene multos summa cum laude præfuit, eique dexteritate sua & industria splendorem conciliavit maximum, ad superos abiit, Amplissimus hujus civitatis Senatus, ut Gymnasii hujus decus non tam conservaretur, quam augetur, omnem navavit operam. Amplissimorum igitur Scholarcharum, imprimis Perillustri Seeligmanni cura & consilio factum est, ut Laubanensis Lycei hætenus Rector meritissimus, Godofredus Hofmannus, ei præficeretur, ab eoque nova methodus alumnos instruendi præscriberetur atque typis mandaretur. In hac igitur Dissertatione vernaculo idiomate conscripta Capite I limites curriculi scholastici ponit, pensaque distribuit, in scholis absolvenda. Ubi monet, ad differentiam ingeniorum esse respiciendum, eaque in infima, mediocria & summa distinguit, ad quarum mediam classem magis quam ad reliquas attendendum sit. Pensum primum concernit Theologica; alterum linguas, Latinam, Græcam, Ebraicam, Germanicam & Gallicam; tertium disciplinas instrumentales, Logicam, Oratoriam & Poësin; quartum prægustum quendam disciplinarum realium, tam theoreticarum, quam practicarum; quintum studium Historiæ, circa quod (1) ipsa historia, sacra, civilis & literaria, (2) subsidia, Geographia, Genealogia & Heraldica, (3) usus seu praxis, lectio Novellarum ostenduntur. Singulis fere pensis annectitur judicium, quousque schola limites suos extendat. In capite II methodus traditur, qua partim in genere juvenes instituendi, partim singulæ sint tractandæ lectiones. Atque hic ea præscribit, quorum summam utilitatem ex praxi cognovit Autor clarissimus. Regulæ generales suppeditantur X, e. g. methodo Socratica utendum; ad cujusvis discipuli



ætatem, statum, propensionem, captum & finem informatio instituenda, &c. Regulæ speciales ad pensa superiori capite exposita respiciunt, e. g. quomodo in classibus inferioribus IV, V, VI Lectio Bibliorum, Institutio Catechetica, in II & III Lectio Theologica, in I Cursus Theticus, Antitheticus, Ethicus & Exegeticus sit instituendus; qua ratione Collegium Biblicum diebus Solis cum I & II classis discipulis habendum, quid eodem die in inferioribus classibus faciendum? &c. In capite III de Lectionibus agitur, cum iis tractandis, qui ad aliud vitæ genus animum appulerunt. Hic media suggeruntur, qua ratione in auditorio ejusmodi mixto cum fructu doceri possit. In Capite IV necessaria quædam, maxime in constitutione Scholastici cujusdam curriculi notanda, commendantur; e. g. Catalogorum Lectionum recta consignatio, amica Præceptorum conspiratio, horumque pietas, dexteritas & industria, disciplinæ scholasticæ usus, hora repetitioni consecrata & reliqua. Caput V *παραίνεσις* ad studiosam juventutem Gymnasii Zittaviensis continet, quæ ad veram pietatem, sedulam Scripturæ sacræ lectionem, pias preces, temporum frequentationem, pugnam contra carnem, peccatum, diabolum & mundum, propensionis investigationem, studium humilitatis, vocationis internæ inquisitionem, Viri eruditione clari electionem, Latini sermonis acquisitionem, judicii & memoriæ culturam, mentis præsentiam &c. excitat & suppeditis mediis adducit alumnos. Capite V cogitationes pias de educatione liberorum rite instituenda Parentibus aperit, & VII curam illorum gerit, quibus res angusta domi, quique vix habent, unde vivant. Hæc speciminis loco sufficiant. De cetero omnes nobiscum precantur boni, ut Deus T. O. M. hisce conatibus ex alto benedicat.

#### NOVA LITTERARIA.

**R**oma accepimus, Virum Cl. Philippum Bonanni, *Musæum Kircherianum*, sive Musæum rerum curiosiorum ab Athanasio Kirchero in Collegio Romano Societatis Jesu dudum institutum, sed hæctenus restauratum & insigniter auctum, quod in brevi volumine Amstelodami Georgius de Sepibus, Kircheri in machinis concinnandis socius, indicavit potius, quam descripsit, justa de-



descriptione ac figuris 180 exornasse, preloque subjecisse, spe publice facta, opus splendidissimum propediem esse proditurum. In eo tum antiquitatum monumenta varia, idola, tabellas votivas, sepulcra, lucernas, tum res naturales, quæque ope microscopii observantur, tum numismata quoque, statuas, tabellas pictas, imprimisque integram conchyliorum historiam invenies. Pauli Maffæi quoque opus vernaculum de Gemmis prope absolutum est, atque adeo quarto, quod ad finem properat, volumine excuso, in lucem prodibit. Patavii vero Ludovicus Antonius Muratorius, Ser. Ducis Mutinæ Bibliothecarius, in eo occupatur, ut edat *Anecdota Græca*, quæ ipse primus e MStis eruit, Latioque donavit & notis atque disquisitionibus auxit. Præterea Mutinæ Vir doctissimus, Benedictus Bacchinus, nuper admodum Agnelli, qui & Andreas, Abbatiss. Mariæ ad Blanchernas, & S. Bartholomæi Ravennatis, Librum Pontificalem, sive vitas Pontificum Ravennatum, e Bibliotheca Estensi protraxit, & dissertationibus atque observationibus nec non appendice monumentorum illustratum, spisso volumine in 4 edidit, quem librum Cellissimi Ducis Mutinensis sumptibus impressum, & publice alias non prostantem, cum primum a Cl. Autore nobis destinatum nacti erimus, Actis his nostris inferemus. Expectamus & Angelum de Marchettis, cujus mentionem fecimus A. 1696 p. 244, quique patrem habuit Alexandrum de Marchettis, doctissimum Mathematicum, Philosophum item & Poetam insignem, *Euclidem Reformatum, sive plana & solida Geometriæ elementa*, Liburni 1709 in 4 excusa, nec non *Risposta d' Anton. Giuseppe Branchi, di Castel Fiorentino, scolare nello studio Pisano, a quanto oppone il Sig. Gio. Paulo Lucardesi al Libro dell' Sig. Dottore Antonio Francesco Bertini, intitolato: Lo Specchio che non adula*, Colonia, nella stamperia Arcivescovale, 1709, 4, qui liber etsi Coloniam præfert, in Italia tamen impressus, nec auctorem habet Branchium, verum ipsum Bertinium, variisque aculeis refertus est.

Cantabrigiæ Petrus Needham Hieroclis Philosophi Alexandrini Commentarium in Aurea Carmina de Providentia & Fato, quæ supersunt cum MStis collata recensuit, notisque auxit, 1709, 8. Oxonii vero sub prelo sudant Clementis Alexandrini Opera cum animadversionibus, Dionysius Longinus  $\pi\epsilon\epsilon\iota\ \upsilon\psi\gamma\varsigma$ , Antiquita-



tes Urbis Romæ, & Beveregii Episcopi Expositio XXXIX Articulorum Ecclesiæ Anglicanæ, quam avide expectant, qui Celeb. Burneti Expositionem horum Articulorum rejiciunt. Ibidem Johannes Inett alterum Tomum *Originum Anglicanarum*, quibus Eduardi Stillingfleet Origines Britannicas continuat ( de primo Tomo egimus in Actis A. 1707 p. 169 ) prelo subjecit.

Lipsiæ nuper admodum prodiit supremi per Saxoniam Electoralem Theologi, D. Henrici Pippingii, cui hæc Eruditorum Acta a pluribus annis multum debent, ad D. Georgium Heinr. Goetium, Lubecensium Ephorum, *Epistola*, qua ei offert Semicenturiam Biographicam selectam, Elogiis Theologorum, quæ edere parat, inferendam, quandoquidem ob graviora negotia Memorias Theologorum, quas olim edere coepit, continuare ipse Vir summus prohibetur. Sunt hæc elogia J. C. Nicolai, J. O. Henckelii, J. A. Olearii, P. E. Wiederi, C. F. Nachtenhöferi, S. Goebelii, J. G. Dietrichii, E. Suenonii, C. Bezelii, J. Gezelii, P. Heigeli, F. Cramerii, V. Hoelcini, J. J. Steinhoferi, J. H. Hagenii, S. Henninges, J. Söffingii, J. C. Lauri, G. Schwarzii, D. Christiani, J. C. Holzhausen, J. H. Rumpelii, B. Schmidii, J. Baudewini, J. C. Olearii, J. Salemanni, J. N. Jacobi, J. C. Nungesseri, J. L. Schoepfii, A. Kühnii, C. Klemmii, G. H. Hæberlini, M. Hoernlini, H. Lubberti, A. Acoluthi, N. Nierembergeri, C. H. Loeberi, J. Richardi, J. J. Mülleri, J. Deutschmanni, N. Dassovii, O. Neunesii, S. B. Carpzovii, G. B. Wibelii, G. F. Seligmanni, J. J. Zentgrafii, J. M. Poltzii, L. Depkin, J. D. Ernesti, & H. M. de Broke. Hæc itaque opera summe Reverendi Goetzii, cui paulo ante memorata Theologorum Elogia debemus, proxime proditura speramus.

---

## LIBRI NOVI.

*Dictionnaire Oeconomique, contenant divers moyens d'augmenter & conserver son bien & meme sa santé. Par Mr. Noel Chomel. II Tomes. A Paris, chez le Conte & Montalant, 1709, fol.*



- T. Petronii Arbitri Satyricon quæ supersunt, cum integris doctorum Virorum Commentariis, & notis Nicolai Heinsii & Guilielmi Goesii nunc primum editis. Accedunt Jani Doussæ Præcidanea, D. Joh. Ant. Gonsali de Salas Commenta & alia. Curante Petro Burmanno. Traj. ad Rhenum, apud Guil. vande Water, 1709, 4.
- Menandri & Philemonis Reliquiæ, quotquot reperiri potuerunt, Græce & Latine, cum notis Hugonis Grotii & Joannis Clerici, qui etiam novam omnium versionem adornavit, indicesque adjecit. Amstel. apud Thomam Lombrail, 1709, 8.
- M. Minutii Felicis Octavius, cum integris Woveri, Elmenhorstii, Heraldii & Rigaltii notis, aliorumque hinc inde collectis, ex recensione Jacobi Gronovii. Accedunt Cacilius Cyprianus de idolorum vanitate & Julius Firmicus Maternus de errore profanarum religionum. Lugd. Bat. apud Corn. Boutestein, 1709, 8.
- De Hydrope ejusque causis, Exercitatio Medica, Antonii Dominici Gotti, Florentini. Ad Regiam Celsitudinem Cosmi III M. Etruriæ Ducis. Florentiæ, typis Mich. Nesteni & Ant. Borghigiani, 1709, 4.
- Jac. Fayi, S. S. Theol. D. Defensio religionis, nec non Mosis & gentis Judaicæ contra duas dissertationes Johannis Tolandi, quarum una inscribitur Adeisidæmon, altera vero Antiquitates Judaicæ. Ultraj. apud Guil. Brædelet, 1709, 8.
- Osservazioni di Francesco di Ficorini, sopra le Antichità di Roma, descritte nel Diario Italico, pubblicato in Parigi l' anno 1702 dal M. Rev. Padre D. Bernardo de Montfaucon, in fine delle quali s'aggiungono molte cose antiche, scoperte ultimamente trà le rovine dell' Antichità di Roma. In Roma, nella Stamperia d' Antonio de' Rossi, 1709, 4.
- Histoire de la Ligue faite à Cambray entre Jules II Pape, Maximilien I Empereur, Louis XII Roy de France, Ferdinand V Roy d' Arragon & tous les Princes d' Italie, contre la République de Venise. II Tomes. A Paris, chez Florentin Delaulne, 1709, 12.



*Joannis Harduini, e Soc. Jesu Presbyteri, Opera selecta, tum quæ jam pridem Parisiis edita, nunc emendatiora & multo auctiora prodeunt, tum quæ nunc primum edita. Amstel. apud Jo. Ludov. de Lorme, 1709, fol.*

*Cornelii van Bynkershoek, Jcti & Senatoris, Observationum Juris Romani Libri IV, in quibus plurima Juris Civilis aliorumque Auctorum loca explicantur & emendantur. Lugd. Bat. apud Jo. vander Linden, 1710, 4.*

*Ontledende Uitlegging over de Propheten Nabum, Habakuk en Zephanja, door Petrus van Hoeke. Tot Leiden, by Corn. Bouterstein, 1709, 4.*

*Amusemens de la Campagne ou nouvelles ruses innocentes, par le Sieur L. Liger. Tomes II. A Paris, chez Claude Prudhomme, 1709, 12.*

*Nouveau Traité des Serins de Canarie, par Mr. Hervieux. A Paris, chez le mesme, 1709, 12.*

*Reponse à l' Avis aux Refugiez, par M. D. L. R. A Rotterdam chez Reinier Leers, 1709, 12.*

*Histoire de la Vie & de la Mort de Corneille & Jean de Witt. II Tomes. A Utrecht chez Guill. Brædelet, 1709, 12.*

*Tractatus Historico Chronologicus de Patriarchis Alexandrinis, ad nostra usque tempora; subjungitur Appendix de initiis, erroribus & institutis Copto-Jacobiticis. Auctore Joanne Baptista Sollerio, Soc. Jesu Theologo. Antverpiæ, apud viduam Petri Jacobs, 1708, fol.*

*Enchiridion Studiosi, Arabice conscriptum a Borhaneddino Alzer-nouchi, cum duplici versione Latina; ex Museo Rostgardiano edidit Hadrianus Relandus. Traj. ad Rhenum apud Guil. Brædelet, 1709, 8.*

*Petri Keuchenii Annotata in IV Evangelistas & Acta Apostolorum; accedunt hætenus inedita scholia in ceteros N. Test. libros, a docto quodam Theologo concinnata. Amstel. apud Franc. vander Plaats, 1709, 4.*

*Alberti Schultens, Groningani, S. S. Theol. Doct. Animadversiones Philologicae & Criticae ad varia loca veteris Testamenti. Amstel. apud viduam Seb. Petzoldi & Filium, 1709, 8.*

\*

\*

\*



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Decembris, Anno MDCCIX.*

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ, ET  
cujuscunque generis Acta publica Anglicana, ad manda-  
tum REGINÆ emissa per THOMAM RYMER, Se-  
renissimæ Regine Historiographum.

Tomus I.

Londini, per A. & J. Churchil, 1704, fol.

Alphab. 10 plag. 9.

Splendidum opus, imo Regium hic exhibetur, ea Principe di-  
gnum, quam suspicit & amat cum Britannis Europa, si illos in-  
de secludas, quibus metum injicit atque terrorem. ANNAM di-  
cimus, serenissimam Britannia Reginam, quæ, quamdiu felici suos  
moderatur imperio, non libertatem solum publicam vindicare, sed  
artes etiam quascunque bonas visa est fovere clementissime. Il-  
lius jussu patent nunc Archivorum Regionum thesauri, splendido,  
nec contemnendo ad alios exemplo, quos æque benignos literis  
optamus, publicati. Quod dum celebramus, non est tacenda nobis  
Perillustri Viri, *Caroli Hallifaxii*, munificentia, cui librum in publi-  
cis officinis nequaquam prostantem debemus. Nobilissimus ho-  
rum monumentorum collector *Rymerus* a Seculo XII facit initium,  
quo ineunte imperium capessivit Henricus I, ad nostra usque tem-  
pora laborem hunc perducturus. Singulis Tomis Indicem lem-  
matum chronologicum præmisit, nominum priorum, quæ ibi-  
dem sunt obvia, subjunxit. Ex octo autem, qui hætenus prodire,  
Tomis (nam plures adhuc expectantur) primum jam exhibe-  
mus, notaturi quædam loco speciminis, plurima vero brevitatis  
memores prætermitturi. In conventionem Henrici I cum Flandriæ

p. 1.



Comite A. 1101 facta notandum, obligari Comitem Regi ad militum 500 auxilium, *salva tamen Francorum Regis fidelitate*, quod antiquius adeo Seculo fere integro testimonium de dominio Gallorum in Flandriam, quam quod Puteanus in Tractatu de juribus Regis attulerat. Attamen & Imperatori fuisse quodammodo obligatos Comites, inde patet, quod negligere promissa conceditur ipsi, tum ob alias rationes, tum *propter Imperatoris Romani summonitionem de expeditione*. Scilicet & ad Imperium Flandriæ pars pertinebat, & propter Valentianas Valacrasque jam ab Henrico II in Imperatoris fide erat Flandriæ Comes, ob partem tamen regionis Gallo quoque obligatus. Ludovicum Galliarum Regem nominat idem chirographum, quod mirum videri poterat vivo tum adhuc Philippo patre, nisi certum sit ex hoc ipso, Philippum eo tempore excommunicatum, (quod Blondellus in annum 1108 rejicit, audacter scripta publica mutans,) filio suo Regis titulo tantisper cessisse. In conventionem Stephani Regis Angliæ cum Henrico Mathildæ Imperatricis ex Godofredo Andegavensi filio A. 1153 facta mentio fit Wilhelmi, quem filium suum Stephanus appellat, quod observandum contra eos, qui bellum inter Henricum & Stephanum de Imperio, morte Eustachii, quem unicum Stephanus habuerit filium, finitum, Henricoque confirmatam fuisse successionem statuunt. Nam & hac charta confirmatur, Wilhelmoque isti regiones paternæ tantum, Boloniensis videlicet Comitatus cum aliis, excipiuntur.

15. Hiberniam sub leges suas mittere Henrico II permittit Adrianus Papa, quippe quæ cum aliis etiam insulis, quibus Sol justitiæ illuxerit, absque dubio ad jus beati Petri & Romanæ Ecclesiæ pertineat, quod de Anglia quoque Regem concedere legimus,

35. quando dicit, Pontifici se duntaxat, quantum ad feudatarii juris obligationem, obnoxium teneri & adstringi. Henricum II a filiis suis multa perpeffum constat, neque tamen, quod produnt quidam, ab omnibus, sed Henrico solum, Richardo & Godfrido. Hos namque solos pacis conventio nominat, unde fieri jam potest

37. judicium de pictura, cum quatuor pullis aquilam repræsentante, & pennas parentis convellentibus & oculos fodientibus, ex qua divinasse calamitatem dicitur Henricus. Iisdem se turbis Wilhelmus Scotiæ Rex immiscuerat, turpiter tamen profligatus, durissi-



rissimisque conditionibus libertatem sibi cum pace redimere coactus. Tum enim non regionem solum suam Henrico tanquam ligio, ut tum vocabant, Domino subjecit, sed & Anglicanae Scoticae Ecclesiam. Concessit scilicet, ( ut verba habent ) *quod Ecclesia Scotiana talem subjectionem a modo faciet Ecclesiae Anglicanae, qualem illi facere debet & solebat tempore Regum Angliae predecessorum suorum.* Similiter Episcopi concesserunt, *quod Ecclesia Anglicana illud jus habeat in Ecclesia Scotiae, quod de jure habere debet.* Alphonsum VII Castellae Regem Imperatoris usurpasse titulum, quod ante Ferdinandus quoque I fecerat, confirmatur ex instrumentis quibusdam Regum Castellae & Navarrae. Lectu imprimis digna sunt, quae de Richardi I captivitate apud Imperatorem, & ejusdem liberatione referuntur acta. Habes hic praeter alia tres Matris regiae ad Pontificem Epistolas, supra illorum fere temporum rationem elegantes. Mixtae sunt enim exprobrationes duriores reverentiae, non omissis, quibus in Imperatorem concitari poterat Pontifex, argumentis, ut doloris penitus haerentis in pectore naturam hic agnoscas. Habes Petri Blesensis ad Moguntinum Archiepiscopum Epistolam, qua usque eo dolore abreptus videtur, ut Antichristum vires eo tempore sibi sumere agnoscat, licet non alibi quaerat illum, quam in Imperatore. Habes denique Richardi ipsius de pactis inter se & Imperatorem literas, quibus addidit suas Henricus, unde diluitur, quam contraxerunt invidiam Regi quidam Historicorum, ne Ecclesiarum quidem partem esse thesauris in redimendo Richardo, asserentium. Postremo hinc discas, promississe tum, A. scilicet 1193, Imperatorem Richardo Provinciae Regnum, & quamvis, an coronatus sit, haud constat, sufficit insigne hoc testimonium, ad perpetuum Imperatorum jus in Provinciam demonstrandum; imprimisque malae fidei Bodinus convinceretur, qui vendidisse Henricum V Gallis jura Imperii hanc in regionem scribit, nisi jam satis turpiter se dedisset in ἀνισορροσίαν & παραχρησισμὸν, ut levissime dicamus, quae videri possunt pluribus apud Conringium de Finib. Imper. c. 24. Cum Otto IV in Imperatorem esset electus, literas ad Pontificem Principes, qui ipsum elegerant, miserunt, rogantes, ut factum suum confirmet. His literis subscripsit cum aliis Henricus Dux Lotharingiae,

P. 39.

46. 47.

70.

105.



ringiæ, qui Marchionem Romani Imperii se vocat, quem titulum infra quoque p. 352 tributum ipsi videas, quod non observavere Spenerus atque Becmannus, qui Marchionem solum eum, sine addito provinciæ nomine, dici statuunt. — Fridericum II imperatorem sacram suscepisse expeditionem, omnes testantur, & memorent plerique, bello Friderici adversus Honorium Pontificem instante, supervenisse Johannem Hierosolymitanum Regem, partesque dissidentes confirmata pace ad auxilium sibi ferendum convertisse. Ejus dissidii ne verbo quidem mentionem facit Honorii hac de re ad Henricum III Bulla, qui Imperatorem omissis multis arduisque negotiis ad se in Campaniam venisse, ut de Terræ sanctæ præsidio tractaret, scribit. Cum eodem Friderico II (vitiöse enim Henricus pro Friderico dicitur in impressis) universoque Imperio, Baviaræque præsertim Duce foedus inire voluisse, Bohemiæque Regis filiam ducturum fuisse Henricum, poscentibus id foedus Imperii Principibus, literæ hoc de negotio scriptæ testantur. Gregorius Pontifex, cum Fridericum II morbo impeditum, quo minus expeditionem in Terram sanctam susciperet, suis in Apuliam atque Calabriam consiliis hac mora nimis obesse videret, eundem ab Ecclesiæ communione removerat, quod non curans Imperator, in expeditionem nihilominus pergere decreverat. Has turbas, datis ad Pontificem & Imperatorem literis, componere nititur Henricus, utrique, ut aliquid concedat, suadens. Brunsvicensium eo tempore facultates inde patent, quod concedatur ipsis jus mercatorum per Angliam negotia tuto exercendi, quod factum est in favorem Ottonis Pueri Ducis Brunsvicensis, qui civium ope præsidium Imperatoris ejecerat, cum per emtionem urbs paulo ante in Imperatoris potestatem impubere & captivo Ottone venisset. Inter argumenta de Burgundico tum Comitatu, tum Ducatu, ad Imperium pertinentibus, illud referre possis, quod queratur Henricus apud Imperatorem, se meliores in Gallia successus fuisse habiturum, nisi Comitatum hunc Burgundiæ Dux tenuisset, rogetque simul, ut hac in re utilitati suæ prospiciat. Fridericum II Imperatorem plurimum a Pontificum avaritia pariter ac ambitione sustinuisse, nemo est, qui ignoret. Illud forte non patet omnibus, quid in hoc negotio fecerit Henricus III.

Cum



Cum nempe circa annum 1236 Lombardi nunquam non refractarii bellum adversus Imperatorem suscepissent, Henricus omninibatur studio restinguere flammam hasce, Pontificem, ut hac in re Friderico subveniat, rogans. Tantum tamen aberat, ut hoc curaret Pontifex, ut aleret potius incendium, nec tecte amplius Imperii p. 382. seqq. jura tentaret. Queritur ea de re Imperator coram Henrico, & quibus fraudibus agat omnia, declarat. Concilium se primo petiisse, utque Angliæ Regis legati sint ibi præsentem, voluisse. Negatum tamen hoc a Gregorio, qui eo convocare voluerit cum Provinciæ Comite rebelli suo alios quoque non minus infestos. Quin imo ne inducias quidem admisisse, nisi concederentur etiam Mediolanensibus hæreticis; sic enim passim rebelles istos appellat, exemplo minus alias, quantum videtur, obvio. Nolle se igitur Concilium ab hoste publico Imperii convocari, & si convocetur, ne quis ex Anglia eo veniat, contendit. Aliis porro literis & Regem & status Angliæ increpat Imperator, quod iniquam Pontificis, qua ipsum ab Ecclesia excludebat, sententiam inter se publicari non solum, sed & pecunias ex Anglia bello contra se fortius gerendo colligi patiantur, injusto Pontificis in Angliam dominio aures eorum subinde vellicans. Cum omne denique virus in Concilio Lugdunensi, A. 1295, quo dignitate sua exuebatur Imperator, evomere-  
 434.  
 374.  
 tur, legatos Henrici interfuisse, volente, ut videtur, Friderico atque sciente, notamus. Ex Isabella Henrici Angli sorore filium Fridericus susceperat Henricum, ejus constitutionem in Sicilia Regno loco sui pater nuntiat, simulque, quod baptismus ejus tam diu fuerit dilatus, excusat, quippe illis demum annis se ipsum baptizatum avunculo p. 893 perscribit, *quibus ad cognitionem aliquam fuerit perductus*. Impedimento fuisse videntur similtates cum Pontifice crebraque ejus in Imperatorem fulmina, quod ex patris ipsius Epistola colligas. Ceterum hanc patris Epistolam, nescimus, quo fato, alieno in loco collocatam invenimus; refertur scilicet ad annum 1237, filii vero ad annum 1247, quod verosimilius omnino videtur; nam A. 1235 matrimonium cum Isabella Fridericus inierat, neque adeo tam brevi spatio jam ita poterat esse adultus Henricus filius, ut quid scriberet, & cui, sciret, quod tamen probe se perspectum habere declarat. Amadeus IV Sabaudia  
 441.  
 ad-



adhuc Comes Angliæ Regi homagium de quibusdam regionum suarum urbibus fecit, qua occasione observamus, si verum sit Henricum V Imperatorem primos Sabaudia Comites creasse, videri tamen eos aliquandiu adhuc antiquum Comitum Mauriana titulum retinuisse. Chirographum enim aliquod p. 33 exhibitum Humbertum III illo solum titulo repræsentat, jam tum quoque Marchionem Italiae vocatum, ob id forte, quod in finibus regionum Imperialium versus Galliam esset constitutus. Et hæc sunt tempora, quibus integra sic satis, licet sæpius tentarentur, Imperatorum jura manebant. Post Friderici vero II funestam mortem, fatalis non Germaniam solum, sed Italiam quoque lacerabat catastrophe. Utrobique partes erant Anglorum non negligendæ, quippe quibus spes affulgebat maxima, Imperatoris mortui regiones sibi plerasque vindicandi. Siciliam quidem Innocentius IV Pontifex, qui pellere Germanos Italia constituerat, Richardo primum Henrici III in Anglia fratri, tanquam Regnum ad Ecclesiam legitime devolutum, obtulit, quod acceptasse, paulo post tamen repudiasse videtur. Nam, vivis licet adhuc Conrado & Henrico Friderici filiis, quorum ille Romanorum & Sicilia Regem se appellat in literis ad Henricum p. 514, Edmundo Regis Henrici filio donavit illud anno 1254 Innocentius. Hic, extinctis maxime paulo post legitimis hæredibus, donationem istam per patrem Henricum (impubes enim adhuc fuisse videtur,) contradicentibus licet Angliæ proceribus, accepit. Eam post obitum Innocentii confirmavit Alexander IV non tamen nisi conditionibus quibusdam durissimis, illorumq; temporum arrogantia dignissimis. Homagium enim præstandum erat Pontifici, jureque jurando promittendum, nunquam Regem Siciliae vel ambiturum Germanorum Imperium vel accepturum, & ut alia taceamus, incredibilis pecuniæ vis pro studio velut ac labore Pontifici eroganda. Illis permotus Henricus rem agere frigidius, moras necere, dierum solutionis prorogationem sæpe petere, ut appareret haud obscure, non se tanti emtorum poenitere. Interim Manfredus, qui & patrem Fridericum oppresserat & fratres, grassari in istas provincias prohibente nemine. Incensus igitur Papa, morarumque pertæsus, instare, monere,

p. 476. 893.

893. 511. sqq.

660.

nere,



nere, petere, minari, quæ tamen omnia non aliud sequebatur gravius, quam ut renunciaret postremo juribus suis in Siciliam Henricus A. 1265, vel potius Montfortius rebellis, qui captivum tunc tenebat Regem. Similem exitum Germana fortiebantur negotia: Richardo fratre Regis a Principibus quibusdam A. 1256 in Regem Romanorum electo, Aquisgrani quoque coronato, ab aliis opposebatur Alphonso Castellæ Rex, qui tamen ipse nihil effecit, licet eo progrediretur, ut ab Henrico III contra fratrem Richardum, qua spe fretus, nescimus, peteret auxilium. Qua de re varia hoc Tomo exhibentur documenta, imprimisque notatu digna Romani Pontificis Epistola, qua Richardum citat, ut se componentem ista dissidia ipsum inter atque Alphonsum audiat: Hic enim prolixè satis antiquissimus eligendi Reges Germaniæ modus & ut ibi dicitur, observatus a tempore, cujus memoria non existat, refertur. Mentio fit septem Electorum, intra annum & diem, postquam vacet Imperium, a Moguntino & Comite Palatino Rheni, vel alterutro, Francofurtum convocandorum, quo qui ad statum diem conveniant, licet duo tantum sint, legitimam electionem possint perficere. Electum, siquidem consentiat, intra annum & diem ab electionis tempore per Coloniensem Aquisgrani coronandum, & homagia tum ipsi esse præstanda. Discors si sit electio, iudicium esse Palatini Comitis, & si hic rem nequeat conficere, sedis Apostolicæ. Discedere hinc, selectis potissimum iis, quæ patriam juvant historiam, possemus, nisi clarissimus Rymerus nos detineret, suppeditatis in Præfatione inter alia multa ad Historicos illorum temporum spectantia, de re diplomatica observationibus. Chirographum hic exhibet ad p. 1, quod plus semiseculo superat Mabillonii antiquissimum, hoc nempe A. 1167, illud A. 1101 scriptum. Est autem chirographum charta talis, in quam bis eadem scribebantur Acta, in medio, ubi dissecanda, literæ scriptæ erant unciales, sine sensu & ordine. Secata igitur charta, secabantur & literæ ex quarum inter se consensu *αὐθεντία* cognoscebatur Chirographi, quod scytalæ adeo speciem quandam præbebat. Eidem chirographo appensum observat sigillum, quod, cum exhibeatur hic inter Angliæ Regem & Flandriæ Comitem conventio, Normannico more factum conjicit, cum in Flandris,

p. 815.

617, 618, 622.

657, 659, 749.

762.



dris, qui imprimebant adhuc sigilla, mos appendendi eadem nondum obtinuerit. Temporis successu indentata obtinebant chirographa cum & sine literis majusculis. Ad p. 531 elegantissimum Alphonsi Castellæ Regis repræsentatur Diploma ex illis, quæ *Privilleios Rodados* vocant Hispani. Rota scilicet sigillum dicitur, in cujus medio crux & arma Regis comparent, circumcluduntur hæc circulis duobus, quorum primus nomen Regis, extremus Alferizi & majoris domus continet nomina. Papebrochium denique, qui annos incarnationis Dominicæ non ante Eugenium IV in rescriptis Pontificum genuinis comparere dixerat, per tres hujusmodi rescriptorum tabulas convincit, quorum antiquissimum scriptum est A. 1130.

*TRACTATUS HISTORICO-CHRONOLOGICUS de Patriarchis Alexandrinis; accessit Appendix de initiis, erroribus & institutis Copto-Jacobiticis;*  
*Autore JOHANNES BAPTISTA SOL-  
 LERIO, S. J.*

Antverpiæ, apud viduam Petri Jacobs, 1708, fol.  
 Alph. 2.

**P**Apebrochiana Chronologia calcar addidit Cl. Autori, idem in Alexandrinis, quod Papebrochins in Hierosolymitanis, Patriarchis præstandi. Totam enim seriem Patriarcharum Alexandrinorum ex Kirchero, Elmacino, Vanslebioque contexuit, confirmante eandem P. du Bernat in Catalogo MS. ex Ægypto misso, qui ex Coptica S. Cyrilli Liturgia descriptus est. Subjunxit in Præfatione statim Copticæ Literaturæ specimen, Chronologiam nempe P. du Bernat, solis nominibus Patriarcharum & temporibus sedis eorum expressis, a S. Marco Evangelista primo Patriarcha Alexandrino ad Johannem CIII Patriarcham. Addidit Schema parallelum Calendarii Ægyptio-Romani, cujus primus dies primi mensis Thoth coincidit cum nostro 29 mensis Augusti, primus dies mensis Babacum cum 28 mensis Septembris, primus dies mensis Hathur cum 28 mensis Octobris, primus Chiacis cum 27 Novembris, primus Tubæ cum 27 Decembris, primus Amschiri cum 26 Januarii, primus Bermahæ cum 25 Februarii, primus Bermudis



mudis cum 27 Martii, primus Bascnes cum 26 Aprilis, primus Bunæ cum 29 Maji, primus Abib cum 25 Junii, primus Musre cum 25 Julii, & primus Epagomeni cum 24 Augusti. Suam postmodum apponit Autor Chronologiam Patriarcharum Alexandrinorum, adjectis annis obitus eorum usque ad A. Christi 1363 & 84. Patriarcharum, nomina autem reliquorum usque ad Johannem XVI continuat. Postea dissertatio ipsa sequitur, cujus capita Patriarcharum vitas cum Parergis quibusdam historicis continent. Ac ut ex illorum numero primi & ultimi Patriarchæ res breviter recensamus, tali methodo in vita S. Marci Evangelistæ describenda procedit. Conqueritur de incerta ætate martyrii S. Marci, cum nullus, imo neque Henschenius in Actis Sanctorum, accurate annum obitus ejus expresserit, sed alii cum Ecchellensi in Chronico anno XIV Neronis h. e. A. C. 68, alii cum Eusebio, Hieronymo, Beda, Baronio aliisque recentioribus alio Marcum obiisse anno dicant. Hoc etiam modo dissentire dicit Autores in designando anno adventus ejus in Alexandriam: alii namque ex Menologio Basilii Imperatoris Porphyrogenitæ Tiberio imperante, Chronico Alexandrinum anno III Caji Caligulæ, alii cum Eusebio & Hieronymo anno II & III, alii IV anno Claudii ex Monumentis Copticis P. Bonjour, alii cum Eutychio nono Claudii advenisse ajunt, alii cum Chronico Ecchellensis ad tempora Neronis adventum ejus in Alexandriam differunt. At Cl. Autor, Marcum censet jam a Petro triennii spatio institutam proximas Ægypto regiones peragrasse annis Christi XXXVII, XXXVIII & XXXIX, donec anno XL Alexandriam progressus sit imperante Cajo Caligula, quam sententiam primo autoritate Eusebii, Hieronymi & Chronici Alexandrini, deinde his conjecturis stabilire nititur: 1 quia verisimile non sit, Regiones Palæstinæ adeo propinquas tamdiu Evangelii luce privatas esse, consentientibus omnibus, Marcum primum fuisse, qui illud ibi annunciaverit; 2 quia si Philo de Christianis sub nomine Therapevtarum egit, & ætatis jam provectæ fuit, cum sub Cajo Caligula circa annum XL pro suis Judæis Romæ legationem obiret, res Christianorum haud perspectas habere potuerit, qui tam fero innotuerit; 3 quia communis persuasio ferat, in orbis divisione inter Apostolos & Discipulos Marco Ægyptum contigisse,



quæ partitio ad annum 49, nedum ulterius, differri haud possit. Obitum S. Marci refert ad diem Dominicam XXIV Aprilis A. C. 62, non ad Festum Paschale, aut Serapidis; nam cum in antiquioribus scriptis legeretur, Beatissimum Evangelistam magnæ alicujus celebritatis tempore interfectum esse, imperitiorem quendam id continuo de solemnitate Christiana Paschali interpretatum, Acta interpolasse conjectat, quem posteri, re non examinata, bona fide secuti transcripserint. De ultimo Patriarcha Johanne XVI nihil refert, nisi quod ex Toukhi oriundus fuerit, Matthæi tertii centesimi Patriarchæ popularis, quodque tali sumptu & apparatu Chrisma fecerit, quale Ægyptus non viderit a ducentis & amplius annis. Subnectit Appendicem ad seriem Patriarcharum de Coptis Jacobitis, eorumque initiis, erroribus, moribus & institutis. §. 1 de etymo nominis Cæptus & Coptita agit, ubi sententiam Kircheri, Scaligeri, Morini & Bernati examinat, differentiamque Jacobitarum & Melchitarum ostendit. §. 2 prolixius de Jacobi & Jacobitarum obscuris initiis edisserit, & quo tempore Jacobus ille vixerit, unde Dioscoritani nomen acceperunt, deinde quando demum Jacobitarum & Melchitarum appellatio cœperit invalescere, inquit. §. 3 quæstionem pertractat, an ex Anastasio Sinaita contra Acephalos scribente ostendi possit, Jacobum & Jacobitas citius innotuisse, quam sententiam ex Præfatione Morini ad Ritus ordinationis Jacobiticum comprobat, scil. quod vel circa finem seculi VI vel initium VII innotuerit Jacobus Zanzalus ejusque asseclæ Jacobitæ. §. 4 de Jacobi & Jacobitarum apud Coptos hæresi refert; ubi Eutychnismum eorum ex Nicephoro Callisto adduxit, sed Nicephorum ex suo potius genio quam rei veritate historiam eorum adferre dicit: de signo quoque crucis uno digito formato apud Jacobitas, deque Monophysitarum & Corruptibilium dogmatibus agit & hodiernos Coptos Catholicos videri docet. §. 5 alios Jacobitarum errores pertractat, differentiamque eorum ostendit inter Asiaticos sive Orientales, quos inter Armeni numerandi, Ægyptios item & Habessinios lingua, moribus, disciplina, quin & dogmatibus inter se dissentientes. §. 6 continet tres Sectiones: prima, de Patriarcha, ejusque dignitate, de Presbyteris, Diaconis, Monachis, Mebacheris seu Nobilibus, & plebe conscripta est; secunda Coptorum errores,



ritus & placita refert ex Sacchino aliisque, e. gr. quod prohibeant polygamiam, de circumcissione Baptismo præmissa, de receptione trium tantum Conciliorum, Ephesini, Constantinopolitani & Nicæni, de Imaginibus, de Purgatorio; tertia de Coptorum Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctione, Ordine & Matrimonio, item de Jejniis agit.

Ceterum hac occasione Benevolo Lectori indicandum putamus, longe prolixiori filo Historiam Ecclesiæ Alexandrinæ ex Patribus, Historicis, Saracenicis & Turcicis, itemque MSS. Copticis a prima ejus fundatione ad nostram usque ætatem deduxisse, preloque parasse Virum Cl. *Davidem Wilkins*, Borussum, qui opus in Anglia, cui plurima se debere profitetur, imprimendum curabit.

### ANIMADVERSIÒ AD EMENDATIONEM

*Augustini Carrelianam, supra M. Sept. p. 420 sqq.  
propositam, scripta a C. A. H.*

**L**ocus Augustini, quem Dn. Carrelius (si quidem hoc verum Autoris nomen est,) emendandum suscepit, Lib. VII *de Civ. Dei* cap. 30 integer ita in editione Basil. 1569 (hac enim jam utor,) legitur: *Hæc autem* (subaudi, quæ capite proximo commemoravi,) *facit atque agit unus verus Deus. Sed sicut idem Deus ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes scissilis, ex nulla parte mutabilis, implens cælum & terram præsentem potentia, non absente natura.* Mendum inesse hujus sermonis initio, vel inde patet, quod nil adsit, quo *ut sicut* referri possit. Sed emendatio facilis est, nec quicquam tamen mutari opus. Falsa enim est interpunctio a librariis adhibita, & præterea duæ voces in unam conjunctæ. Lege igitur hunc in modum: *Hæc autem facit atque agit unus verus Deus, sed sicut idem Deus, ubique totus, nullis inclusus locis, cetera.* Rejecerat antea gentilium de pluribus diis errorem, quorum alium alio fungi munere credebant. Isti errori opponit doctrinam Christianam: *Hæc*, inquit, *facit atque agit UNUS* verus Deus, sed sic ut (id est, tanquam) *idem Deus*, (contra quam gentiles statuebant, multitudinem deorum invehentes, & singulis suas partes agendas tribuentes, ut aliud agat



Jupiter, aliud Neptunus, &c. quem errorem præcedenti *cap.* refellit, ) *ubique totus.* Nam & is error gentilium erat, ut diversis mundi partibus Deos præficerent diversos, quem idem noster confutat supra lib. IV *cap.* 10 *de Civ. Dei.* Sed missis his, quæ occasione ita ferente simul emendare volui, Dn. Carrelius extrema tantum verba critico perstringit oculo : *Implens cælum & terram præsentem potentia, non absente natura.* Probat igitur testimonio Ludovici Vivis & monachorum Benedictinorum p. 420, in MSS. plerisque omnibus legi *non indigente* pro *non absente.* Sed recte, illud *non indigente* frigidum esse, pronunciat p. 422. Nec negaverim, male repositum esse in impressis codicibus *non absente*: quippe cum hoc a scriptura vocis *indigente* nimis longe recedat. Est enim lex emendandi Criticorum omnium calculo firma, quam Jo. Clericus *Artis Criticæ P. III sect. 1 cap. 16 §. 24 p. 373* proponit : *Ne ulla emendatio a lectione veterum codicum nimium recedito.* Ac sane τὸ *non ingente* Dn. Carrelii propius accedit ad lectionem antiquorum codicum. Nec tamen Carreliana isthæc lectio potest admitti. Primum enim videtur Augustinus participio usus, cum scripsit *præsentem*, non *præsenti.* Unde τὸ *ingente* locum habere nequit. Deinde *ingenti* dicturus fuisse videtur, non *ingente.* Etsi enim utrumque recte dicitur, prius tamen usu receptum est magis : nec vereor, ne contrarium probari possit ex stylo Augustini. Tertio (nam priora duo per se infirmiora esse videntur, ) incommode admodum dictum esset *ingente natura*, cum potius dicendum *ingenti mole* fuisset. Magnitudinem enim & *ingentiam* (liceat hoc vocabulo uti, ) *naturæ* Deo haudquaquam denegat Augustinus, quippe quam & alias passim fatetur, & extollit Vir Θεόπνευστος, David in Psalmo 145 (al. 144) v. 3 his verbis : *MAGNUS Dominus & laudabilis nimis : & MAGNITUDINIS ejus non est finis.* Quod si Dn. Carrelius contendat, per *ingentem naturam* ab Augustino intelligi *magnitudinem & extensionem corpoream*, dubito, an unquam quisquam illis verbis hoc sensu sit usus. Neque vero fingi temere debet ἀνεργλογία. Quod autem Dn. Carrelius metuit, ne a Metaphysicis, verba Augustini in suum scholæ sensum detorquentibus, profecta sit lectio *non indigente & non absente*, falsum esse illum metum puto,



cum potius Scholastici formulas suas loquendi, quibus in describenda Dei omnipræsentia utuntur, ab Augustino sint mutuati. Id quod paulo post apparebit ex aliis Augustini locis: hic unum afferam ex ejus *libro de immortalitate anime*. Quod enim Scholastici tradiderunt, animam hominis totam esse in toto corpore, & totam in qualibet corporis parte, id Augustinus quoque ipse libri laudati *capite 16* ita effert: *Anima non modo uniuersæ molis corporis sui, sed etiam unicuique particule illius tota simul adest.* Et paulo post: *Tota igitur (anima) singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis.* Nec alia est Augustini sententia in locis p. 421 a Dn. Carrelio adductis: quippe in quibus tantum *tumorem magnitudinis localis* negat, ut loquitur citato cap. 16. Ceterum ad loca, quæ Dn. Carrelius p. 421 affert, annoto, primum locum perperam esse allegatum. Neque enim habetur *lib. IV de Civ. Dei cap. 10*, sed *lib. X cap. 4*. Deinde non legitur *huic*, sed *hujus*, scilicet Dei. Porro is ipse locus medicina opus videtur habere, ut pro: *Hujus templum simul omnes, & singuli templa sumus, quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur*; sic legatur: *Hujus templum simul omnes, & singuli templa sumus, quia & omnium corda & singulorum inhabitare dignatur.* Ita enim posteriora prioribus concinne respondent. Alter locus ex epistola ad Dioscorum, quæ in editione Erasmi Operum Augustini Tomo II est quinquagesima sexta, a Dn. Carrelio allegatur mutilatus. Non enim scribit Augustinus, *Deum non diffundi per locos*, quæ verba affert Dn. Carrelius, sed, *Deum non distendi aut diffundi per locos neque finitos neque infinitos, quasi in aliqua parte major sit, in aliqua minor, sed totum ubique esse præsentem.* Quæ limitatio & explicatio cum a mente Dn. Carrelii esset aliena, eam prætermisit: quod ei, qui Augustini mentem declarare, non suam illi affingere cupit, faciendum neutiquam fuit. In epistola enim proxime sequenti ad Dardanum hæc exstat Augustini Confessio p. 274: *Est ergo Deus per cuncta diffusus. Ipse quippe ait per Prophetam: Cælum & terram ego impleo.* En ipsum illud Prophetæ dictum, quod & in loco controverso adduxit Augustinus. Ex quo simul manifestum est, tertio loco, quem pag. 421 Dn. Carrelius ex lib. VII Confess. cap. 1 profert, itidem



non negari simpliciter, *Deum diffundi per mundum*, (quippe quod disertis verbis jam factus est Augustinus,) sed, *Deum diffundi per mundum modo corporeo*, ex. gr. eo modo, quo æther vel aer. Nam ita suam ipse mentem elucidat Augustinus in dicta ad Dioscorum epistola p. m. 263, ut & p. 264: ubi post verba modo a me allata, meminit Anaximenis, qui *aerem infinitum Deum esse senserit. Aer enim (ita pergit) corpus est.* Quæ cum ita sint, falsissime concludit p. 422 D. Carrelius, *Augustinum non admittere præter præsentiam potentie, præsentiam aliquam simultaneitatis vel coextensionis spiritualis Dei substantie cum substantiis corporalibus.* Omnino enim Augustinus hanc admittit, modum tantum corporeum negans, ut jam demonstravi, & demonstrabo pluribus ex libro Augustini, quem de hoc ipso argumento, nempe *de præsentia Dei* scriptum reliquit. Est autem hic liber ad Dardanum quendam (uti libri contra Academicos ad Romanianum, & liber de beata vita ad Theodorum,) scriptus: id quod errorum locum fecit, ut jam non inter libros, sed inter epistolas Augustini insertus deprehendatur. Existat enim sub titulo epistolæ LVII edit. Erasmi. Esse autem verum librum, non epistolam, lucide apparet ex Augustini libro II *Retract. cap. 49*, ubi hujus sui libri *de præsentia Dei* recensionem facit, ac plus semel *librum* diserte appellat. Ex illo itaque libro en sequentia. Pag. 273 scribit ita: *Christus ubique est, per id quod Deus est, in cælo autem per id, quod homo. Quanquam & in eo ipso, quod dicitur Deus ubique diffusus, (notes velim, Dn. Carreli,) carnali resistendum est cogitationi, & mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto. Ibidem p. 274: Deus est substantialiter ubique diffusus. - - - Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus: sed in solo cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo & in terra totus solus, & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus. Ibidem: Fatendum est, ubique esse Deum per divinitatis præsentiam. Pag. 275: Ideo ubique esse (Deus) dicitur, quia*



quia nulli parti rerum absens est: ideo totus, quia - - - non solum universitati creaturae, verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. Ibidem: Ubique est (subaudi, Deus,) quia nusquam est absens. Si quis forte dicat, Augustinum non consentanea, sed ἀσύστατα loqui, is & argumenti cogitet sublimitatem, & hæc perpendat Augustini verba ex lib. V de Trinit. cap. 9: *Dictum hoc est, non ut aliquid diceretur, sed ne taceretur.* Cui affinia sunt, quæ in laudata epistola ad Dioscorum p. 264 scribit: *Sapientia divina (id est, substantia Dei) non incongrue dicitur infinita, non per spatia locorum, sed per potentiam, quæ NB. cogitatione humana comprehendi non potest.* Sed addam pauca quædam alia Augustini dicta ex aliis ejus libris, unde mens ejus vel saltem formulæ loquendi cognoscantur. Is igitur *Confess. lib. V c. 2* inquit: *Ubique es, Deus, quem nullus circumscribit locus, & solus es presens, etiam iis, qui (cave legas quæ) longe sunt a te, hoc est, qui abs te desciscunt ad prava.* Idem *Soliloquiorum lib. I cap. 1*: *Deus, supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil est.* Porro *lib. XVI de Civ. Dei cap. 5*: *Non loco movetur Deus, qui semper ubique est totus.* Denique *lib. de quantitate animæ cap. 34*: *Deo nihil est secretius, nihil presentius.* Ex his omnibus patet Sole clarius, Augustinum non negare magnitudinem & extensionem divinæ naturæ, sed duntaxat remotum velle conceptum corporeum: id quod proinde dicendum etiam est de locis Augustini & Bernardi, quorum illum Dn. Carrelius pag. 422 sub finem, hunc pag. 423 producit. Ceterum quam ibidem p. 422 affingit Augustino sententiam, & ipse adstruit, quod scilicet *Deus impleat cælum & terram non nisi presentia & plenitudine potentie,* eam vereor ut probent Theologi orthodoxi. Immo memini, Theologum quendam notare hunc errorem & damnare in alio quodam Augustino, nempe in Augustino Steucho Eugubino, qui in *Commentario suo ad Psalmum 138* scripserat, *presentiam, qua Deus ubique esse dicitur, non substantiæ esse, sed potentie, tanquam radiorum, tanquam lucis ab eo manantis omniaque implentis.* Cum igitur ob hæcenus dicta, lectio Dn. Carrelii non ingente in controverso Augustini dicto minime locum inveniat, & vulgata etiam lectio non absente a MSS. codicibus nimis recedat: superest, ut



ut aliam meliorem certiolemque circumspiciamus. Lego autem ita: *Implens cœlum & terram, presente potentia, non distante natura.* Primo enim *non distante* facile mutari potuit in *non indigente.* Deinde hæc lectio cum mente Augustini, hætenus copiose declarata, amice conspirat: id quod evidentius est, quam ut pluribus comprobari debeat. Tertio Augustinus etiam alias in hoc argumento verbo *distandi* libenter usus est, Nam libro *de presentia Dei* supra citato p. 273 scribit: *Nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, quoniam sua quæque spatia locorum tenent, cetera.* Iterum p. 274: *Non enim corpora sunt, (loquitur de tribus personis divinitatis,) quorum amplior sit in tribus, quam in singulis magnitudo, nec loca suis molibus tenent, ut distantibus spatiis simul esse non possint.* Rursus pag. 284: *Deum ubique presentem, & non spatiis distantibus quasi aliqua mole vel distensione diffusum, sed ubique totum cogitare debemus.* Cum vero supra dixerim, esse debere participium in *presente & distante*, hinc verborum Augustini, ita ut a me emendata sunt, iste sensus est: *Implens (Deus) cœlum & terram, (ut scriptum est Jerem. XXIII, 24,) ita, ut & potentia ejus ubique presens sit, nec ipsa natura ejus ab ulla re distans, sed ubique tota.* Ex quo etiam apparet, vulgarem lectionem *non absente*, quod ad sensum attinet, convenire cum mea lectione *non distante*: adeoque dum pro illa Coquæus in *notis ad b. l.* strenue pugnavit, mentem certe Augustini justissime defendit, licet in verbo aberraverit. Concludam ejusdem sententiæ dicto Augustini *lib. XI de Civ. Dei cap. 5*: *Substantiam Dei saniores Philosophi nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur, incorporea presentia ubique totam esse.* Quæ ceteroquin Dn. Carrelus de conjecturis criticis, quæ sine adminiculo MSSorum sunt, adversus Martianum disputat, facile probo: sed quod ex Augustino facere conatur Cartesianum, in eo ipsum magnopere falli, ex superioribus liquidissime constat. Atque adeo mirum est, Dn. Carrelum imprudenter Augustini sententiam, quam supra ex suis locis protraxi, ferme totidem verbis pag. 425 referre, ac pro errore, a quo immunis fuerit Augustinus, refutare.



*P. OVIDII NASONIS VITA ORDINE CHRONOLOGICO sic delineata, ut Poeta Fata & Opera veris assignentur annis, &c. studio JOANNIS MASSON, A. M.  
& E. A. P.*

Amstelodami, apud Viduam Jo. Jansonii a Waesberge, 1708, 8.

Plag. 17.


**N**on exiguam lectioni veterum Scriptorum lucem affundunt, qui eorum annales condunt, & quo tempore, quo ordine, quave occasione singula ingenii monimenta ediderint, perspicue ob oculos ponunt. Hanc operam ut olim Horatio, & nuper Plinio, ita præsentī commentatione Ovidio etiam navavit Cl. Jo. Masson. Nam ab ipso nativitatē anno, qui in annum ante Christum natum 43, V. C. 711, C. Vibium Pansam & A. Hirtium Coss. incidit, exorsus, sequentes usque ad emortualem, qui cum A. Chr. 17, V. C. 770, C. Cæcilio Rufo & L. Pomponio Flacco Coss. conjungitur, percurrit, & quæ ad singulos vel ipsa Nasonis poemata, vel alia scripta coæva memoratu digna suppeditant, magna industria congeffit.

Ut autem pauca, velut exempli loco, excerpamus, p. 88 refutat sententiam ab Aldo Manutio primum propositam & novissime a P. Bælio repetitam, qua Ovidius Caussidicus fuisse traditur. Locum enim Trist. L. II v. 93, ex quo vulgo illud exsculpunt, de centumvirali judicio, cui ille adscriptus fuit, explicat. Pagina 137 sqq. ad annum U. C. 742, Ovidii 51 & 52, fuscè imprimis notissimam illam relegationis Tomitanæ historiam persequitur, & dum in alteram ejus causam, ab ipso Poeta occultatam, inquirat, post rejectas aliorum conjecturas, p. 159 hanc verisimillimam judicat, crimen illud fuisse Juliae Augusti neptis, cujus Ovidius fuerit quidem reus factus, at quod sibi modo visum, & a comitibus suis commissum, suadere conatur. Id vel ex eo confirmat, quod eodem anno Augustus Juliam adulterii damnatam in insulam Trimerum deportavit. Quæ tandem de sepulchro & ossibus Ovidii, A. 1508 Sabariæ in Austriæ oppido repertis, Gaspar Bruschius ex eoque alii tradunt, ad fabulas refert ex mala fraude natas. Quin ipsam Hieronymi narrationem, qui illum juxta oppidum Tomos



sepultum fuisse, scribit, suspectam habet, cum Poeta Trist. L. I El. 3 v. 61. 77 ossa sua Romam transferri, & in suburbio condi iusserit.

*ANALYSIS DIFFERENTIALIS CIRCA MAXIMI & MINIMI DETERMINATIONEM & METHODUS A CLAR. OZANAM, MATHEMATUM PROFESSORE, EORUNDUM INVESTIGATIONI ADBIBITA, A FERDINANDO ERNESTO COMITE AB HERBERSTEIN INTER SE COLLATA.*



**C**alculum differentialem amplissimi in re Geometrica usus esse is ignoret, cui acutissimorum Geometrarum lucubrationes sunt ignotæ. Sane tot vinculorum myriadibus illustris hujus calculi Autor gratam posteritatem sibi devinxit, quot absolutissimi hujus inventi subsidio veritatum Antecessoribus nostris inaccessibleium detegentur myriades. Utinam porro hoc ipsum inventum paucorum exemplo animati Naturæ phænomenis eruendis ceteri adhi-



adhiberent, ut hoc pacto jejuna circa res Physicas philosophandi ratione e scholis profligata, Philosophi ibi, ubi eos objecti dignitas ad rei ipsius solidam contemplationem allicit, sterilibus controversiis valere jussis, aliquando tandem, non sine insigni Reipublicæ literariæ emolumento, verbales esse desinant. Verum ne a scopo meo longius digrediar, ex collatione calculi, quo D. Ozanam maxima & minima determinat, cum Analyfi differentiali, quanto compendio hæc circa eorundem investigationem versetur, in præsens ostendendum. Esto igitur speciminis loco Problema a laudato Mathematicum Professore Dictionario Mathematico pag. 18 insertum.

Datum sit Rectangulum ABCD. oportet per punctum C. anguli Recti BCD. agere Rectam EF. lateribus AB, AD. continuatis in E. & F. ita occurentem, ut summa Quadratorum CE, CF, sit omnium possibilium minima.

Ut sibi ad Problematis hujus Analyfin viam sternat, supponit summam quadratorum CE. CF æquari quadrato datæ rectæ AI, positisque  $BC = a$ ,  $cd = b$ ,  $AG = c$ ,  $BE = x$ ,  $DF = ab : x$ , concludit :  $x^2 + a^2 + (a^2b^2 : x^2) + b^2 = c^2$ , seu  $x^4 + a^2x^2 + b^2x^2 - c^2x^2 - a^2b^2 = 0$ , hincque  $x^2 = \frac{1}{2}c^2 - \frac{1}{2}a^2 - \frac{1}{2}b^2 + \frac{1}{2}\sqrt{(c^4 - 2a^2b^2 - 2a^2c^2 - 2b^2c^2 + a^4 + b^4)}$ . Ex hac vero æquatione :  $c^4 - 2a^2c^2 - 2b^2c^2 - 2a^2b^2 + a^4 + b^4 = 0$ , eruit  $c = a + b$  atque adeo  $x = \sqrt{ab}$ . Potuisset autem omissis ambagibus ex prima statim æquatione calculi differentialis adminiculo deducere sequentes :  $4x^3dx + 2a^2xdx + 2b^2xdx - 2c^2xdx = 0$ , factaque divisione per  $2xdx$ ,  $2x^2 + a^2 + b^2 - c^2 = 0$ , hincque  $x^2 = (c^2 - a^2 - b^2) : 2$ . Unde posito  $c = a + b$ , erit  $x = \sqrt{ab}$ . Omnium autem brevissime res expediri potest, si summa quadratorum BE, DF quærat omnium possibilium minima. Hac enim determinata etiam summam quadratorum GE, CF minimam esse necesse est. Ponatur itaque  $(x^2 + a^2b^2) : x^2 = \text{min}$  : erit vi principiorum calculi differentialis  $(2x^2dx - 2a^2b^2dx) : x^4 = 0$ , &  $x^4 = a^2b^2$ , extractaq; radice  $x^2 = ab$ , adeoque  $x = \sqrt{ab}$ .







INDEX AUTORUM,  
quorum Libri aut Inventa hoc volumine  
recensentur.

*I. Libri Theologici & ad Historiam  
Ecclesiasticam spectantes.*

- A** Nonymi *Tractatus de Dispensationibus jejunii.* 514  
Aben Esra, *vide Raschius.*  
Aymon ( J. ) *Monimenta religionis Græcorum authentica.* 497  
Le Blanc *Examen LXX Hebdomadum Danielis, Voti Jephthæ &  
Decreti Apostolici Act. XV.* 214  
Boehmeri ( *Justi Henninii* ) *Observationes selectæ Ecclesiasticæ ad  
P. de Marca Diss. de Concordia Sacerdotii & Imperii.* 487  
Carrel *Emendatio loci cujusdam D. Augustini L. VII de Civ. Dei  
Cap. XXX.* 419  
Clerici ( *Joannis* ) *Commentarius in Libros Historicos V. T. cum  
nova versione & Dissertationibus Criticis.* 481  
Colomesii ( *Pauli* ) *Opera Theologici argumenti.* 520  
Crullii ( J. ) *Historia Judaica a creatione ad nostra tempora.* 204  
Dannhaueri ( *Jo. Conradi* ) *Christeidis Actus secundus.* 119  
Deylingii ( *Salomonis* ) *Observationum Sacrarum Pars prima.* 55  
Felicii ( *Antonii Francisci* ) *Appendix ad Acta SS. Crescii & Socio-  
rum Martyrum.* 99  
Fœrtschii ( *Michaelis* ) *Selectorum Theologorum Breviarium.* 114  
Goetzii ( *Georgii Heinrichi* ) *Elogia Germanorum quorundam Theo-  
logorum.* 138, 521  
Grandi ( *Guidonis* ) *Dissertationes Camaldulenses.* 49  
Du Guet *Tractatus de precibus publicis.* 212  
Gurtleri ( *Nicolai* ) *Origines Mundi.* 257  
C. A. H. *Animadversio ad emendationem Augustini Carrelianam.* 539  
S. Hildeberti *Opera, studio Antonii Beaugendre.* 145  
Itti-



INDEX AUT I M.

- Ittigii ( *Thomæ* ) *Historiæ Eccl. pr. N. Seculi selecta capita.*  
385, 473.
- Kortholti ( *Christiani* ) *Disquisitiones Anti-Baroniane, &c.* 306
- Laderchii ( *Jacobi* ) *Acta Passionis SS. Crescii & Sociorum Mar-  
tyrum asserta & illustrata.* 97
- Marbodi *Opuscula studio Antonii Beaugendre.* 145
- Musig ( *Martini* ) *Lumen sapientiæ in præcipuis veræ Eruditionis  
partibus obvium, ad cognoscendas res divinas & hu-  
manas. Tomus I.* 429
- De Marca ( *Petri* ) *Dissertationes de Concordia Sacerdotii & Impe-  
rii, nec non Ecclesiasticæ varii argumenti.* 487
- Naudæi ( *Philippi* ) *suprema Dei perfectio in ejus attributis, con-  
tra P. Bælium defensa.* 10  
*Syllabus objectionum contra tractatum de suprema Dei  
perfectioe factarum, cum Responsionibus.* 307
- Neumanni ( *Casparis* ) *judicium de pueris in Silesia publice precan-  
tibus denuo confirmatum.* 180
- Opitii ( *Josæ Heinrichi* ) *Disquisitio de candelabri Mosaici admira-  
bili structura.* 31
- De Pace ( *Zephyrini* ) *necessaria restauratio Ecclesiæ primitivæ  
Christianæ.* 304
- De la Placette ( *Johannis* ) *Meditationes Christianæ de variis re-  
bus.* 40  
*Responsio ad Objectiones circa Originem mali & myste-  
rium Trinitatis.* 63
- Raphelii ( *Georgii* ) *Annotationes Philologicæ in N. T. e Xeno-  
phonte collectæ.* 209
- Raschbamus *vid. Raschius.*
- Raschii, Raschbami & *AbenEsra Commentarii in Pentateuchum.*  
495
- Rechenberg ( *Adami* ) *Fundamenta veræ religionis Prudentum.*  
87
- Reland ( *Hadriani* ) *Antiquitates Sacræ veterum Hebræorum.* 206
- Rondinini ( *Philippi* ) *de SS. Martyribus, Joanne & Paulo, moni-  
menta.* 377







## INDEX AUTORUM.

Zollii (Hermanni) Discursus de exceptione non numerata pecunie. 379

### III. Libri Medici & Physici.

- A** Nonymi de indecoro Virorum obstetricandi officio & de obligatione matrum lactandi infantes proprios. 128  
 Miscellanea curiosa. Volumen III. 356  
 Phenomenon cæli singulare Moscua observatum. 369
- Andalæ (Ruarti) Exercitationes in Philosophiam primam & naturalem. 132
- Bergeri (Jo. Gothofredi) Commentatio de Tbermis Carolinis. 457  
 De Billy Tractatus de Memoria. 73
- Conradi (Israelis) Cognitio sui ipsius problematica Philosophico-Medica. 312
- Dionis Cursus Operationum Chirurgicarum. 130
- Drake (Jacobi) Anthropologia, seu novum Anatomia Systema. 360
- De Fontenelle Historia Regia Scientiarum Academiæ anni 1707. 161
- Franci (Joannis) Herba Alleluja. 364
- Garmanni (Christ. Frid.) de Miraculis Mortuorum libri tres. 125
- Hartsoeker (Nicolai) Continuatio Conjecturarum Physicarum. 84
- Hanksbee Observationes e Transact. Angl. excerptæ. 237
- Hofmanni (Friderici) Dissertationum Physico-Medicarum Pars altera. 74
- Keill (Jacobi) Relatio de Sectione Joannis Bayles. 218  
 Consideratio Secretionum Animalium &c. 397
- Langii (Caroli Nicolai) Historia lapidum figuratorum Helvetiæ ejusque viciniae. 17
- Liger (Ludovici) Oeconomia ruralis generalis. 396
- Maubec Principia Physica rationis & passionum hominis. 285
- Mufgrave (Guilielmi) de Arthritide anomala sive interna Dissertatio. 177
- Mylii (Gottlieb Friderici) Memorabilium Saxonie subterraneæ Pars I. 171



## INDEX AUTORUM.

Paxton (Petri) <i>Manuductio Physico-Medica.</i>	461
Riedlini (Viti) <i>Curarum Medicarum Millenarius.</i>	315
Ruyschii (Friderici) <i>Thesaurus Anatomicus octavus.</i>	272
Schelhammeri (Guntheri Christophori) <i>Commentatio de Nitro.</i>	317
Scheuchzeri (Jo. Jacobi) <i>Piscium querelæ &amp; vindiciæ expositæ.</i>	23
<i>Itinera Alpina tria.</i>	77
(Joannis) <i>Agrostographiæ Helveticæ Prodrömus.</i>	79
De Vallemont <i>Curiositates Naturæ &amp; Artis de Vegetatione seu Agricultura &amp; Horticultura perfectæ.</i>	170
Villemot (Philippi) <i>novum Systema motus Planetarum.</i>	365
Weinewright (Jeremiæ) <i>Discursus Mechanicus circa res non naturales.</i>	222
Wolfi (Christiani) <i>Aerometriæ Elementa.</i>	24
<i>Experimenta de Coloribus.</i>	320

## IV. Libri Mathematici.

<i>Anonymi Nota &amp; Monitum ad Tyrönes Mathematicos in pagi- nam 628 tractatus, cui tit. Analyse démontrée.</i>	224
<i>Continuatio Moniti ad Tyrönes, &amp;c.</i>	322
Dougharty (Joannis) <i>Pithometra perfectus.</i>	137
De Fontenelle <i>Historia Regiæ Academiæ Scient. Anni 1707.</i>	161
Hanschii (Michaelis Gottlieb) <i>Epistola de Opere Kepleriano ἀνεκδότω, cui Hipparchi nomen.</i>	141
Heinrich (Christophori) <i>Altitudo Poli, sive latitudo Geographica Uratislaviæ.</i>	82
Comitis ab Herberstein (Ferdinandi Ernesti) <i>repetita Postula- tio, &amp;c.</i>	80
<i>Problema trigonometricum, &amp;c.</i>	179
<i>Incommensurabilitas lateris quadrati &amp; diagonalis.</i>	236
<i>Mathemata adversus umbratiles Petri Poireti impetus propugnata.</i>	239
<i>Ilias Constructionum Plano-Geometrica- rum</i>	



## INDEX AUTORUM.

<i>rum in Nucem Hartmannianam re-</i> <i>data.</i>	465
<i>Analysis differentialis circa maximi &amp;</i> <i>minimi determinationem.</i>	
Hermannus ( <i>Jacobus</i> ) <i>de nova Accelerationis lege, &amp;c.</i>	404
Mel ( <i>Conradi</i> ) <i>Pharus illustrans.</i>	281
De Moivre ( <i>Abrahami</i> ) <i>Resolutio Analytica Aequationum qua-</i> <i>rundam potestatis tertie, &amp;c.</i>	134
De Monmort ( <i>Raymundi</i> ) <i>Tentamen Analyseos ad Ludos appli-</i> <i>cate, quorum eventus a fortuna pendet.</i>	462
Reynau ( <i>Caroli</i> ) <i>Analysis demonstrata.</i>	274
Sturmii ( <i>Leonb. Christophori</i> ) <i>Verus Vaubanius in locum Pseu-</i> <i>do-Vaubanii succedens.</i>	235
Weinewright ( <i>Jeremie</i> ) <i>Discursus Mechanicus circa res non</i> <i>Naturales.</i>	222

## V. Libri Historici, Geographi- ci &c.

<i>Anonymi Dominium Temporale Sedis Apostolicæ in civitatem Co-</i> <i>macensem per decem Secula continuatum.</i>	194
<i>Observationes in Anonymi Dominium Temporale, &amp;c.</i>	195
<i>Miscellanea curiosa. Volumen III.</i>	356
<i>Phœnix, sive rariorum Scriptorum Volumen I &amp; II.</i>	102
<i>Novus Conspectus urbis Londinensis.</i>	109
<i>Integra Angliæ Historia. Volumina III.</i>	289
D' Audoul ( <i>Casparis</i> ) <i>Tractatus de juris Regaliæ origine.</i>	426
Becmanni ( <i>Jo. Christophori</i> ) <i>Secularia Sacra Academiæ Viadri-</i> <i>nae.</i>	154
<i>Notitia Universitatis Francofurtanæ.</i>	154
<i>Chronicon Francofurtanum Wolfgangi Jobsti auctum.</i>	154
<i>Catalogus Bibliothecæ Universitatis Francofurtanæ.</i>	155
Bingham ( <i>Josephi</i> ) <i>Origines Ecclesiasticæ.</i>	349



## INDEX AUTORUM.

Castellani ( Zacharia ) <i>Atlas Historicus. Tomi II.</i>	295
Catrou ( Francisci ) <i>Historia universalis Imperii Magni Mogolis, quod in India floret.</i>	65
Corneille ( Francisci Thome ) <i>Dictionarium Universale Historico-Geographicum.</i>	150
Crenii ( Thome ) <i>Animadversionum Philologicarum &amp; Historicarum Pars XVI.</i>	88
Crullii ( J. ) <i>Historia Judaica a creatione ad nostra tempora.</i>	204
Edwards ( Jo. ) <i>doctrina fidei &amp; justificationis dilucidata.</i>	353
De Fontanelle <i>Historia Restaurationis Academiae Scientiarum Regiae.</i>	158
<i>Academiae Regiae Scientiarum Anni 1707.</i>	161
Fontanini ( Justi ) <i>de Antiquitatibus Hortae, Coloniae Etruscorum, Libri II.</i>	1
Franck de Franckenstein ( Mich. Ad. ) <i>Syntagma de ortu &amp; progressu Comitum &amp; Baronum Woraczickiorum de Pabienictz.</i>	301
Franzenii ( Jo. Ern. ) <i>de Funeribus veterum Christianorum.</i>	328
Goezii ( Georgii Henrici ) <i>Elogia Germanorum quorundam Theologorum.</i>	138, 521
<i>Philologorum quorundam Hebraeorum.</i>	138
<i>Precocium quorundam Eruditorum aliorumque Virorum doctorum.</i>	139
Gramaye ( Jo. Baptiste ) <i>Antiquitates Belgicae.</i>	193
Gürtleri ( Nicolai ) <i>Origines Mundi.</i>	257
De Guyse ( Nicolai ) <i>Mons Hannoniae.</i>	193
Hanckii ( Martini ) <i>Elogium.</i>	331
Heineccii ( Jo. Mich. ) <i>de veteribus Germanorum aliarumque Nationum Sigillis eorumque usu &amp; praestantia Syntagma.</i>	442
Jobsti ( Wolfgangi ) <i>Chronicon urbis Francofurti ad Viadrum.</i>	154
Leuckfeldi ( Jo. Georgii ) <i>Relatio de Comitibus Blanckenburgensibus.</i>	137
Lilienthalii ( Michaelis ) <i>de Historia Litteraria certae cujusdam gentis scribenda Consultatio.</i>	518



## INDEX AUTORUM.

Haimb ( Jo. Heinrici ) <i>Schwarzenberga gloriosa.</i>	522
Lindani ( Davidis ) <i>Teneremonda.</i>	193
Livii <i>Historiarum quæ supersunt. Volumina VI.</i>	241
Massoni ( Joannis ) <i>Vita C. Plinii Secundi Junioris.</i>	372
<i>P. Ovidii Nasonis.</i>	
Mulleri ( Jo. Joachimi ) <i>Comitiorum S. R. I. Germanici status ab</i> <i>A. 1501 ad 1508.</i>	337
Philostratorum <i>quæ supersunt Opera.</i>	433
Du Pin ( Ludovici Elie ) <i>Bibliotheca Universalis historicorum.</i>	253
Placcii ( Vincentii ) <i>Theatrum Anonymorum &amp; Pseudonymorum.</i>	34
Rymer ( Thome ) <i>Fœdera, Conventiones, Literæ &amp; Acta publica</i> <i>Anglicana. Tomus I.</i>	529
Schramm ( Jo. Mauricii ) <i>de Vita &amp; Scriptis Julii Cas. Vanini.</i>	260
Tolandi ( Jo. ) <i>Adeisdemon, sive Titus Livius a superstitione vindicatus.</i>	248
<i>Origines Judaicæ.</i>	ib.
A Tschirnhaus ( Ehrenfridi Waltheri ) <i>Elogium.</i>	41
Vignolii ( Joannis ) <i>Epistola ad Ant. Gallandium de Numo Antonini Pii, Imp.</i>	467
Woltereck ( Christophori ) <i>Electa rei Nummarie.</i>	370

## *VI. Libri Philosophici & Philologici Miscellanei.*

<i>Anonymi Versio Eclogarum Virgilii cum Notis.</i>	330
<i>Tractatus de dispensationibus jejunii.</i>	514
<i>Errores Palliati Auctoris libelli, cui tit. Florum Spar- sio &amp;c.</i>	92
<i>Phœnix, sive rariorum Scriptorum Vol. I &amp; II.</i>	102
<i>de indecoro Virorum obstetricandi officio &amp; de obligatione matrum lactandi infantes proprios.</i>	128
Andalæ ( Ruarti ) <i>Exercitationes in Philosophiam primam &amp; na- turalem.</i>	132
De Billy <i>Tractatus de Memoria.</i>	73



## INDEX AUTORUM.

<i>Colomesii ( Pauli ) Opera Theologici , Critici &amp; Historici argu- menti.</i>	520
<i>Conradi ( Israelis ) Cognitio sui ipsius.</i>	313
<i>Francenii ( Jo. Ernesti ) de Funeribus veterum Christianorum.</i>	328
<i>Garmatini ( Christ. Frid. ) de Miraculis Mortuorum Libri tres.</i>	125
<i>Gautier ( H. ) Nova Ratio in charta pingendi.</i>	72
<i>Gerhardi ( Ephraimi ) Delineatio Philosophiæ rationalis eclecti- cæ &amp;c.</i>	309
<i>Gravinæ ( Vincentii ) de ratione Poetica Libri duo.</i>	504
<i>Heineccii ( Jo. Michaelis ) de veteribus Germanorum aliarumque Nationum Sigillis , eorumque usu &amp; præstantia Syn- tagma.</i>	442
<i>Hofmanni ( Godofredi ) Dissertatio de Lectionibus &amp; methodo do- cendi in Gymnasio Zittaviensi.</i>	523
<i>Ludewig ( Jo. Petri ) Introductio ad Rem Monetariam Germano- rum mediæ ævi.</i>	344
<i>Mufig ( Martini ) Lumen sapientiæ in præcipuis vere eruditionis partibus obvium.</i>	429
<i>Nurræ ( Jo. Pauli ) de varia lectione Adagii Βάμμα Σαρδινιακόν, Tinctura Sardiniana, Dissertatio.</i>	185
<i>Olearii ( Gottfridi ) Note in Philostratorum Opera.</i>	433
<i>Philostratorum quæ supersunt Opera.</i>	433
<i>De Piles Cursus Artis Pictoriæ per principia explicatæ.</i>	70
<i>Relandi ( Hadriani ) de Numis veterum Hebræorum Samaritanis Dissertationes quinque.</i>	417
<i>Tolandi ( Jo. ) Adeisidæmon, sive Titus Livius a superstitione vin- dicatus.</i>	248
<i>Vignolii ( Joannis ) Epistola ad Ant. Gallandium de Numo Anto- nini Pii, Imp.</i>	467
<i>Voigti ( Gothofredi ) Thysiasteriologia, sive de altaribus veterum Christianorum.</i>	184
<i>Woltereck ( Christophori ) Electa rei Nummaria.</i>	370





# INDEX RERUM NOTABILIORUM

in hoc Volumine obviarum.

<b>A</b> Bissini Reges quibus sigillis utantur? 446	Adamantinæ mineræ descriptæ. 358
Abrahami fides quæ? 258	Adoptio num dignitatem & or- dinem imminuat? 373
Academiæ Regiæ scientiarum Paris. Socii extranei salariis carent. 43 seq.	Adventus Christi ad iudicium quando futurus? 354
ab A. 1666 ad 1696 in- venta publicanda. 94	Advocaturam in Consilio Auli- co Imperiali quis exercere possit? 124
historia anni 1707. 161	Ægyptus num ante Babelicæ turris structuram habitata? 259
instauratio solennis. 158. sq.	Æmia illustrata promissa. 379
Gallicanæ nova historia promissa. 95	Æquationum superiorum qua- rundam resolutio. 134
Rei nummarie & An- tiquitatum Parisiensis histo- ria promissa. 95	Æqui populi unde dicti? 3
Regiæ scientiarum & lin- guarum Arelatensis fata. 153	Aer intra sanguinem ut expan- datur? 404
humaniorum littera- rum Sueffionensis initia. 153	in ratione ponderum quando comprimatur? 29
ludorum floralium To- losanæ initia & fata. 153 seq.	sanguini permiscetur in pulmonibus. 84
Accisarum abusus tollendus. 124	ex sanguine per arte- rias pulmonales rursus egre- ditur. 85
Accretio quomodo fiat in corpo- re animali? 86	Aeris dilatatio ut metienda? 27
Acidularum origo. 459	compressio in vase sub- merso ut determinanda? 30
Acilius cur Salutem nummis im- presserit? 372	elater ut metiendus? 30
De Actis Juridicis præcepta. 123	gravitas quanta sui par-
Adamas omnis in tenebris lucet. 161	



# INDEX RERUM

<i>te minus possit?</i>	400	Altitudinem Poli observandi	
<i>salia volatilia nitrosa</i>		<i>methodus.</i>	82, 83
<i>seu ammoniacalia.</i>	85	Alvi obstructio sine doloribus le-	
<i>proprietates ac vires</i>		<i>thalis.</i>	316
<i>Geometrice demonstrata.</i>	26 sq.	Ameloti (Dionysii) Versio Gal-	
Aerem metiri quid sit?	25	<i>lica N. T. fraudis accusata.</i>	60
De Aere per poros ligni circu-		Anacreontis character.	507
<i>lante experimentum.</i>	28	Anagrammata in Fridericum	
Aerometriæ definitio.	25	<i>III Regem Borussiae composita.</i>	191
Æschyli character.	506	Analysis ad Physicam applicata.	
Æstus marini causa.	369	<i>utraq; fuse expli-</i>	26
Æthiopum mores.	360	<i>cata.</i>	275
Ætitis generatio.	21	<i>ad ludos fortune ap-</i>	
Agricultura perfecta.	170	<i>plicata.</i>	463 seq.
Agrorum fertilitas ut procu-		Anasarca unde?	317
<i>randa?</i>	397	<i>quomodo curata?</i>	317
Albedo munditiei symbolum.	58	Anastomosis vasorum an in	
Albertus M. quomodo plantas		<i>piscium caudis conspici possit?</i>	363
<i>hyeme produxerit?</i>	172	Anatomix systema novum.	360
De Alexandri VI Pont. libidine		Anemometri constructio.	28 seq.
<i>&amp; luxuria testimonium.</i>	344	Aneurisma aortæ.	162
Algorithmi differentialis mul-		Angelus quidam num reptili-	
<i>tiplicatio demonstrata.</i>	273	<i>bus prasit?</i>	393
Alimenta quenam optima?	516	Anima num spiritus?	313, 422
Alkove vox unde?	209	<i>num semper cogitet?</i>	285
Allelujæ herbe descriptio & u-		Animæ essentia num consistat in	
<i>sus.</i>	364	<i>cogitatione?</i>	285
Alphonfus VII Rex Arrag. Im-		<i>a corpore status quomo-</i>	
<i>peratoris titulum usurpat.</i>	531	<i>do exploretur?</i>	359
Altare contra altare erigere		Animarum regimen, seu pote-	
<i>quid?</i>	185	<i>stas spiritualis quid?</i>	494
De Altaribus veterum disserta-		<i>quotuplex?</i>	494
<i>tio.</i>	184 sqq.	Animalium docilitas unde?	73
Altitudo atmospheræ num certo		<i>per</i>	
<i>definiri possit?</i>	31		
<i>Poli Utratslavia.</i>	52		



## NOTABILIORUM.

<p>per hyemem mortuorum reviviscentia. 85</p> <p>in semine humano descriptio. 87</p> <p>generatio in semine unde? 87</p> <p>Anomalia vera ex media in Ellipsi directe quomodo invenienda? 279</p> <p>Anonymi detecti. 34. seq.</p> <p>Anthraxis per incisionem curatio. 132</p> <p>Antipathiae singularis exemplum. 315 seq.</p> <p>Antlia pneumatica data perfectionis quomodo construenda? 27</p> <p>Antonini Pii in acceptandis honoribus moderatio. 470</p> <p>De Antonini Pii numo disquisitio. 468 seq.</p> <p>Aortae induratio. 220</p> <p>Aphronitrum quid? 318</p> <p>Apostolicæ Constitutiones quæ inepta contineant? 396</p> <p>Aqua sulphureo-bituminosa Wallenbergensis. 78</p> <p>nimia circulationi sanguinis inimica. 85 seq.</p> <p>Aquæ natura. 76</p> <p>bonitatis criteria. 76</p> <p>marine colorum varietas. 356</p> <p>Aquæ salubres quæ? 76</p> <p>minerates modice hauriende. 403 seq.</p>	<p>Aquila signum faustum. 68</p> <p>Arabicæ linguae studium a Damio intra octiduum absolutum. 90</p> <p>Aranearum variae species. 162</p> <p>Arbor Dianæ ut parandus? 173</p> <p>Arbores ut transplantandæ? 170</p> <p>propagandi methodus nova. 172</p> <p>Arborum plantatio inversa. 171</p> <p>Arca foederis num figura Christi? 57</p> <p>Architectonica opera quomodo coloribus illuminanda? 72</p> <p>Areopagita vide Dionysius.</p> <p>Argenteis bullis quinam usi? 447</p> <p>Ariostus laudatus. 512</p> <p>Aristophanis character. 507</p> <p>Aristotelicæ Logicæ scopus. 310</p> <p>Armenicæ linguae Thesaurus promissus. 480</p> <p>Arndii (Caroli) novum Systema scientiæ literariæ promissum. 190</p> <p>Arnoldus (Gothofredus) notatus. 386. 475</p> <p>Arteria pulmonalis perperam in figura representata. 274</p> <p>hepatica in homine major quam in brutis. 362</p> <p>Arteriarum motus num sanguinis circulationem promoveat? 85</p> <p>Arthritis anq mala num sit lethalis? 177</p> <p>unde oriatur? 178</p> <p>940-</p>
---	--



INDEX RERUM

	<i>quomodo curanda?</i>	178	Azo Marcio quis?	202 seq.
Arthritidis e pedibus in pectus	<i>metathesis periculosa.</i>	317	<b>B</b> acchica sacra cur & a quo	<i>instituta?</i> 259
	<i>dolores tabis lethalis</i>		Bælius (Petrus) refutatus.	ii, 63
	<i>causa.</i>	315	Bælii (Petri) vita Anglice edita.	240
De Arthritide anomala tractatus.		177	Balneum inferiorum Urnensium.	78
Asciticus 25 vicibus paracenthesin abdominis admittens.		132	Balneorum effectus unde?	222 seq.
Assensus fundamenta.		355	Baluzius (Stephanus) de P. de	<i>Marca optime meritis.</i> 488
Athanasianum symbolum num Athanasii?		121	Βάμμα Σαρδινικόν adagium	<i>explicatum.</i> 186 ff.
Athei stultitia.		354	In Bannum Imperii quis & quomodo declarari possit?	124
Atomi impugnati.		133	Ad Baptismum num primis seculis adulti tantum admissi?	392
Atramenti color unde?		163	ברך vox Gen. I, 1 explicata.	56
Atrium in templo Hierosolymitano duplex.		206	Barnabæ Epistolæ auctoritas in dubium vocata.	388, 390 seq.
Atrophix lethalis causa.		316	Barometri & baroscopii differentia.	26
Auditus ossicula confusa.		273	Barometrorum in montibus usus.	78
Avellanitæ cur & Cælestini dicitur?		54	Baronius notatus.	6
Aventinus (Joannes) refutatus.		450	Baronii continuatores.	386
Augusti nomen quis primus superstitite patre gesserit?		371	epitomatores.	385
S. Augustinus emendatus.	420,		Baroscopiorum explicatio.	28
	540 seqq.		Barrovv (Isaaci) epitaphium.	112
	<i>num Cartesianus?</i>		Barthius (Caspar) notatus.	6
	424, 544		Balnagius refutatus.	474
Auris num inter membranam tympani & os orbiculare habeat aperturam?		273	S. Benedictus omnium Monachorum pater.	51
Auri vitrificatio explicata.		164		De
Auro quinam in diplomatibus usi?		446 seq.		



NOTABILIORUM.

<i>De Benferade (Isaaci) elogium &amp; obitus.</i>	152	<i>Bracteati numi A.1708 in vicinia Halensi effossi.</i>	345
<i>Bernoulli (Jacobi) singularis in Mathesin affectus.</i>	160	<i>Bracteatorum numerum origo.</i>	345
<i>S. Bibliorum Latinorum nova editio promissa.</i>	94	<i>forma &amp; materia.</i>	345
<i>versio Gallicana Sacii repudiata.</i>	95		seq.
<i>novus ordo chronologicus commendatus.</i>	102 seq.	<i>Brama Indorum legislator.</i>	67
<i>Hebraicorum nova editio promissa.</i>	190	<i>Pythagoræ comparatus.</i>	67
<i>In S. Bibliis lacuna assertæ.</i>	482	<i>Braminum dogmata.</i>	358 seq.
<i>Bibliothecæ Cottonianæ fata.</i>	113	<i>Brandenburgicorum numerum historia promissa.</i>	348
<i>Collegii Sionensis Londini fata.</i>	113	<i>Brasiliensis ligni tincturæ color ademptus ut restituatur?</i>	322
<i>Œctorum, Medicorum &amp; Chirurgorum Lond. fata.</i>	113	<i>Braunius (Joannes) refutatus.</i>	116
<i>Societatis Regiæ Angl. fata.</i>	113	<i>Bredanæ Antiquitates.</i>	194
<i>Bidloo notatus.</i>	363	<i>De Bresler (Ferd. Lud.) laudatus.</i>	301.
<i>Bignonii (Hieronymi) humilitas singularis.</i>	213	<i>Britanni num a Bruto dicti?</i>	291
<i>Bilanx pictorum.</i>	72	<i>Brochmandus notatus.</i>	390
<i>Billius castigatus.</i>	394	<i>Brunsuicensis &amp; Estensis familiæ cognatio explicata.</i>	202 seq.
<i>Blanckenburgensium Comitum historia.</i>	138	<i>A Brunsuicensibus jus mercaturæ olim in Anglia exercitum.</i>	532
<i>Blastares Œtus Grecus.</i>	416	<i>Bubonocèle feliciter sedata.</i>	132
<i>Bochartus notatus.</i>	259	<i>Buccina insula quæ?</i>	188
<i>Boehmerus (Justus Henningius) laudatus.</i>	489	<i>Buck (Georgii) vita Richardi III suspecta.</i>	290, 293
<i>Bohemicæ nobilitatis sciagraphia.</i>	302	<i>Baronis De Burgsdorff (Ern. Frid.) liber Propugnaculum triumphans Moscua editus.</i>	288.
<i>Bojarti Poema epicum laudatum.</i>	512	<i>Burnetus (Th.) notatus.</i>	56, 516



INDEX RERUM

<b>C</b> æsaris nomen cur a Galba	Caroli M. Sigilla examinata.
susceptum?	371 448, 449
In J. Cæsaris Commentarios af-	Caroli II. Regis Angl. constans
fectus Ducis Escalonæ.	religionis Reformatæ profes-
Calculus humanus crystallinus.	sio.
	104
	22
Calculi integralis leges genera-	Carolinæ thermæ. Vide Thermæ.
les.	Cartesius notatus.
	64 seq.
differentialis principia ve-	Cartesii Philosophia explicata.
teribus cognita, demonstrata.	
	132
	278
Calendarium Ægyptio - Roma-	Casauboni (Isaaci) obitus.
num.	mortis cau-
	sa que?
	386
	536 seq.
Camaldulensis ordinis origo &	Caseus quomodo cito paretur?
instituta.	396 seq.
	49 seq.
Camdeni (Wilbelmi) obitus.	Caseorum torcular.
	78
	112
Annales Elisabethæ.	S. Cassiani Acta edita.
	7
	290
Campanus (Jo. Ant.) lauda-	Casus omnes num a que possibi-
tus.	les?
	464 seq.
	243
De Candelabro Mosaico Dis-	Cataractæ a glaucomate diffe-
quisitio.	rentia.
	163
	31
Du Cange. Vide Du Fresne.	Catoptricum problema solu-
Capicii Poeta character.	tum.
	465
Capilli quid?	Catulli character.
	508
Capito in lapide fissili.	Cavei (Gul.) de Primitivo Chri-
Cardialgia a cibo fervente con-	stianismo opus commenda-
tracta lacte curata calidius-	tum.
culo.	250
	316
terra sigillata curan-	De Centuriis Magdeburgicis ju-
da.	dicium.
	385
	317
Carnium usus homini non natu-	Centuriatorum adversarii no-
ralis.	tati.
	385
	516
Carolus M. num jus habuerit in	Cerebri lesio non lethalis.
Pontificem Romanum?	vena demonstrata.
428	86 363
	Cerei num & olim in altaribus
	accensi?
	185
	Cerinthus num Balnei ruina op-
	pressus?
	90
	De



NOTABILIORUM.

<i>De Cerintho varia.</i>	475	<i>Lutheri.</i>	390
<i>Chaldæi unde dicti?</i>	258	<i>De Christo num testetur Jose-</i>	
<i>Chalybis vena Sarunetana.</i>	78	<i>phus?</i>	205
<i>Chancelaguæ planta natale so-</i>		<i>Christiani quibus convitiis olim</i>	
<i>lum &amp; virtus.</i>	164	<i>fuerint affecti?</i>	351
<i>Chaucer (Galfridi) obitus.</i>	112	<i>S. Chrysoctomi Opera denuo</i>	
<i>Cheecus (Jo.) Eduardi VI R.</i>		<i>promissa.</i>	94
<i>A. praeceptor, laudatus.</i>	293	<i>Chylificatio fit per solutionem.</i>	85
<i>De Cherbury (Herberti) Vita</i>		<i>Chymica Medicamenta Turcis</i>	
<i>Henrici VIII.</i>	290	<i>ignota.</i>	357
<i>Du Chesne (Andrea) Bibliotheca</i>		<i>Ciborum solutio in stomacho</i>	
<i>Scriptorum Franc. denuo</i>		<i>quomodo fiat?</i>	84
<i>edita.</i>	520	<i>Cineres agros fecundant.</i>	172
<i>Chinæ cortex contra morbos</i>			seq.
<i>quosvis periodicos salutaris.</i>		<i>Circulatio sanguinis in pede ara-</i>	
	315	<i>neæ observata.</i>	161
<i>De Chinensium cultu scripta no-</i>		<i>motu arteria-</i>	
<i>va.</i>	95	<i>rum promovetur.</i>	85
<i>Chirographum olim quid?</i>	535	<i>Circumcisio cur apud Judæos</i>	
<i>Chrestus idem qui Christus.</i>	476	<i>recepta?</i>	259
<i>Christeis, Poema Vide defen-</i>		<i>Circumcisionis origo.</i>	392
<i>sum.</i>	509	<i>Claudius (Jo.) refutatus.</i>	12
<i>Christi adventus ad iudicium</i>		<i>Clavus latus num solis Senato-</i>	
<i>quando futurus?</i>	354	<i>rum filiis datus?</i>	373
<i>historie probabilitas quan-</i>		<i>Clemens Alex. notatus.</i>	478
<i>do evanescere debeat?</i>	354	<i>S. Clementis Epistola I ad Cor.</i>	
<i>meritum num infinitum?</i>		<i>genuina.</i>	388
	309	<i>Clementis Alex. Operum nova</i>	
<i>apud Lucenses statua num</i>		<i>editio promissa.</i>	382
<i>a Nicodemo sculpta?</i>	387, 388	<i>Le Cler (Michael) laudatus.</i>	151
<i>natalis dies quis?</i>	477	<i>Clericus (Jo.) notatus.</i>	59, 133, 268
<i>nativitas ubi facta?</i>	477	<i>Clerici (Jo.) editio Novi Test.</i>	
<i>baptismus ut quotannis a</i>		<i>Berolini reprobata.</i>	308
<i>Pontificiis renovetur?</i>	478	<i>De Clericis lascivis sententia</i>	
<i>figura num arca fœderis?</i>	57	<i>Jo. Coleti.</i>	105
<i>De Christi descensu sententia</i>		<i>Clitoris magna.</i>	362
		<i>Bbb bb 2</i>	<i>Clo-</i>



# INDEX RERUM

Clodovæi I conversio.	427	numis quæ?	468
Cluvero (Johanni) Epitome Hi-		Columnæ Sethi & Ægyptiacæ.	
storiæ abjudicata.	37		254
Clypei votivi elegantissimi ex-		Circa Columnas se occultare,	
plicatio.	246	proverbium explicatum.	472
Codex Florentinus emendatus.		Comaclum num ab antiquo ad	
	188	Ecclesiam spectaverit?	195 ff.
Cœcus in sculptura excellens.	71	Cometa A. 1707 observatus.	167
Cœlestini iidem qui Avellanita.		Cometarum locus & genesis.	368
	54	Comitia cur paulatim longius	
Cœli phenomenon singulare.		protracta?	337
	369 seq.	Comitiorum Imp. R. G. Thea-	
S. Cœna cur a Christo instituta?		trum novum promissum.	338
	266	Commissionem petere quando	
Coffée post cœnam usus saluta-		Actor debeat?	124
ris.	317	Communio bonorum inter con-	
Cogitatio perpetua impossibilis.		juges.	16
	285	Christianorum qualis?	266
In Cogitatione num essentia ani-		externa	
mæ consistat?	285	num absoluta an hypotheti-	
Cognitionis impedimenta re-		ca?	266 seq.
mota.	312	Comœdia antiqua ut a nova	
Cohæisionis causa quæ?	399, 400	differat?	507
Colaphus a vento inflictus.	369	Conchis lapides signati.	175
Colberta, Carpentii Princeps, ob		Conchitæ.	176
eruditionem laudata.	504	Conchites Gallinæ imagine no-	
Colica spasmodica rarior.	78	tatus.	176
Colloquia vana damnata.	41	Conciliorum olim præses Prin-	
Colorum productiones artificia-		ceps.	122
les.	320 ff.	Conjectandi ars a Bernoullio	
aquæ marinæ varietas.	356	scripta.	463
Columbis quis Regum India suo		Consanguinei titulus quibus o-	
damno delectatus?	67	lim tributus?	202
Columna ignea quid mysterii		Conscientia quid?	480
habuerit?	268	Constitutionum Soc. J. fata sin-	
Columnæ cochlidis indicia in		gularia.	35
			Con-



NOTABILIORUM.

Contractus non nisi unicus, con- sensualis. 456	rum Acta exposita. 98
Coqui cur plerumque pingue- scant? 85	Criterion veri quale? 133
Cordis vulnus mirabile. 274	Criticorum lex primaria quæ? 541
motus causa. 362	Cruce hodie solius Papæ & Pri- matum signum. 346
Cornelii (Petrus & Fr. Thomas) fratres laudati. 150	in diplomatibus frequens. 448
Cornuum Ammonis Genesis. 20	num Salutis signum? 59
Corpus humanum num ex ovo? 314	Cucurbitulæ per dorsum tractæ urinam movent. 316
Corporis humani definitio. 401	Cuniculorum subterraneorum phenomena. 168
animalis structura. 86, 400	Curandi vera methodus unde pendeat? 369
Corpora sublunaria num dilu- vium mutaverit? 516	Curvam isochronam quam na- tura admittat? 233 seq.
Corporum essentia in quo consi- stat? 133	Cutis humanæ vascula innume- ra. 274, 361
caelestium motus tri- plex. 366	Cycloidis vulgaris posochroni- smus demonstratus. 225 seq.
idea prima num ex- tensio? 424. seq.	isochronismus demonstratus. 224. seq.
Corpuscula animalculorum in semine animali ut crescant? 402	Pro Cycloidibus methodus ge- neralis. 165
De Coptis Dissertatio. 538	
Costæ bifurcata. 23	<b>V</b> An Dale (Antonii) fata & obitus. 192
Cowleji (Abrahami) Epitaphi- um. 111	Danielis (Gabrielis) nova Gallie historia universalis promissa. 93
Poematum nova Edi- tio. 111	(Samuelis) Vitæ quo- rundam Angliæ Regum. 289
Cozza (Laurentius) refutatus. 474	Danthes Poeta laudatus. 510, 512
Craigius refutatus. 354	Danthi liber de vulgari elo- quentia adjudicatus. 511
Cranii accretio unde? 272	
S. Crescii & Sociorum Marty-	Bbb b 3 Dara



# INDEX RERUM

Darà Rex Judæorum Christianus.	69	Augustinus?	422
Daricus genus numi Persici.	212	Dei gratia cur Episcopi in diplomatis, non in numis scribant?	347
Daubuz (Carolus) refutatus.	478	Diæta longævitatæ causa.	75
Daumii (Christiani) in addiscenda lingua Arabica felicitas.	90	Diameter vasculi in baroscopio quanta esse debeat?	25
Decisiones L Justiniani quæ?	216, 217	De Dieu (Ludovicus) refutatus.	265
explicatæ. 216 ff.		Per Diluvium num sublunaria mutata?	516
num juri Pandectarum derogent?	217	Dionysius Halicarnassæus notatus.	255
In Decretalium Lib. I Tit. 5, 6, 7, 8 & 9 Commentarius.	381	De Dionysii Areopagitæ scriptis judicia.	388
Definitionum nominalium cautela.	24	Docilitas animalium explicata.	73
Denaifius Idoli Halensis verus autor.	35	Dodart (Dionysii) vita. 169 seq. circa jejanium experimentum.	160
Denham (Joannis) obitus.	112	Dodwellus notatus.	375
Dentitio novo instrumento juvenanda.	363	Doli exceptio quando locum habeat?	412
Dentridæ.	176	mali nova distinctio.	412, 414, 416
Deshoulières, mater & filia, poetriæ.	152 seq.	Dolia non plena dimetiendi ratio adhuc desiderata.	137
Deus num origo mali?	64	Dominium in creaturas ut obtineatur?	25
num auctor peccati?	308	Donatio inter conjuges cur Jure Civili prohibita?	16
Dei existentiam demonstrandi methodi.	133	Donatistæ refutati.	267
amor infinitus.	11	Draiton (Michaelis) obitus.	112
voluntas duplex, æconomi & legislatoris.	12	Drama & poema Epicum quid intersit?	505 seq.
imago num numis imponenda?	346	Dramatis ratio.	506
substantia num extensa?	425	Dry-	
presentiam qualem statuatur			



NOTABILIORUM.

Dryden (Joannis) obitus.	112	interfit?	505 seq.
Dupinius notatus.	6	Ad Epicum carmen quid requi-	
Duræ Matris delineatio.	272	ratur?	505 seq.
Dynamimetria commendata.	25	Epidermidis humanæ eminentiæ	
		quid sint?	274
<b>E</b> Bionitæ quid statuerint?		Episcopos & Presbyteros quid	
	475	interfit?	352.
Ebræi. Vide Hebræi.		Episcoporum electio jure Eccl.	
Ecclesiæ officium.	514	introduc̄ta.	381
Ecclesiasticæ historiae scriptores		Epistola an Epistula scriben-	
aliquot reprehensi.	349 seq.	dum?	6
Ecclesiasticarum Antiquitatum		Barnabæ nrm genuina?	
Thesaurus promissus.	349		388, 390 seq.
Edendum saepe per diem.	515	De Epistolis Apostolorum judi-	
Eduardi V R. Angl. & Richardi		cium.	105
fratris dura fata & epita-		Epitaphium jocosum.	110
phium.	292	Epochas ab urbibus conditis qui	
Eduardus VI Rex Angl. quando		numeraverint?	5
natus?	293	De Equis quinam scripserint?	
num ex utero matris			396
exsectus?	293	Eremitarum omnium pater S.	
Elateris aeris intensio unde?		Romualdus.	51
	30	Eruditio realis a scholastica ut	
ut com-		differat?	430
putetur?	30	Eruditionis definitio & partes.	
Electio Pontificis Rom. jure di-			311
vino introduc̄ta.	381	Eruditorum præcocium elogia.	
Episcoporum jure Ecclē			140 seq.
siastico introduc̄ta.	381	Erysipilas faciei neglectum to-	
Electus quando Imperator Rom.		tius tumorem inducit.	316
dici cœperit?	343	In Esaiam Commentarius no-	
De Elisabetha Angl. Reg. ejusque		vus.	8
aula observationes.	103	Esdrae Liber IV apocryphus.	391
Empirici (Sexti) Operum nova		Essæorum secta Christianismo	
editio promissa.	190	proxima.	205
Epicum poema & drama quid		Essentia corporum in quo con-	
		sistat?	



# INDEX RERUM.

<i>sistat?</i>	133	<i>tinctus?</i>	78
<i>Estheræ liber quo tempore scri-</i>		<i>Falconia Proba ab Anicia Fal-</i>	
<i>ptus?</i>	484	<i>tonia Proba diversa.</i>	6
<i>Ad Ethicam Matheseos applica-</i>		<i>Faleji &amp; Falisci diversi.</i>	3
<i>tio.</i>	463	<i>Falzii (Raymundi) obitus.</i>	347,
<i>Etruscæ linguæ ratio.</i>	4		348
<i>Etrusca Alphabetaria.</i>	4	<i>Famis causa.</i>	362
<i>Etruscorum origo.</i>	5	<i>Febris quartana non omnis lon-</i>	
<i>Evangelii probabilitas quando</i>		<i>ga &amp; curatu difficilis.</i>	315
<i>evanescere debeat?</i>	354	<i>Febrium malignarum antidotus</i>	
<i>S. Eucharistia num sacrificium</i>		<i>Alleluja planta.</i>	365
<i>N. T. creditum Patribus?</i>	61	<i>Femoris fractura in cervice cur</i>	
<i>Eudocia Imperatrix Homero-</i>		<i>claudicationem inducat?</i>	274
<i>centonis autor.</i>	7	<i>Felibien (Andrea) fata &amp; obitus.</i>	
<i>Euripidis character.</i>	507		152
<i>Exarchatus Ravennatensis num</i>		<i>Felicitas quo symbolo in numis</i>	
<i>olim a Pontificibus depen-</i>		<i>designetur?</i>	476
<i>dens?</i>	196	<i>Fermentatio quid?</i>	361
<i>Exceptio non numerata pecunia</i>		<i>Ferraria ut paulatim ad Ponti-</i>	
<i>ratione mutui num sit privi-</i>		<i>fices pervenerit?</i>	199
<i>legiata?</i>	380	<i>Ferrum in arbusculi formam</i>	
<i>Exomphalon unde producat?</i>		<i>excrescens.</i>	163
	131	<i>Ferri artificialis productio.</i>	163
<i>Experientiæ definitio.</i>	312	<i>Fibræ carniū musculosæ quid?</i>	
<i>Experimenta de viribus frangen-</i>			363
<i>di ligna iterata.</i>	168	<i>Fictiones legum Romanarum</i>	
		<i>explosæ.</i>	456
	320. ff.	<i>Fides unde pendeat?</i>	354
<i>Extensio num prima corporum</i>		<i>Fidei partes, objecta, motiva,</i>	
<i>idea?</i>	424 seq.	<i>effectus.</i>	353 seq.
<b>F</b> <i>abricius (Jo. Alb.) refuta-</i>		<i>Filia vocis quid?</i>	270
<i>tus.</i>	7	<i>Fiscalis officium.</i>	124
<i>Fabularum Romanensium origo.</i>		<i>Fistula ani in natibus exiens.</i>	316
	511	<i>Flandria Imperio pariter &amp; Gal-</i>	
<i>Fagi truncus cur viridi colore</i>		<i>lis olim devincta.</i>	530
		<i>In Flandriam Gallorum domi-</i>	
		<i>nium</i>	



# NOTABILIORUM.

<p><i>nium unde arcessendum?</i> 530</p> <p>Flannel <i>usus damnatus.</i> 223</p> <p>Florentinus <i>Codex emendatus.</i> 188</p> <p>Florentinorum <i>dialectus unde composita?</i> 512</p> <p>Florum <i>cultura.</i> 173</p> <p>Fluidorum <i>in corpore animali ad solidam proportio.</i> 403</p> <p>Fluor <i>albus post narium catar- rhum sedatum.</i> 316</p> <p>Fluvii <i>navigabiles ut ab aliis in numis distinguantur?</i> 371</p> <p>Fœderalis <i>doctrina in sensu Juri- dico num ad Theologiam ap- plicanda?</i> 116</p> <p>Fœtus <i>putrefactus cum vivo in lucem editus.</i> 362</p> <p>Fohy <i>Sinensium Philosophus &amp; Rex.</i> 358</p> <p>Ex Fonticulo <i>clauso ophthal- mia.</i> 316</p> <p>Fortunæ <i>leges cognitu possibile.</i> 463</p> <p style="text-align: center;"><i>Vide Felicitas.</i></p> <p>Fossæ <i>novæ, qua Viadrum &amp; Sprea junguntur, descriptio.</i> 157 seq.</p> <p>Foy-Vaillantii <i>(Joannis) vita &amp; obitus.</i> 152</p> <p>Fracastorius <i>Poeta laudatus.</i> 509</p> <p>Francofurtensis <i>Academia Ju- bilæi Acta.</i> 155</p> <p style="text-align: right;"><i>Histo- ria.</i> 156 seq.</p>	<p style="text-align: right;"><i>Professorum</i></p> <p><i>Vita descripta.</i> 157</p> <p style="text-align: right;"><i>Urbis chronicon.</i> 157</p> <p style="text-align: right;"><i>Bibliothecæ Catalo- gus.</i> 158</p> <p><i>Fraus eorum, qui corpora con- tra sclopetorum ictus muni- unt.</i> 161</p> <p>Du Fresne <i>(Caroli) Domini du Cange vita &amp; obitus.</i> 151 seq.</p> <p>De Friderico II <i>Imp. varia.</i> 532 seq.</p> <p>Fridericus III <i>El. Sax. præses Re- gimenti Imperii.</i> 339</p> <p>Frigus <i>extraordinarium.</i> 358</p> <p>Fructus <i>grati saporis ut produ- ci possint?</i> 172</p> <p>Frumentum <i>multiplicandi ratio.</i> 171 seq.</p> <p>De Funeribus <i>veterum Christia- norum tractatus.</i> 328 seq.</p> <p>Fungi <i>ex semine nascuntur.</i> 164</p> <p><b>G</b>alilæi <i>bustum in edibus Vi- viani conspicuum.</i> 159</p> <p>In Galilæum <i>Vinc. Viviani affe- ctus singularis.</i> 159</p> <p>Galilæana <i>hypotesis de descen- su gravium motui Telluris adversa.</i> 164, 404 seq.</p> <p>Galloisii <i>(Jo.) Vita.</i> 169</p> <p>Gelasii I <i>Decretum genuinum vulgatum.</i> 8</p> <p>Gellius <i>an Agellius dicendum?</i> 89</p> <p style="text-align: center;">Gcc c</p> <p style="text-align: right;">Ge-</p>
---	--



# INDEX RERUM

Generatio ut fiat?	87	<i>scriptoribus Gallicis seculi</i>	
<i>De Genio duplici, bono &amp; malo,</i>		<i>XVII.</i>	520
<i>Veterum sententia.</i>	393	Gueudevillius <i>Genii Aularum</i>	
Geographicum <i>Lexicon novum.</i>		<i>Europæ autor.</i>	301
	150 ff.	Guicciardini <i>Opera castrata.</i>	
Gestibus <i>loquentium infantum,</i>			344
<i>qui neminem loquentem au-</i>		Guilielmus <i>Notbus sigillorum in</i>	
<i>dierunt, experimentum.</i>	69	<i>Anglia autor.</i>	445
Glandula <i>pituitaria major in</i>		Gutta <i>rosacea ab hæmorrhagia.</i>	
<i>brutis.</i>	363		316
Glandulæ <i>pituitariæ status præ-</i>		<b>H</b> Abington ( <i>W.</i> ) <i>Vita Edu-</i>	
<i>ternaturalis.</i>	163	<i>ardi IV.</i>	290
		Hæmoptoicis <i>peregrinationes</i>	
<i>conformatio &amp;</i>		<i>salutares.</i>	75
<i>usus.</i>	162	Ab Hæmorrhagia <i>gutta rosacea.</i>	
Glandularum <i>structura.</i>	407		316
<i>orificia circularia.</i>	407	Hæreditas <i>Gentium &amp; Mundi</i>	
Globi <i>sclopeto explosi quando</i>		<i>num diversa in Script. S.</i>	265
<i>nulla efficacia?</i>	161	<i>terre ab hereditate</i>	
Gnostici <i>refutati.</i>	268	<i>mundi diversa.</i>	265 seq.
Godwini ( <i>Francisci</i> ) <i>Annales</i>		Hala <i>Sax. num fuerit in classe</i>	
<i>Marie.</i>	290	<i>civitatum Imperialium?</i>	348
Grabius ( <i>Jo. Ern.</i> ) <i>notatus.</i>	61	<i>ut appellanda?</i>	348
Grajæ ( <i>Joanne</i> ) <i>elogium.</i>	105	Hallifax ( <i>Caroli</i> ) <i>munificentia</i>	
Gramina <i>Alpina.</i>	79	<i>laudata.</i>	529
Gramaye ( <i>Jo. Bapt.</i> ) <i>itineræ &amp;</i>		Du Hamel ( <i>Jo. Bapt.</i> ) <i>lauda-</i>	
<i>merita de historia Belgica.</i>	193	<i>tus.</i>	160
Grammatici <i>qui?</i>	93	Hanckii ( <i>Martini</i> ) <i>Vita &amp; elo-</i>	
Granados ( <i>Jacobi</i> ) <i>encomium.</i>		<i>gium.</i>	331 ff.
	65	Von der Hardt ( <i>Hermannus</i> )	
Gravitatis <i>causa.</i>	368 seq.	<i>notatus.</i>	58
Gravium <i>accelerationis lex no-</i>		Haywardi ( <i>Joannis</i> ) <i>Vita Edu-</i>	
<i>va.</i>	404	<i>ardi VI.</i>	290
Gregorius <i>Pontifex notatus.</i>	251	Hebrææ <i>voces pleraque origine</i>	
Gregorii <i>Nazianzeni nova edi-</i>		<i>Græcæ.</i>	259
<i>tio promissa.</i>	93 seq.	Hebræorum <i>Philologorum e-</i>	
Gryphii ( <i>Christiani</i> ) <i>diatribe de</i>		<i>logia.</i>	



NOTABILIORUM.

<i>logia.</i>	140	Historicorum veterum Biblio-	
<i>numorum auctoritas</i>		<i>theca.</i>	253 ff.
<i>in dubium vocata.</i>	444	De Hobbii ( <i>Thome</i> ) <i>Historia</i>	
<i>sigilla qualia?</i>	445	<i>Ecclesiastica</i> <i>judicium.</i>	386
Hegrin <i>Angeli nomen unde?</i>		Homeri <i>nova editio promissa.</i>	
	394		240
Heideggerus <i>notatus.</i>	390	<i>etas.</i>	255
Heine <i>nomen gentis unde?</i>	522	<i>character.</i>	505
Helvetiæ <i>lapidum figuratorum</i>		<i>poemata.</i>	506
<i>historia.</i>	17	Homero <i>centonis quis autor?</i>	7
Hepaticus <i>porus flatum folliculo</i>		Hominis <i>perfectio qualis?</i>	269
<i>fellis per varia oscula reddit.</i>		Hoornbeckius <i>notatus.</i>	385, 386
	362	De Hoppingk ( <i>Theodori</i> ) <i>tra-</i>	
Herbæ <i>lapidibus impressæ num</i>		<i>ctatu de Sigillis</i> <i>judicium.</i>	443
<i>resuscitari possint?</i>	175	Horologiorum <i>aquaticorum u-</i>	
Hercules <i>ab Etruscis cultus.</i>	4	<i>sus restauratus.</i>	160
Hercynia <i>syloa unde dicta?</i>	138	Hortæ <i>urbis Etruriæ nomen, ori-</i>	
Herma <i>duplex.</i>	388	<i>go &amp; situs.</i>	1 ff.
Herodes, <i>qui Jacobum gladio</i>		Hortense <i>Calendarium.</i>	173
<i>occidi jussit, quis?</i>	476	Hortibona <i>idem qui Casaubo-</i>	
Hevelii <i>Opera pleraque flammis</i>		<i>nus.</i>	37
<i>consumpta.</i>	142	Horticultura <i>perfecta.</i>	170
Heylmi ( <i>Petri</i> ) <i>obitus.</i>	112	Hortorum <i>apud Indos magnifi-</i>	
<i>In Hiberniam jus Pontificis.</i>	530	<i>centia.</i>	69
S. Hildeberti <i>vita.</i>	146	Hospinianus <i>notatus.</i>	350
<i>scripta.</i>	148 seq.	Hudson ( <i>Joannes</i> ) <i>laudatus.</i>	
Hircus <i>emissarius Christi edu-</i>			245
<i>ctionis in montem Golgatha</i>		Huetius ( <i>Petrus Dan.</i> ) <i>refuta-</i>	
<i>signum.</i>	57	<i>tus.</i>	58, 63
Historia <i>Literaria cujusdam</i>			<i>notatus.</i> 117,
<i>gentis ut scribenda?</i>	518		119, 252
<i>Ecclesiastica a Constan-</i>		Hugo de Ameririque <i>notatus.</i>	
<i>tino M. ad Heraclium.</i>	120		466
Historicus <i>Atlas.</i>	295	Humilitatis <i>singularis in Hier.</i>	
Historici <i>Sacri quem scopum ha-</i>		<i>Bignonio exemplum.</i>	213
<i>buerint?</i>	484	Humorum <i>per glandulas secre-</i>	
		<i>CCC C 2</i>	110



# INDEX RERUM

<i>tio ut fiat?</i>	401	<i>cœlibatum damnata.</i>	215
<i>separatio experimen-</i>		<i>Ignatii Epistolarum exemplar</i>	
<i>to illustrata.</i>	86	<i>MS. num in Noribergensi</i>	
<i>Hydrocephalus externus per</i>		<i>Bibl. exstet?</i>	474
<i>duas scarificationes curatus.</i>	132	<i>lleos a vermibus lethalis.</i>	316
<i>Hydrops peritonei.</i>	162	<i>Illuminationis delineationum</i>	
<i>Hygroskopiorum imperfectio.</i>	28	<i>Architectonicarum usus.</i>	72
<i>Hymnorum aliquot Germani-</i>		<i>Imaginationis natura.</i>	286
<i>corum autor Vinc. Schmu-</i>		<i>Imaginationem &amp; memoriam</i>	
<i>ckius.</i>	9	<i>quid intersit?</i>	286
<i>Hypatiæ Platonice Epistola &amp;</i>		<i>Imaginum cultus impugnatus.</i>	473
<i>fata.</i>	392	<i>Imperator Germ. quando dici</i>	
<i>Hypothesium examen.</i>	288	<i>cœperit electus?</i>	343
<b>J</b> <i>acobi Protevangelii autor</i>		<i>Imperatores Germ. eligendi mo-</i>	
<i>quis?</i>	387	<i>cus antiquus.</i>	535
<i>De Jacobi Missa observatio.</i>	387	<i>De tribus Impostoribus liber</i>	
<i>Jacobitæ quando innotuerint?</i>		<i>qualis &amp; num editus? 36 seq.</i>	
	538	<i>Incubus incantatione curatus.</i>	
<i>Japonensium Reges quibus sigil-</i>			316
<i>lis utantur?</i>	446	<i>Index Expurgatorius novus in</i>	
<i>Jaquelot (Isaaci) fata &amp; obitus.</i>		<i>Hispania magna pompa</i>	
	191	<i>vulgatus.</i>	143
<i>Idea a judicio ut differat?</i>	286	<i>Indi ut in varias classes divisi?</i>	
<i>Ideæ innatae explosæ.</i>	287		67
<i>Idearum primarum origo.</i>	285	<i>Indici Imperii historiam qui</i>	
	seq.	<i>scripserint?</i>	66
<i>Idoli Halensis quis verus Au-</i>		<i>Infanticidii Bethlehemitici hi-</i>	
<i>tor?</i>	35	<i>storia asserta.</i>	477 seq.
<i>Jejunium quadragesimale salu-</i>		<i>Inscriptiones adium Buckingha-</i>	
<i>tare.</i>	515, 574	<i>miarum.</i>	112
<i>cur noceat?</i>	517	<i>Insectorum necessitas.</i>	85
<i>num debeat dispensari?</i>	517	<i>Institutionum Justiniani novi</i>	
<i>Jephtæ filia non ad mortem, sed</i>		<i>&amp; defectus.</i>	14
		<i>Intellectus divisio.</i>	311
		<i>Intestini Cæci in fœtu &amp; homine</i>	
		<i>adul-</i>	



NOTABILIORUM.

<i>adulto differentia.</i>	247	<i>Irenici scriptores commendati.</i>	305
<i>Intestinorum modus peristalticus observatus.</i>	84	<i>Ischiadici dolores ut remoti?</i>	316
<i>crustæ villosæ villi sunt vasa excretoria glandularum.</i>	361	<i>Islebiensium ærifodinarum ortus, progressus &amp; status.</i>	174
<i>Jobabus num idem qui Hiobus?</i>	56, 258	<i>Itali Poetæ comendati.</i>	512 seq.
<i>Jobus Mose antiquior.</i>	258	<i>Italica lingua eadem, quæ Latina plebeja.</i>	511
<i>num cum Jobabo idem?</i>	258	<i>Judæorum Concilii Hagedensis Acta.</i>	104
<i>De Joanna Papissa disquisitio.</i>	90	<i>Judaicæ antiquitates explicatæ.</i>	206 seq.
<i>fabulæ origo.</i>	382	<i>Judiciorum origo.</i>	286
<i>Johannes an Joannes scribendum?</i>	92	<i>diversitatis ratio.</i>	287
<i>S. Johannes num dolio ferventis olei immissus?</i>	476, 477	<i>Julius Cæsar quando in Britanniam descenderit?</i>	360
<i>S. Johannis Evangelii prologus contra Gnosticos institutus.</i>	267 seq.	<i>Jura universa methodo naturali tradita.</i>	452 sq.
<i>Johannis &amp; Pauli Martyrum Acta edita.</i>	377 seq.	<i>Juramentum judiciale num contra matrimonium deferri possit?</i>	456
<i>Johnson (Benjamini) epitaphium.</i>	111	<i>Jurandi formula per Sedis Apostolicæ &amp; Papæ salutem insolens.</i>	8
<i>Josephus num testetur de Christo?</i>	205	<i>Jureconsultorum in Medio Templo Londini Bibliotheca.</i>	113
<i>quem ordinem chronologicum servet?</i>	205	<i>Juris communis defectus indicati.</i>	13
<i>Josephi de Messia sententia.</i>	204	<i>Justificationis natura.</i>	355
<i>seq.</i>		<i>Juvenalis character.</i>	508
<i>Josua num re vera Solem jussert cursum suum morari?</i>	485	<b>K</b> <i>Epleri Hipparchus delineatus &amp; commendatus.</i>	142 seq.
<i>seq.</i>		<i>scripta nondum omnia edita.</i>	141
<i>S. Irenæus notatus.</i>	478		
<i>S. Irenæi nova editio promissa.</i>	94		



# INDEX RERUM.

<p><i>MStorum fata.</i> 141  <i>seq.</i>  <i>stereometria citata.</i> 137  <i>Kircherianum Museum aucti-</i>  <i>us promissum.</i> 524 <i>seq.</i>  <b>L</b>abbe (Philippus) notatus. 388  <b>L</b>ac in sanguinem conver-  <i>tendi modus.</i> 85  <b>L</b>actis Lunæ genesis. 17  <b>L</b>actariæ operæ Helveticæ. 78  <b>L</b>actandi infantes proprios ma-  <i>trum obligatio.</i> 129  <b>L</b>acrimarum vis. 213  <b>L</b>acus murmure tempestates  <i>presagiens.</i> 78  <b>L</b>aterchius (Jacobus) refutatus.  <i>52 seq.</i>  <b>S.</b> Landus potius dicendus Lan-  <i>nus.</i> 3  <b>L</b>apis quid? 17  <i>fossilis Mannebacensis.</i> 174  <b>L</b>apidis causa. 17  <b>L</b>apides figurati cur plerumque  <i>in montibus inveniuntur?</i> 19  <i>crystallini.</i> 19  <i>picti.</i> 19  <i>petrificati.</i> 20  <i>intorti.</i> 20  <i>turbinati.</i> 21  <i>bivalves.</i> 22  <i>tubulosi.</i> 22  <i>scissiles.</i> 174  <i>conchis signati.</i> 175  <i>lapidibus gravidi.</i> 175  <i>Ilmenavienses picti.</i> 175</p>	<p><i>Lapidum figuratorum historia.</i>  17  <i>perfectio unde?</i> 18  <i>color unde?</i> 18  <i>armatura unde?</i> 21  <b>L</b>apidibus herbe impressæ num  <i>resuscitari possint?</i> 175  <b>L</b>atina lingua in nobilem &amp; ple-  <i>bejam distincta.</i> 514  <b>L</b>aunojus notatus. 8  <b>L</b>aura num Alphonso I Duci  <i>legitime nupta?</i> 201  <b>L</b>ebetus lapis. 78  <b>L</b>eibnitius (G.G.) laudatus. 159,  203  <b>L</b>eptra Græcorum &amp; Arabum  <i>diversa.</i> 361  <i>quod morbi genus?</i> 487  <b>L</b>ex 3 C. de non num. pec. expli-  <i>cata.</i> 380  10 &amp; 13 C. eod. explicata. 380  7 §. 9 ff de pact. cum l. 1 §. 2 ff  <i>de dolo malo conciliata.</i> 412  57 ff de contr. emt. explica-  <i>ta.</i> 413, 415  <b>L</b>eges juris Civilis, quarum  <i>nulla evidens ratio dari po-</i>  <i>test, recensite.</i> 14, 15  <b>L</b>egum Romanarum fictiones  <i>explose.</i> 456  <b>C</b>ontra Libidinem remedium  <i>reliquiæ Joannis &amp; Pauli.</i> 378  <b>L</b>ien non habet glandulas. 362  <b>L</b>ienis vasorum anastomoses. 362  <b>L</b>iliis quot exornatum Cande-  <i>labrum Mosaicum?</i> 33  <b>L</b>in-</p>
---	---



NOTABILIORUM.

Linguae usu destituti, qui linguam nullam audivere.	68	Ludorum fortuna leges cognitum possibiles.	463
Liquores in vase inverso suspensi.	30	Ludovici Pii donatio in Papam collata suspecta.	197
perspicui mixti redduntur imperspicui.	322	Ludovicus XII, R. G. Mediolano a Maximiliano Imp. investitus.	341
Literatores qui?	93	Lumen Boreale vespere visum.	162
Liturgia Petri num genuina?	387	ex affricu corporum oritur.	161
T. Livius a superstitione vindicatus.	248 seq.	Vide Lux.	
T. Livii Historiarum editiones recensite.	241 seq.	Luminis propagatio successiva impugnata.	165
virtutis laudata.	242	productio singularis.	237 seq.
fragmenti nuper reperti fides impugnata.	247	Lunularum excessum duorum Circularum adaequantium transformatio.	81
Loca salubria quae?	75	Lux in homine quid? quotuplex.	313
Logicæ definitio.	311	Lydda a Lydia diversa.	189
defectus in aestimanda probabilitate notatus.	462	Lympha nutritioni inserviens.	86
Aristotelica scopus.	310	<b>M</b> Abillonius laudatus.	58, 443
Logici scriptores recensiti.	310	Machina Vitruviana itineris maritimi metiendi notata.	281 ff.
Λόγος vox num e schola Platonis ad Christianos translata?	59	a Mellio revocata & vindicata.	282 ff.
Londini descriptio.	109	Machinae vires fluviorum metientis descriptio.	29
incolae quot?	110	Macrobius notatus.	374
Bibliotheca.	113	Macula in Luna eclipsata visa.	165, 168
Longævitas causa.	221 seq.		Ma-
Loqui ut discamus?	286		
Lucaris (Cyrillus) Patriarcha CPTanus accusatus & defensus.	497 seq.		
an senserit cum Reformatis?	499 seq.		
Lucretii character.	508		



# INDEX RERUM

- |   |  |
|---|--|
| <p>Maculæ in satellitibus &amp; vise. 166</p> <p>Magiæ falso suspecti. 259</p> <p>Magistri titulus in honore habitus. 92</p> <p>Magnetis declineatio ubi nulla? 358</p> <p>Post Malachiam num cessaverint Prophetiæ? 270 seq.</p> <p>Mammæ cancröse amputatio sine filo aut tenaculo. 132</p> <p>Maniacis peregrinationes salutare. 75</p> <p>Manometri descriptio. 28</p> <p>Manuscriptorum collatio num ad emendationem Autorum necessaria? 423</p> <p>Manuum tumor subitaneus ut profligatus? 317</p> <p>Marbodi vita &amp; scripta. 149 seq.</p> <p>Marchio olim nomen Principis. 202</p> <p>S. Marcus Evangelista quando mortuus? 537 seq.</p> <p style="padding-left: 40px;">quando in Alexandriam venerit? 537 seq.</p> <p>Mareswarum num oppidi nomen? 291</p> <p>Maris anei Salomonei figura qualis? 57</p> <p>De Mariæ ad Messanenses Epistola lepide dictum. 387</p> <p>Marshamus refutatus. 269</p> <p>Van Mastricht (Gerardi) in Placciam merita. 33, 34</p> <p>Martis preparatio. 179</p> <p>Martialis Lemovicensis Epistola num Græce scripta? 389</p> | <p>Martianæus quid in Hieronymo prestiterit? 423</p> <p>Mathemata defensa. 239 seq.</p> <p>Mathematica methodus explicata. 25</p> <p>Mathesis ad Ethicam ac Politicam applicata. 463</p> <p>Matheos in Philosophia prima usus demonstratus. 26</p> <p style="padding-left: 40px;">damna quæ? 219</p> <p style="padding-left: 40px;">usus in interpretanda Scriptura. 240</p> <p style="padding-left: 40px;">ad dirigenda negotia humana. 462</p> <p>Contra Matrimonium num juramentum judiciale deferri possit? 456</p> <p>Maxillæ superioris vasa arteriominosa. 273</p> <p>Maxima &amp; minima per Analysin differentialem investigandi ratio compendiosa. 546</p> <p>Maximiliani I Imp. ab A. 1501 ad 1508 gesta præcipua. 338 ff.</p> <p>Mechanicas leges ad motum cælestem quinam applicarint? 365 seq.</p> <p>Medallionum abusus. 345</p> <p>Medicamenta cbymica Turcis ignota. 357</p> <p style="padding-left: 40px;">purgantia specifica propugnata. 401</p> <p style="padding-left: 40px;">ut operentur? 407</p> <p>Medicina Mentis Dn. Tscirnhau-sii commendata. 310</p> <p>Medico qua in re opus? 74</p> <p style="padding-left: 40px;">Physica necessaria. 398</p> <p style="text-align: right;">Me-</p> |
|---|--|



## NOTABILIORUM.

Medici a Turcis aestimati.	357	Ad Missam faciendam requisita	
Medicorum Bibliotheca Londi-		sacerdotis.	213
ni.	113	De Missa Jacobi observatio.	387
Melancholicis peregrinationes		Monachorum omnium pater	
salutares.	75	S. Benedictus.	51
Memoriæ definitio.	73, 286	Monetandi jus quibus Principi-	
cause.	73 seq. 286	bus concessum?	345
in animalem & libe-		Monimenti Londinensis altitu-	
ram divisio.	73	do.	110
Memoriam & imaginationem		Morbi definitio.	398
quid intersit?	286	Morbi animantium descripti.	
Mensæ sacræ num olim altaria			397
dicta?	185	Morborum causa.	401, 461
Mensuræ apud Indos inventæ.	68	In Morbis chronicis quinam re-	
Mentis existentia probata.	311	mediorum usus?	86
Mercurius in Sole A 1707 num		Morelli (Federici) defectus in	
falso predictus?	166	versione Philostrati deprehen-	
Meteori mirabilis observatio.	239	si.	436 seq.
Methodus Mathematica expli-		Mores unde pendeant?	77
cata.	25	Mori (Th.) vita Eduardi V &	
generalis resolvendi æ-		Richardi III R. A.	290
quationes.	276	Mortis causa.	66, 86
veritatem inveniendi		Moschi Poetæ Græci character.	
promissa.	288		507
Metiri quid sit?	25	Moses num idem qui Mnenes?	
Meursius notatus.	435		252
Militum, qui Christum furto		Motus theoria promotæ.	167
subductum finxerunt, calu-		peristalticus intestinorum	
mnia.	108	observatus.	85
Miltonus (Jo.) notatus.	291	Mullerus (Henricus) accusa-	
Miltoni (Jo.) Historia Angliæ.		tus.	90
	289	Mulier num ad Papatum habi-	
Mirachæ Regis Indorum gesta &		lis?	382
cedes.	67	Mundi systema novum commen-	
Missæ antiquitas num ex numis		datum.	166, 365
probanda?	60	plenitudo asserta.	133
		D d d d	Mu-



# INDEX RERUM

<p>Muniendi forma Rimpleriana praxi adaptata. 235</p> <p>Muratorii (Lud. Ant.) Anecdota Graeca promissa. 525</p> <p>De Murilegulis lex num ad Lydos an Sardos spectet? 189</p> <p>Musculus psoas parvus, dorsi musculus. 364</p> <p>Musculorum motus explicatus. 404</p> <p>Musicus per Musicam curatus. 161</p> <p><b>N</b>atalis Alexandri Historia Eccl. fata. 386</p> <p>Nazaræi Judæis exosi. 476</p> <p>Nehemiæ liber non totus a Nehemia scriptus. 484</p> <p>Nephritici ligni tinctura color ut adimendus &amp; restituendus? 321</p> <p style="padding-left: 40px;">dolores aqua pane rosto alterata sopiti. 316</p> <p>Nervorum par primum non est olfactorium. 363</p> <p style="padding-left: 40px;">paris sexti ramulus ad linguam protenditur. 363</p> <p>Newtonus notatus. 133</p> <p>De Nicæni Concilii Canone VI eruditorum controversia. 491</p> <p>Nicodemi Evangelium spurium. 387</p> <p>Nicolaitæ quem autorem habeant? 476</p> <p>Nicolle (Petri) obitus. 152</p> <p>Nitrum nostrum quid? 319 seq.</p>	<p>Nitrum veterum. 318</p> <p style="padding-left: 20px;">non est sal. 318</p> <p style="padding-left: 20px;">ex combustione quercus. 318</p> <p>Nitri vires in vegetatione. 172</p> <p style="padding-left: 20px;">spuma quid? 318</p> <p style="padding-left: 20px;">ortus. 319</p> <p style="padding-left: 20px;">usus &amp; phenomena. 320</p> <p>Nitra veterum hodie existunt. 318</p> <p>Nominum allusiones in numis. 372</p> <p>Numi bracteati A. 1708 effossi. 345</p> <p style="padding-left: 40px;">Vide Bracteati.</p> <p style="padding-left: 40px;">civitatum Imperii &amp; municipalium ut dignoscantur? 346 seq.</p> <p style="padding-left: 40px;">Samaritani explicati, 417 seq.</p> <p style="padding-left: 40px;">num sigillis præferendi? 451</p> <p>Numorum Brandeburgicorum historia promissa. 348</p> <p style="padding-left: 40px;">medii ævi omnis generis historia promissa. 348</p> <p style="padding-left: 40px;">Hebraeorum autoritas in dubium vocata. 444</p> <p>Numis veteribus novam ex parte faciem inducendi mos Mahumetanis solennis. 418</p> <p>In Numis quinam Principes selle velequis insidentes observentur? 346</p> <p style="padding-left: 40px;">nominum allusiones. 372</p>
---	--



## NOTABILIORUM.

<i>In Numis num represententur, que re vera non exstiterent?</i>	469	Ossium structura.	402
<i>Ex Numis num orthographia emendanda?</i>	347	Ossunæ Ducis de Mariana Epistola lepidum dictum.	387
<i>In Numariam rem Germanorum mediæ ævi Introductio.</i>	344	Ovarii tumor stupendus.	163
<i>Nutritio ut fiat.</i>	86	Ovidius Theocrito comparatus.	507
<b>O</b> bstetricandi officium viris indecorum.	128	num fuerit Causidicus?	545
<i>Oeconomia ruralis descripta.</i>	896	ubi sepultus?	545
<i>Oeconomiam animalis cognitio Medico necessaria.</i>	398	Ovidii character.	508
<i>Olei essentialis phenomena.</i>	164	Vita.	545
<i>Operationum Chirurgicarum Cursus.</i>	130	Ozanam methodus ad Maxima & minima investiganda non eque compendiosa ac Analysis differentialis.	546
<i>Ophthalmia ex fonticulo clauso.</i>	316	<b>D</b> E Pace Ecclesiæ concilianda Consultatio.	305
<i>Opinionum varietas unde?</i>	287	Ad Pacta num etiam sigilla requirantur?	444
<i>Optatus Gallus vero nomine Hersan.</i>	490	De Palingenii Zodiaco iudicium.	509
<i>Ordinis aurei periscelidis occasio &amp; institutum.</i>	291	Pallium Archiepiscopale quid?	381
<i>De Orientalium fide variorum disputationes.</i>	497 seq.	Palmerius (Jacobus) refutatus.	186
<i>Origenis dogmata paradoxa defensa.</i>	102	Palmyrenæ antiquitates illustrate.	357 seq.
<i>Orthographia num ex numis emendanda?</i>	347	De Pane Πρωτόω Exercitatio Christ. Kortholii.	307
<i>Os a prandio cur eluendum?</i>	84	Paparum cum Turcis fœdera.	343
<i>Ossa fracta per diploen conglutinata.</i>	273	Paprocus (Barthol.) commendatus.	302
		De Paralipomenon libris varia.	483 seq.



INDEX RERUM.

Particularum in sanguine attra-		Petri Liturgia num genuina?	
ctio ut impediatur?	400		387
Passio animi quid?	287	Primatus ex ipsis Pontifi-	
Passionum primus ortus.	286	cum bullis impugnatus.	450
		Pharaon ludi leges.	463 seq.
Patriæ potestatis origo unde?	15	Pharyngis musculi.	361
jus num matri		Philologorum Ebraorum elo-	
quoque competat?	17	gia.	140
De Patriarchis Alexandrinis		Philosophia prima ut emendan-	
Tractatus.	536	da?	26
Pauli & Joannis Martyrum A-		Philosophiæ definitio.	24, 311
ctæ editæ.	377 ff.	methodus apta.	25
& Senecæ Epistolæ num		primæ officium.	25.
genuina?	387		seq.
& Theclæ Acta spuria.		Philostrati quot?	434
	387	Philostratorum editiones varia.	
Peccati autor num Deus?	308		436 seq.
Peccatum num sit nihil?	271	Phosphori barometrici causa.	
Peccata cur rubro colore desi-			238
gnentur?	58	Phthificis peregrinationes salu-	
Pechinoli (Angeli) literæ ad		tares.	75
Innocentium VIII editæ.	8	Physica Clerici notata.	133
Peirescius refutatus.	60	cælestis explicata.	133
Penis erectio in brutis & homi-		Medico necessaria.	398
nibus diversa.	362	Physicæ definitio.	25
Pentapolis Tusciæ num exstite-		Physicarum veritatum certitu-	
rit?	3	do unde pendeat?	25
Pentateuchi autor num Moses?		Physici officium.	25
	56	hypotheses cur non nisi	
In Pentateuchum Commenta-		conjectura?	25
rius Rabbinicus.	495	Physiologiæ necessitas.	398
Peregrinationes salutare.	74	Pica gravida.	317
	seq.	Pictoria ars principiis certis ni-	
Periscelidis aurei ordo qua oc-		xa.	70
casione institutus?	291	in numerum scientia-	
Persepolis antiquitates.	358	rum admittenda.	70
		Picto-	



NOTABILIORUM.

<i>Pictoria ars nondum scientificè per tractata.</i>	70	<i>Plantarum Anatomiam quinam tradiderint?</i>	170
<i>fundamentis Mathematicis superstructa.</i>	70	<i>succus nutritius.</i>	164
<i>Pictoriæ artis definitio.</i>	70	<i>Plantas quomodo in hyeme produxerit Albertus M.</i>	172
<i>studia subsidiaria.</i>	72	<i>Plantatio arborum inversa.</i>	171
<i>requisita ubi explicata?</i>	72	<i>Plantationis arborum cautela.</i>	170
<i>De Pictoria arte qui scripserint?</i>	70, 71	<i>Plinius Senior quando &amp; quo mortis genere perierit?</i>	384
<i>Pictorum bilanx.</i>	72	<i>C. Plinii Secundi Vita.</i>	373 ff.
<i>Academia Sandrarii commendata.</i>	70	<i>Plumbo quando obsignari Pontificum literæ cœperint?</i>	445 seq.
<i>Pignæ (Jo. Bapt.) fides in dubium vocata.</i>	202	<i>Plumbæ bullæ Caroli M. contra Tenzelium defensæ.</i>	447
<i>Pili quid?</i>	274	<i>De Poculis Veterum observata.</i>	32
<i>Pindari character.</i>	507	<i>Poesis cum Arte pictoria comparata.</i>	72
<i>Pinguedo coquorum unde?</i>	85	<i>quid sit?</i>	504
<i>Pippingii (Heinrici) Epistola ad G. H. Gœzium.</i>	526	<i>ut depravata?</i>	505
<i>E Piscatu halecum in litore Anglicano ingentes Belgarum reditus.</i>	103	<i>Poeseos qualis olim usus?</i>	505
<i>Piscium figuræ in lapidibus unde?</i>	23	<i>contemptus unde?</i>	509, 510
<i>Pithometria explicata.</i>	137	<i>Poeta qualis esse debeat?</i>	505
<i>Placcii (Vincentii) obitus.</i>	35	<i>Poetæ Itali commendati.</i>	512 sq.
<i>Planetæ singuli locum suum cur tueantur?</i>	367	<i>Poiret (Petrus) notatus.</i>	117, 271
<i>Planetarii systematis genesis.</i>	367	<i>refutatus.</i>	119
<i>Planetarum velocitates ut se habeant?</i>	367	<i>De Pontani carminibus iudicium.</i>	509
<i>motus proprii phenomenonena.</i>	368	<i>Pontificis Rom. electio jure divino introducta.</i>	381
<i>gravitas unde?</i>	369	<i>potestas quantata?</i>	495
<i>Plantæ Helvetice.</i>	78 seq.	<i>De Pontificum bullis observata.</i>	450







NOTABILIORUM.

Regimen animarum quotu- plex? 494	S. Romualdus omnium Eremi- tarum pater. 51
Regimenti Imperii historia. 338 seq.	quo tempore vixe- rit? 51
Regis (Petri Silvani) vita. 168 seq.	Rosa monstrosa. 164
laus. 160	Roycroft (Th.) typographi cele- bris epitaphium. III
Regum libri quo tempore scrip- ti? 482	Rubro colore cur peccata desi- gnentur? 58
a quibus scripti? 483	qui uti sueverint in diplomatibus? 446
Reinesius (Th.) notatus. 6, 373	Runicæ literæ eadem cum Ro- manis. 347
Religio Christiana rationalis. 353 prudentum descripta. 87	Rupicaprarum historia. 79
Religionum unitas quibus re- bus impediatur? 117	Ruthæ liber cujus in gratiam scriptus? 482
Reliquiæ ridicule. 89	
Remediorum in morbis chroni- cis quinam usus? 86	<b>S</b> Abaudix Duces olim Comites Mauriania dicti. 533, 534
Ren humanus monstrosus. 273 succenturiatus veni incum- bit. 274	Sagan apud Hebræos quis? 272
Respirationis usus. 84, 86, 400	Sal in urina unde? 86
Resurrectio ejusdem numero corporis ut possibilis? 402	Salia volatilia aeris effervescenti- am sanguinis excitant. 84 qualia sint? 85
Reynaud (Carolus) refutatus. 322 seq.	Saliva cur non exspuenda? 84, 362
Rhythmus unde ortus? 506, 510	Salivæ usus. 302
De Richardi R. A. captivitate & liberatione varia. 531	Salivatio Mercurialis mensium suppressionem tollit. 316
Rivini (Andrea) de S. Hildeberti Operibus merita. 146	Salmasius (Claudius) refutatus. 392
Romanensium fabularum ori- go. 511	De Salmasii erroribus in Theo- logia Dissertatio. 140
cum epico carmine comparatio. 512	Salutem cur in numis sistat Aci- lius? 372
	Samaritani numi explicati. 417 ff. Sa-



# INDEX RERUM

Sanctorum invocatio num ex Jobi V, 1 probanda? 57 seq.	Scalæ visio D. Romualdi num duplex? 51, 52
Sanderfoni (Wilb.) Historia Mariæ Reg. Scotia suspecta. 293 seq.	Sceleton avicula. 273
Sanderus notatus. 293	Schellegensis Collegii Lond. hodiernus usus. 114
Sanguis in sinistro cordis ventriculo calidior, quam in dextro. 85	inscriptio. 114
cum phosphoro urinoso comparatus. 86	Schilterus notatus. 346
Sanguinis circulatio in pede araneæ observata. 161	Scholæ methodus nova. 523 seq.
natura. 398	Schwarzenbergicæ gentis historia. 522
motus intestinus unde? 400, 401	Scoti num ἀνθρώποι Φαγοί? 90
quantitatem determinandi methodus. 402	Scotica Ecclesia Angliæ quando subjecta? 532
velocitas determinata. 403	Scriptum antiquissimum quodnam? 358
cum aere mixtura. 84	Scripturæ S. interpretatio ut fieri debeat? 287
infusio tentanda. 85	inspiratio qualis? 394 seq.
De Sanguine & suffocato precepto num teneantur Christiani? 215	Scripturæ S. loca illustrata:
Sanguificatio fit per aerem inspiratum. 85	Gen. III. 258
Sanguificationis gradus. 363	VI, 15. 209
Sannazarii poema de partu Virginis vindicatum. 509	VIII, 22. 56
Σαρδινιακὸν ἢ Σαρδιανικὸν Βάμμα legendum? 186	XIV, 4. 56
Sarpus (Paulus) quo autore scripserit Historiam Conc. Trid. 294	14. 391
Saxonia subterranea. 173	XVII, 3. 56
	XVIII, 10. 495
	XXIII, 9 & 19. 496
	XXX, 15. 496
	XXXVI, 24. 496
	XLI, 40. 496
	Exod. XXV, 18. 496
	Num. XI, 26, 27. 393
	XVI, 1. 496
	XXV, 8. 209
	Jof.



NOTABILIORUM.

Jos. II, 18.	485	Col. II, 18.	211
Jud. XI, 31.	215	2 Thess. II, 8.	475
XV, 4.	57	1 Pet. II, 12.	211
2 Reg. XX, 9, 10, 11.	486	III, 21.	62
1 Paralip. XXIX, 7.	212	Hebr. II, 17.	211
Pf. XLII, 3.	58	VII, 22.	62
XCVI, 10.	390 seq.	Jude, 13.	62
Es. VII, 14.	264	Ad Scripturam S. intelligendam	
IX, 5.	58	num requiratur Spiritus San-	
Jer. XLIX, 38.	58	ctus?	106
Dan. IV, 14.	394	Scuderix (Magdal.) laus & obi-	
IX, 24 - 27.	214 seq.	tus.	152
Job. IV, 18.	208	Scuderii (Georgii) laus & obi-	
XXXVIII, 37.	208	tus.	152
XL, 17.	209	Scultetus notatus.	477
Matth. III, 7.	210	Secreta circa florum culturam.	
V, 33.	210		172
VII, 25, 26, 27.	88	Secretionum in sanguine for-	
XIII, 11.	210	matio.	400 seq.
XXII, 32.	118	animalium conside-	
Luc. III, 2.	272	rationes.	397
XII, 29.	211	Sedulius num autor centonis	
Job. I, 14.	211	Virgiliani de Christo?	7
V, 37.	271	Seinsheimianæ gentis nomen un-	
XIII, 34.	211	de?	522
Act. XV.	215	Seminis masculini animalcula.	
XVII, 18.	211		87
XIX, 19.	211	Senatorum filiis solis apud Ro-	
XXIII, 2.	272	manos num clavus latus da-	
Rom. IV, 13.	265	tus?	373
VIII, 19 - 23.	61	Senecæ & Pauli Epistola num	
XII, 13.	61	genuina?	387
1 Cor. II, 14.	63 seq.	Senectus fibris duritiem inducit.	
IX, 27.	61		221
XV, 32.	62	Senectutis causa.	86
2 Cor. XI, 6.	211	Senis anatome.	218
XII, 7.	393	Senum morbi.	221
		Ecc e	Sen-



# INDEX RERUM

Sensationum <i>natura</i> .	73	<i>pl</i> o investigatus.	179, 180
Sensus unus ut excitet alterum?	73	Smith ( Joannis ) e patibulo suspenso in vitam reditus.	110
Serenitatis titulus Archi-Episcopis vindicatus.	346	Societatis Jesu Constitutionum fata singularia.	35
Sicilia Henrico III R. Angliæ a Pontifice collata.	534 ff.	Regiæ Anglicanæ Bibliotheca.	113
Sicili valor verus.	419	Sol num Josuæ jussu cursum moratus sit?	485 seq.
Siderum influxus nullus.	397	num retrocesserit 2 Reg. XX, 9, 10, 11?	486
origo.	397	Somni cum memoria convenientia.	73
Sigilla literis auctoritatem conciliant.	443 seq.	Sophoclis character.	507
Christianorum genuina ut a falsis discernenda?	448	De Spalatensis libro de Rep. Eccl. judicium.	350
Regum Castelle qualia?	536	Spencerus notatus.	57
Flandriæ Comitum sero appensa.	535, 536	Spinoza notatus.	57
Sigillorum ectypa formandi methodus.	442	Spiritus S. num divina particula aura?	390
apud plerasque Gentes usus.	444 ff.	num divina Filii natura?	393
De Sigillis mediæ ævi syntagma.	442	De Spiritus S. processione Græcorum sententia.	502
Sigonius ( Carolus ) laudatus.	244	Spiritus vini digestionem non juvat.	84
Simon Gnosticorum princeps alius a Simone Mago.	268, 475	vulnera sanat.	86
Simoni Mago num statua posita?	474	vitalis officium.	313, 314
Simon ( Petrus ) notatus.	477	Spirituum animalium definitio.	84, 404
Simon ( Richardus ) notatus.	56	Stadius ( Achilles ) refutatus.	374
Sinenses characteres explicati.	358	Statua Simonis Magi negata.	60
Sinensium Reges quibus sigillis utantur?	446	Statuæ Imperatorum quando columnis impositæ?	469
Sinus anguli dupli ex dato sim-		Strabo num de Judæis & Mose scripserit fideliter?	251 seq.
		Strom-	



NOTABILIORUM.

Strombitæ.	176	<b>T</b> Litera quid notet?	391
Structuræ corporis animalis ratio unde sumenda?	401	Tabes lethalis ab arthritidis doloribus.	315
Struthionis penna in insigni Walliæ unde?	291	Tamerlanis nomen unde? gesta.	66 67
Strype (Joannis) in historiam Angliæ merita.	290	Tassi Poetæ character.	513
Sturmius notatus.	56	Tauvry (Daniel) vir præcocis ingenii.	159
Sturmii Scripta de Architectura militari recensita.	235	Temperamentum in quo consistat?	77
Succinum varias figuras referens.	176	Temperamentorum genesis.	77
Succus nutritius quinam? plantarum examinatus,	86 164	Temperantia commendata.	514 seq.
per terebrationem arborum colligendus.	170	Tempestatum præfagia.	397
Suecorum sub dio preces pueris in Silesia exemplo sunt.	182	Templa olim minus ornata institutioni publicæ accommodata.	120 121
De Suiceri Thesaurò Eccl. iudicium.	250	Terentianus num Acta SS. Martyrum Joannis & Pauli scripserit?	378
Suidas emendatus.	434	Terentii character.	507
Superstitio num æque ac Atheismus Reip. noxius? 248 ff.	251	Terra sigillata ad cardialgiam antiquam laudata.	317
Surditatis causa.	363	Terzina, genus carminis, a quo inventum?	510
Suspensi cujusdam in vitam reditus.	110	Tesseræ lusoria lapideæ Badenses.	20
Syllogisticæ regula rejectæ.	312	Testamenta condendi mos a Germanis dudum receptus.	348
Sylvii (Æneæ) Epistolæ promissæ.	347	Novi Testamenti stylus cum Xenophontis oratione comparatus.	210 ff.
De Symbolo Apostolico varia.	389 seq.	Testelinus (Henr.) laudatus.	70
Synedrium LXXII Virorum a quo institutum?	487	Ex Thæ infusione lipothymia.	86
De Synodis Græcorum, Cæptano & Moldaviensi, varia.	501		



# INDEX RERUM

Theclæ & Pauli Acta spuria.	387	Toga virilis num solis Senato- rum filiis data.	373
Theocriti character.	507	Tolandus impugnatus.	353. seq.
Theologia num methodo fæde- rali tractanda?	115	Tragoediæ autores Galli lauda- ti.	150
qua methodo tractan- da?	116 seq.	Transsubstantiationis doctrina num a Grecis recepta?	502 sq.
num dictione Latina proponenda?	116 seq.	Trepanum duodecies applica- tum.	132
Theologiæ Christianæ Principia Mathematica.	354	Trissinus Poeta laudatus.	513
Theologica veritas ut digno- scenda?	118	A Troilo (Franc. Ferd) vero no- mine Jo. Val. Merbizius.	37
Theologorum elogia.	139, 521	ATschirnhaus (Ehrenf. Walth.) Vita & obitus.	41 ss.
Thermarum genesis.	76	Tubi Torricelliani phenomena explicata.	27 seq.
causa pyrites.	457	Tuborum proportio ad pondus aque.	167
Favariensium exa- men.	79	Tumor circa orificium uteri in- ternum.	274
Carolinarum calor unde?	76	Turcarum dogmata qua? 356 sq.	
ortus.	457	Tympanites causa serum inter peritonæi duplicaturam colle- ctum.	361
materia.	457	Tyrrheni iidem cum Lydis.	187
effectus.	459	<b>V</b> Adimonis lacus situs & ce- lebritas.	3
usus.	460	Vaillantius notatus.	2
balnea inuti- lia.	460, 461	Vide Foy-Vaillant.	
Thermoscopium Renaldinia- num notatum.	28	Valesius (Heinr.) notatus.	61
Thesauri Antiquitatum E- braicarum & Ecclesiastica- rum edendi descriptio.	185	Valsalva notatus.	363
Thorax interne tribus membra- nis cingitur.	273	Vaninius (Lucilius) explosus.	59
Tibiæ humanæ os habet diploen.	273	Vaninii (Jul. Cæs.) vita.	260 seq.
Tibulli character.	508	Variolæ cur semel tantum homi- nes corripiant?	361
Van Til (Salomon) notatus.	477	Vati-	



## NOTABILIORUM.

Vaticiniorum in gente Ebræa origo.	55	Baronis Verulamii (Fr. Baconi) Vita Henrici VII, Anglice.	290
De Vauban Vita.	169	Verulanus (Aonius) poeta laudatus.	509
muniendi formæ duæ.	236	Vespasianus Josepho Messias creditus.	204
quot expeditiones suscepit?	160	Viadrum & Sprea fluvii per fossam uniti.	157
Vaugelasius (Cl. Fabrius) ubi natus?	152	Victimæ cur a gentibus immolata?	260
Vegetatio plantarum.	170	Victorinus utrum Petabionensis an Pictabiensis Episcopus?	8
Velenus (Ulricus) notatus.	388	Victus moderati utilitas.	75
Venæsectio rejecta.	159	Vigiliæ nimie unicornu marino sedata.	316
Venæsectionis sæpius repetita utilitas.	85	Vidæ poema Christeis vindicatum.	509
Venenum aliis paratum autor noxium.	69	Vini Rhenani præstantia..	76
Veneris sacra num impura?	259	principia.	76
seq.		haustus liberalior commendatus.	76
Ventigenesis.	30	analysis chymica.	76
Ventriculus carnem suillam fumo indurat am per duos menses retinet.	317	spiritus non iuvat digestionem.	84
Ventriculi debilitas.	219	vulnera sanat.	86
situs male representatus.	273	usus nimius Europæis lepide objectus.	68
liquoris usus.	362	Vinorum varietas unde?	76
Veritas ut inquirenda?	287	Vires ad vitrum diffringendum requisitæ ut determinentur?	30
hypothetica quæ?	13	centrales examinata.	167
Theologica ut dignoscenda?	118	Virium attractivarum in particulis minimis leges.	309
Veri criterium quale sit?	133	Virgilii pater in Ecloga I & II de.	
ultimum.	311 seq.		
Verosimilium requisita.	312		
A Vermibus ileos lethalis.	316		
Vertiginosis peregrinationes salutares.	75		



INDEX RERUM NOTABILIORUM.

<i>descriptus.</i>	330	<i>Ab Urbibus conditis epochas qui numeraverint?</i>	5
<i>Ecloga IV cujus natiuitas celebretur?</i>	331	<i>Urinæ elementa.</i>	86
<i>Viridi colore in diplomatum sigillis qui uti sueverint?</i>	446	<i>vacca in Medicina usus.</i>	163
<i>Vis attractiva vitri calefacti.</i>	238	<i>Urinam movent cucurbitula per dorsum tracta.</i>	316
<i>qua aer ex pulmonibus eicitur, determinata.</i>	400	<i>In Urina sal unde?</i>	86
<i>Viscerum color albicans unde?</i>	220	<i>Usuraria uxor quæ Plauto dicta?</i>	16
<i>Vitæ longæ causa.</i>	516	<i>Uterus absque periculo excindi non potest.</i>	274
<i>Vitri effluvia probata.</i>	238	<i>Uteri conditio in gravidis.</i>	273
<i>Vitrioli differentia unde?</i>	163	<i>hydrops conceptionem insequens.</i>	316
<i>Vitringa (Campegius) notatus.</i>	475	<i>Vulnus mirabile.</i>	274
<i>Ulam urbis latitudo.</i>	358	<i>Uvula mobilis.</i>	315
<i>Ungularum doctrina a quibus inventa &amp; promota?</i>	165	<b>D</b> e <i>Walthusa urbe dissertatio.</i>	138
<i>Vocis organa ubi describantur?</i>	163	<i>Wilckius (Davidis) Historia Ecclesie Alexandrinæ promissa.</i>	539
<i>Voluptatum gradus calculo determinati.</i>	354	<i>Wilson (Arthuri) Vita Jacobi I.</i>	290
<i>Vortices cælestes vindicati.</i>	133, 366	<i>defectus.</i>	293
<i>Vossius (Gerb. Jo.) refutatus.</i>	250	<i>De Woraciczis Syntagma</i>	
<i>Ad Vossium de Historicis Græcis &amp; Latinis Supplementa variorum recusa.</i>	520	<i>Hist. Geneal.</i>	301 seq.
<i>Uratislaviæ latitudo.</i>	82	<i>Wren (Jane) epitaphium.</i>	111
<i>Uratislaviensium methodus pueros sub dio precantes coercendi.</i>	183	<b>X</b> enophontis <i>Stylus cum stylo N. Test. comparatus.</i>	210 seq.
		<i>Xyniam urbis latitudo.</i>	358